Wilfrid Moor.
Dec. 1915

ELEMENTA
PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE

ELEMENTA PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE

AUCTORE

Dr SEB. REINSTADLER

IN SEMINARIO METENSI QUONDAM PHILOSOPHIAE PROFESSORE

VOLUMEN I

CONTINENS

LOGICAM, CRITICAM, ONTOLOGIAM
COSMOLOGIAM

EDITIO SEPTIMA ET OCTAVA AB AUCTORE RECOGNITA

FRIBURGI BRISGOVIAE
B. HERDER
TYPOGRAPHUS EDITOR PONTIFICIUS
MCMXIII
ARGENTORATI, BEROLINI, CAROLSRUHAE, MONACHII, VINDOBONAE
LONDINI BRITANNIAE, S. LUDOVICI AMERICAE

Imprimatur

Friburgi Brisgoviae, die 6 Iunii 1913

‡ Thomas, Archiepps

Imprimatur

Metis, die 6 Ianuarii 1913

† Willibrordus O. S. B., Epps Metensis

Typis Herderianis, Friburgi Brisgoviae

APPROBATIO RR. DD. EPISCOPI METENSIS

Dilecte in Christo Fili!

Libenter concedimus tibi licentiam novam typis tradendi editionem libri a te exarati, cui titulus «*Elementa philosophiae scholasticae*».

Grate quidem hanc nanciscimur occasionem tibi congratulandi, laudatum opus non tantum in Nostra dioecesi, sed et in pluribus aliis optimum habuisse successum.

Nostra praesertim aetate, tot grassantibus erroribus, maxime opus est ut ad sacros Ordines evehendi adulescentes imbuantur sanae philosophiae principiis, quibus ad studia theologica rite obeunda disponantur. Novarum vero opinionum, catholicae traditioni adversantium, periculo eo minus ipsi per totum studiorum curriculum exponentur, quo firmius fuerint inde ab initio, auspice imprimis D. Thoma et iubente Pio PP X in Encyclica «Pascendi dominici gregis», verae philosophiae fundamento stabiliti.

Animum tibi addat, dilecte Fili, ad studiorum laborem provehendum ea qua acceptum fuit opus tuum benevolentia, viriliterque pergas, quantum tibi licuerit, «*vitam impendere vero*».

Metis, hoc festo die Epiphaniae D. N. Iesu Christi, 6 Ianuarii 1913.

† **Willibrordus** O. S. B.,
Epps Metensis.

PRAEFATIONES.

AD PRIMAM EDITIONEM.

Hunc de primis philosophiae elementis conscripsi librum ad usum praesertim eorum, qui scholis intersunt; eo vero consilio, ut et magistri et discipulorum simul rationibus prospicerem. Norunt enim omnes philosophiae professores ad ingenium excolendum multum valere operam, quam discipuli, magistro duce, in scientiam consequendam ipsi impendunt. Magistro proinde id maxime spectandum est, ut, dum doctrina tironibus quasi ante oculos ponitur, quaedam tamen semper ipsorum curae et rationi comprehendenda relinquantur. Quae cum ita sint, in multis nonnisi principia et quasi materiam exposui eorum, de quibus magister ipse, pro re nata, copiosius dicere possit. Nonnumquam tamen difficultates, ne earum causa salebrosior fieret ad disciplinam accessus, mollire ipse conatus sum.

In via vero quam ad hunc fructum assequendum ingressus sum animo mentique penitus mihi mandanda esse duxi ea, quae universo Orbi palam declaravit Sanctissimus Dominus Noster *Leo XIII* praeclara illa Encyclica *Aeterni Patris,* qua aurea Sancti Thomae sapientia tantopere commendatur. Quare, dum libenti gratoque animo excipiendum esse duxi quidquid sapienter dictum, quidquid utiliter fuit a quopiam inventum atque excogitatum, ad Angelici Doctoris sententiam, ipso Magistri animo, imprimis recurrendum esse autumavi.

Quo in negotio maximae mihi utilitati fuit, inter alia, praeclara illa quam presbyteri Societatis Iesu ediderunt *Philosophia Lacensis:* ibi enim, quasi in auri fodina, philosophorum, praesertim vero Sancti Doctoris, decreta atque praecepta cumulate reposita inveni. Nec minorem fructum percepi ex iis, quae, gallicis litteris, tam subtili atque eleganti doctrina illustravit Reverendissimus *D. Mercier* in opere quod inscribitur *Cours de philosophie.* Toto denique hoc opere usui mihi fuerunt praecepta, quae cum tanta sententiarum copia tantaque orationis sanitate et sinceritate clarissimus P. *Lepidi* scripto et verbo Romae me docuit.

Praenotandum denique occurrit haec philosophiae Elementa iis imprimis esse conscripta, qui scholis ea mente intersunt, ut ad sacrae theologiae studium animum excolant atque informent. Quare philosophiae praecepta omnia, quae cum hac sacra scientia cohaerent tamquam «praevia ad christianam fidem institutio», copiosius persequenda esse duxi, et contra, quaecumque in institutionibus theologicis ipsis ex professo fusius explicantur, ab his consulto me in hoc libro abstinui.

Metis in festo S. Thomae Aquinatis, die 7 Martii 1901.

AD SEPTIMAM ET OCTAVAM EDITIONEM.

Iam in sexta editione, ut ea quae nova in Philosophia hac aetate attulerunt, convenienter respicerem, de Neo-criticismo, Relativismo, Pragmatismo uberius dicendum autumaveram. Planum enim erat faciendum, quantum a vero, qui *philosophiam perennem* reliquerant, novis suis studiis abducti sint. Unde et in hac nova editione, quo efficacius *Agnosticismum* et *Immanentismum,* totius *Modernistarum* doctrinae quasi fundamentum (vol. II), impugna-

rem, de *Neo-criticismo* qualicumque forma prodit, de *Evolutionismo* vel *Transformismo,* de sincera *veritatis* notione accuratius dixi, ita tamen ut brevitati semper consulerem. Neque enim a consilio recedendum esse putavi, quo in primordiis harum institutionum statui, in multis non nisi principia exponere et quasi materiam eorum, de quibus magister ipse, pro re nata, copiosius dicere possit.

In hoc vero priore volumine (p. 18 sq), ad informandum animum, quaedam de *Socrate* et de *Platone* noscenda in *Logica* adieci. — In *Criteriologia* deinde de *Neo-criticismo* et *Pragmatismo* (p. 170 sqq) uberius dixi; item (p. 186 sq) de *Transformismo* vel *Progressismo logico.* Quales autem sint *veritatis logicae progressus* admittendi p. 234 sqq ostendi, postquam *veritatis notionem* (p. 231 sq) uberius explanavi. — In Ontologia notionem *essentiae* et *exsistentiae,* diiudicata controversia illa (p. 289 sqq), clariorem reddere conatus sum; item de sensu et de veritate *principii causalitatis* fusius dixi (p. 368 sqq). — In *Cosmologia* de *multitudine infinita* (p. 420 sq) quaedam adieci, de *qualitatibus sensibilibus* (p. 430 sqq) accuratius disserui, notionem *materiae primae* (p. 471 sq) et quaestionem de *aeternitate mundi* apertius declaravi (p. 500 sqq).

Alia quae minoris sunt momenti, ut minima omittam, p. 2 3 4 6 9 11 52 53 134 136 196 376 419 465 adiecta vel mutata invenies.

Merschweiler (prope Sierck) in festo SS. Cordis Iesu, 30 Maii 1913.

Seb. Reinstadler.

DOCTORIS ANGELICI VITA

secundum P. *T. Pesch* S. J., Institutiones logicales I 55.

Sanctus Thomas Aquinas, natus in castro «Roccasicca», regni Siciliae, ineunte anno 1225 (sec. alios 1227), parentibus nobilissimis, scientiarum princeps praedestinatus videbatur. Sana ac sancta disciplina iam a prima pueritia institutus est. Puer enim quinque annorum monachis O. S. B. in Monte Casino litteris et pietate informandus traditus et puer decem annorum Neapolim ad universitatem a Friderico II nuper conditam missus erat, in qua magistris usus est optimis in humanioribus Petro Hiberno, Martino in philosophicis. His studiis absolutis novum S. Dominici ordinem ingreditur Neapoli anno 1243.

At PP. Dominicani nimiam piae matris sollicitudinem metuentes Thomam Romam prius indeque in Galliam miserunt, quo in itinere, matre iubente, a fratribus suis prope Aquapendente interceptus in paterno castello retinetur. Frustra omni arte tentatus, a sororibus in cista per fenestras dimissus, a Dominicanis Neapolim reductus deinde Romam venit ad Ioannem Teutonicum magistrum generalem, qui Thomam Parisios secum duxit et postea Coloniae Alberto Magno erudiendum tradidit (1245). Albertus ante instaurationem Scholarum ad gradus accipiendos Parisios venit; quem cum sequeretur Thomas discipulus, ab illo eruditur per tres annos in Sententiarum Petri Lombardi explicatione. Albertus et Thomas Coloniam redeunt 1248 ad novam ordinis scholam regendam. Hic Thomas iuxta

decreta ordinis per quinque annos philosophiam et S. Scripturam explicat. Anno 1252 Lovanii litem inter doctos viros excitatam, arbiter ab ipsis constitutus, composuit. Ex quo apparet, quanti iam tum temporis Thomas aestimatus sit. Nemo tamen eo tempore magis honorabatur, quam qui in dissertatione aulica lauream sibi comparaverit. Thomas igitur a superioribus ad gradus percurrendos Parisios missus est. Baccalaureus in theologia Sententias P. Lombardi explicat (1253). Omitto tempestatem, quae mox contra Mendicantes Parisiis studiis operam navantes exoriebatur, ad quam supprimendam Thomae auctoritas multum valebat. Romam enim missus Summo Pontifici apologiam pro ordine Mendicantium legit, i. e. opusculum contra impugnantes religionem. Dissensione composita sub finem anni 1256 Parisios revertit et «aulam suam» habuit de illis verbis: «Rigans montes de superioribus suis; de fructu operum tuorum satiabitur terra» (Ps 103, 13). Una cum S. Bonaventura «laurea magistrali» ornatus est. Per duos annos magister, «de veritate» docens, simul officio concionatoris functus est, cuius verba tamquam ex ore Dei excipiebantur. Anno 1261 in Italiam vocatus Romae, deinde Bononiae docuit. Hoc tempore «Summam contra gentiles», quam anno 1253 inceperat, ad finem perduxit. Abhinc in litterarum universitatibus modo Italiae modo Galliae «de fructu operum suorum» cum multis communicavit, claritate doctrinae scholares plus ceteris ad amorem sapientiae provocare videbatur, ubique terrarum ut «stella matutina praeeminens in mundo, iubar in luce saeculi, luminare eius» celebrabatur. Inter alia multa, quae hoc vitae spatio scripsit, «Summae theologicae» maximam operam dabat, cuius primas nonaginta quaestiones partis tertiae, anno 1272 Neapolim vocatus, ipse absolvit. Mox a Gregorio X ad Concilium Lugdunense II missus (1274), in itinere morbo correptus, in monasterio ordinis Cisterciensium Fossaenovae, ubi propinqui Thomae, domini de

Ceccano, conveniens hospitium impetrarunt, ut vir sanctissimus sanitati suae consuleret, vita cessit Nonis Martii, hora matutina diei sabbati, aetatis suae anno quinquagesimo inchoato, postquam in suscipiendo s. Viatico confessionem fidei publice emisit sic conceptam: «Sumo te, pretium redemptionis meae; sumo te, viaticum peregrinationis animae meae, pro cuius amore vixi, vigilavi et laboravi, praedicavi et studui. . . .» [1]

---

[1] Praecipuos quos S. Doctor conscripsit libros infra p. 8 n. 1 enumeratos invenies.

INDEX.

	Pag.
Approbatio RR. DD. Episcopi Metensis	V
Praefationes	VII
Doctoris Angelici vita secundum P. T. Pesch . . .	XI
Prolegomena in universam philosophiam .	1
I. Philosophiae notio	1
II. Philosophiae divisio	9

LOGICA.

Praenotiones	15
I. Logicae definitio	15
II. Logicae divisio	20

LIBER I.

DE PRIMA MENTIS OPERATIONE SIVE DE IDEA.

Caput I. De ideis in se ipsis consideratis, ut sunt in mente	21
Art. I. Notio ideae	21
§ 1. Quomodo ideas nobis efformemus ostenditur .	21
§ 2. De idearum elementis constitutivis vel partibus .	23
§ 3. Idea definitur	25
Art. II. De variis idearum partitionibus . . .	26
§ 1. Ratione originis	26
§ 2. Ratione perfectionis repraesentationis . . .	27
§ 3. Ratione comprehensionis	28
§ 4. Ratione extensionis	29
1. De universali reflexo	30
2. De universali directo	33
§ 5. Ratione diversarum relationum, quas habent inter se	34

Pag.

Caput II. De idea exterius expressa sive de termino . 35
Art. I. De definitione termini 35
Art. II. De terminorum partitionibus 37
§ 1. Secundum determinationem plus minusve perfectam significationis termini 37
§ 2. Secundum comprehensionem ideae significatae . 38
§ 3. Secundum extensionem ideae significatae . . 39
Art. III. De usu terminorum 40
§ 1. De suppositione terminorum 40
I. Notio 40
II. Species 41
§ 2. De terminorum appellatione 42
I. Notio 42
II. Species 42
Caput III. De methodo notiones explanandi 43
Art. I. Definitionis et divisionis notio declaratur . . 43
§ 1. De definitione 43
§ 2. De divisione logica 44
Art. II. De methodo notiones explanandi ope definitionis et divisionis 47
§ 1. De definitionis et divisionis usu 47
§ 2. De definitionis et divisionis regulis . . . 50
I. Regulae definitionis essentialis . . . 50
II. Regulae divisionis logicae 51
Scholion 51

LIBER II.

DE SECUNDA MENTIS OPERATIONE SIVE DE IUDICIO.

Caput I. Notio iudicii eiusque signi sive propositionis . 52
Art. I. Notio iudicii evolvitur 52
Art. II. Notio propositionis declaratur 54
Caput II. De diversis propositionum speciebus . . . 56
Art. I. De divisione propositionum simplicium . . 57
§ 1. Ex parte qualitatis formae 57
§ 2. Ex parte quantitatis materiae 58
Art. II. De divisione propositionum compositarum . . 60
§ 1. De propositionibus compositis ex parte formae (copulae) sive de propositionibus modalibus . 60

Pag.
§ 2. De propositionibus compositis ex parte materiae 61
a) De propositionibus compositis categoricis . 62
I. De propositionibus aperte compositis . 62
II. De propositionibus occulte compositis . 63
b) De propositionibus compositis hypotheticis . 65
§ 3. De propositionibus complexis 66
Caput III. De diversis propositionum proprietatibus relativis 67
Art. I. De oppositione propositionum 68
§ 1. Diversae oppositiones declarantur . . . 68
I. Notio 68
II. Species 68
§ 2. Relationes declarantur, quas propositiones oppositae habent inter se quoad veritatem et falsitatem 70
§ 3. De oppositione contradictoria speciatim . . 73
Art. II. De aequipollentia 77
§ 1. Notio 77
§ 2. Leges 78
Art. III. De conversione propositionum 80
§ 1. Notio 80
§ 2. Regulae in convertendis propositionibus servandae 81
Art. IV. De transitu immediato ex una propositione in aliam sive de illationibus 83
§ 1. Notio 83
§ 2. Species 84

LIBER III.

DE TERTIA MENTIS OPERATIONE SIVE DE RATIOCINIO.

Caput I. Notio ratiocinii eiusque signi sive argumentationis 85
Art. I. Notio ratiocinii evolvitur 85
Art. II. De ratiocinii signo sive de argumentatione . 88
Art. III. De syllogismi vel argumentationis rectitudine et veritate 90
§ 1. Notiones declarantur 90
§ 2. Nexus declaratur, qui inter rectitudinem syllogismi et conclusionis veritatem viget . . . 91

	Pag.
Caput II. De diversis syllogismi speciebus . . .	92
Art. I. De syllogismo categorico perfecto . . .	94
§ 1. De regulis generalibus rectitudinis syllogismi .	94
§ 2. De regulis, quae diversis syllogismi figuris sunt propriae	97
§ 3. De syllogismis categoricis compositis vel complexis	100
Art. II. De syllogismis hypotheticis	103
§ 1. De syllogismo conexo	103
§ 2. De syllogismo coniunctivo	104
§ 3. De syllogismo disiunctivo	104
Art. III. De quibusdam syllogismis imperfectis . .	105
Art. IV. De quibusdam falsis argumentationibus . .	108
Caput III. De methodo quaestiones solvendi vel theses probandi	111
Art. I. De iis, quae probationi sunt praemittenda .	111
§ 1. De dubitatione scholastica	111
§ 2. De statu quaestionis	111
Art. II. De diversis probationum speciebus . . .	112
§ 1. De argumentis dialecticis	112
a) De argumento per analogiam . . .	112
b) De argumento per hypothesim . . .	114
I. Notio	114
II. Regulae	115
III. Species	115
§ 2. De argumentis demonstrativis sive de demonstratione	116
I. Notio	116
II. Species	116
Art. III. De argumentis inveniendis et ordinandis . .	120
§ 1. Argumentorum inventio	120
§ 2. Argumentorum ordinatio	122
Art. IV. De methodo disputandi	124
Praenotanda	124
Disputationis scholasticae forma	125

CRITERIOLOGIA.

Pag.
Praenotiones 132
I. Criteriologiae definitio 132
II. Divisio 132

LIBER I.

DE VARIIS QUAE CIRCA EXSISTENTIAM ET FUNDAMENTUM CERTITUDINIS LATAE SUNT SENTENTIIS.

Praenotiones 132
I. De notione veritatis 132
II. De notione certitudinis 135
Caput I. De scepticismo 136
Art. I. Scepticismus exponitur 136
Notio 136
Fundamentum 137
Art. II. Scepticismus refutatur 138
Caput II. De criticismo 140
Art. I. De criticismo Kantiano sive de idealismo transscendentali 140
§ 1. Criticismus Kantianus exponitur 140
Kantii consilium 140
Criticae explicatio 141
§ 2. Criticismus Kantianus refutatur 156
Art. II. De criticismo ad extrema aucto sive de idealismo absoluto 161
§ 1. Idealismus absolutus exponitur 161
§ 2. Idealismus absolutus refutatur 166
Scholion: Idealismi notio uberius declaratur . 167
Art. III. De neo-criticismo 169
§ 1. Neo-criticismus exponitur 169
§ 2. Neo-criticismus refutatur 173
Caput III. De positivismo 175
Art. I. Positivismus exponitur 175
Notio 175
Fundamentum 176

Pag.
Art. II. Positivismus refutatur 177
Scholion: De relativismo 182
Caput IV. De traditionalismo 187
Art. I. Traditionalismus exponitur 187
Art. II. Fideismus et traditionalismus refutantur . . 190
Caput V. De dogmatismo 192

LIBER II.

DIVERSI CERTITUDINIS FONTES EXAMINI SUBICIUNTUR.

Praenotiones 199
Caput I. De conscientia 200
Art. I. Notio conscientiae evolvitur 200
Art. II. Reflexio circa valorem conscientiae instituitur . 201
§ 1. Obiectum proprium conscientiae declaratur . 201
§ 2. Rationes deteguntur, propter quas error fieri potest per accidens 201
Caput II. De experientia externa vel sensuum . . 203
Art. I. Notiones evolvuntur 203
Art. II. Reflexio circa valorem experientiae sensuum instituitur 205
Caput III. De intellegentia 206
Art. I. Notiones explanantur 206
Art. II. Doctrina circa valorem intellegentiae exponitur 207
§ 1. De nominalismo 208
§ 2. De conceptualismo 209
§ 3. De realismo exaggerato 210
§ 4. De realismo moderatiore 211
Caput IV. De ratione 214
Art. I. Notio deductionis et inductionis evolvitur . 214
Art. II. De valore inductionis incompletae speciatim . 216
Appendix: De memoria 217
Caput V. De auctoritate 218
Art. I. Notiones evolvuntur 218
Art. II. Auctoritatis valor declaratur 220
§ 1. Valor auctoritatis generatim ostenditur . . 220

Pag.
§ 2. De diversis hominum testimoniis . . . 223
I. De testimonio historico 223
II. De testimonio doctrinali 229

LIBER III.

DOCTRINA CIRCA VERITATEM, CERTITUDINEM, SCIENTIAM UBERIUS EXPONITUR.

Caput I. De veritate 232
Art. I. De veritate logica in se ipsa considerata . 232
§ 1. Notio veritatis logicae uberius explanatur . 232
§ 2. Qualis sit veritatis logicae admittendus progressus ostenditur 234
I. Veritatis logicae progressus . . . 234
II. Veritatis logicae gradus 235
Art. II. De veritatis logicae opposito sive de errore . 237
§ 1. Notio et species 237
§ 2. Erroris causae 237
Caput II. De certitudine 238
Art. I. Notio certitudinis 238
Art. II. De principio certitudinis sive de evidentia . 239
Art. III. De certitudinis speciebus 242
Art. IV. De certitudinis oppositis sive de dubio et opinione 245
§ 1. De dubio 245
I. Notio et species 245
II. De dubitatione recte instituenda . . 246
§ 2. De opinione 248
Caput III. De scientia 249
Art. I. Notio scientiae 249
Art. II. Scientiae divisio 249
Art. III. De methodo scientiarum 250
§ 1. De methodo experimentali 251
§ 2. De methodo rationali 253
Art. IV. De diversarum scientiarum subordinatione . 254

ONTOLOGIA.

	Pag.
Praenotiones	259
I. Ontologiae definitio	259
II. Ontologiae divisio	260

LIBER I.

DE IPSA RATIONE ENTIS.

Caput I. Notio entis evolvitur	261
Art. I. Quomodo mens notionem entis sibi efformet, ostenditur	261
§ 1. De notione entis directa	261
§ 2. De notione entis reflexa	262
Art. II. De definitione entis	265
§ 1. De definitione entis in se ipso considerati	265
§ 2. De definitione entis per ipsius oppositum	265
Appendix ad caput I. De primis principiis, quae a notione entis trahuntur	268
Caput II. De primis entis determinationibus	271
Art. I. De actu et de potentia	272
§ 1. Notiones evolvuntur	272
§ 2. Species declarantur	272
§ 3. De possibilitate vel potentia obiectiva speciatim	275
I. Eius notio evolvitur	275
II. Species possibilitatis declarantur	276
§ 4. De transitu e potentia ad actum sive de mutatione et motu	278
I. Notiones evolvuntur	278
II. De principio motus	283
Corollarium	284
Art. II. De essentia et exsistentia	285
§ 1. De essentia	285
I. Eius notio evolvitur	285
II. Species essentiae	286
III. Attributa essentiae	287

Pag.
§ 2. De exsistentia 288
I. Eius notio evolvitur 288
II. De distinctione essentiae et exsistentiae . 289
Art. III. De necessario et infinito 297
§ 1. De necessario 297
§ 2. De infinito 298

LIBER II.

DE PROPRIETATIBUS ENTIS TRANSCENDENTALIBUS.

Praenotiones 299
Caput I. De unitate 299
Art. I. De unitate proprie sumpta 299
§ 1. Notio unitatis 299
§ 2. Species unitatis 301
§ 3. Exsistentia unitatis in omni ente . . . 303
Art. II. De identitate et de distinctione . . . 303
§ 1. De identitate 303
§ 2. De distinctione 305
Art. III. De similitudine et de differentia . . . 307
§ 1. De similitudine et aequalitate . . . 307
§ 2. De differentia et diversitate 307
Caput II. De veritate 308
Art. I. De veritate transcendentali in se sumpta . 308
§ 1. Notio veritatis evolvitur 308
§ 2. Diversae veritatis species synthetice exponuntur 310
§ 3. De veritatis transcendentalis exsistentia . . 311
Art. II. De veritatis opposito sive de falsitate . . 311
§ 1. Notio falsitatis 311
§ 2. Exsistentia falsitatis 312
Caput III. De bono et de malo 313
Art. I. De bono 313
§ 1. Eius notio 313
§ 2. Species bonitatis 313
§ 3. Exsistentia bonitatis transcendentalis . . 316

Pag.

Art. II. De malo 316
§ 1. Notio mali 316
§ 2. Species malitiae 317
Scholion 317

LIBER III.

DE CATEGORIIS.

Praenotiones 318
Caput I. De substantia et de accidente generatim . 319
Art. I. Notiones evolvuntur 319
§ 1. Quomodo mens notiones substantiae et accidentis sibi efformet, ostenditur 319
§ 2. De definitione substantiae et accidentis . . 321
I. Definitio substantiae 321
II. Definitio accidentis 323
Art. II. De exsistentia substantiarum et accidentium . 325
Art. III. De divisione generali substantiae et accidentis 329
§ 1. De diversis substantiae speciebus . . . 329
Corollarium 331
Scholion:
I. Quaeritur, num subsistentia sit realiter distincta ab essentia individua 333
II. Perfectus suppositi conceptus dicitur mixtus . 336
III. Persona conscientia actuali non constituitur . 336
§ 2. De diversis accidentium speciebus . . . 337
Caput II. De praecipuis quibusdam accidentibus speciatim 340
Praenotamen 340
Art. I. De qualitate 341
§ 1. Notio 341
§ 2. Species 342
Art. II. De relatione 346
§ 1. Notio 346
§ 2. Species 346
§ 3. De exsistentia relationum realium . . . 349
§ 4. De entitate relationis 350
Corollarium: Axiomata 353

Pag.
Art. III. De actione et de passione sive de causis . 354
Praenotamen 354
Sectio I. De causis generatim inspectis . . . 354
§ 1. Notio causae explanatur 354
§ 2. De divisione generali causarum . . . 358
Sectio II. De causa efficienti et de causa finali speciatim 359
§ 1. De causa efficienti 359
1. Notiones 359
2. Species 361
3. De exsistentia causarum efficientium . . 365
4. De principio causalitatis 368
Sensus 368
Eius veritas 369
§ 2. De causa finali 372
1. Notiones 372
2. Species 374
3. De exsistentia causarum finalium . . 376
Corollaria 378
Appendix: De notione pulchri 379
1. Elementa materialia pulchri referuntur . 380
2. Ratio formalis pulchritudinis ostenditur . 381

COSMOLOGIA.

Praenotiones 387
Cosmologiae definitio 387
Cosmologiae divisio 388

LIBER I.

DE QUANTITATE CORPOREA.

Caput I. Notio quantitatis 388
Art. I. Elementa quantitatis analysi exponuntur . . 388
Art. II. Elementum quantitatis essentiale determinatur 389
Art. III. Entitas extensionis declaratur 394
Caput II. De divisione generali quantitatis . . . 397

Pag.
Caput III. De duabus praecipuis quantitatis speciebus sive de spatio et de tempore 399
Sectio I. De spatio 399
Art. I. Notio spatii evolvitur 399
I. De notione loci 400
II. De ipso conceptu spatii 401
Art. II. Entitas spatii declaratur 401
I. Quoad spatium reale 401
II. Quoad spatium imaginarium . . . 403
Art. III. De corporum praesentia in spatio vel in loco 404
§ 1. De accidente ubi 404
§ 2. De compenetratione et replicatione corporum 405
1. De compenetratione corporum 405
Corollarium 406
2. De replicatione corporum in spatio . . 407
Sectio II. De tempore 410
Art. I. Notio temporis evolvitur 410
I. Ex comparatione eius cum spatio . . 410
II. Ex comparatione eius cum aliis durationibus 411
Art. II. De divisione temporis 413
Art. III. Entitas temporis declaratur 414
Art. IV. De accidente quando 415
Caput IV. De tribus praecipuis quantitatis proprietatibus 416
Art. I. De continuitate quantitatis 416
§ 1. Notio continuitatis evolvitur 416
§ 2. Continuitatis natura et exsistentia in corporibus declaratur 417
Art. II. De quantitatis limitatione 418
Art. III. De divisibilitate quantitatis 424
Art. IV. De modo quo partes in continuo insint . 426

LIBER II.

DE ACTIVITATE CORPORUM.

Caput I. De exsistentia activitatis corporum 427
Caput II. De qualitatibus sensibilibus 430
Art. I. Diversae sententiae circa qualitates sensibiles exponuntur 430

Pag.
§ 1. Sententia Scholae declaratur 430
§ 2. Sententiae nonnullorum recentium exponuntur 431
Art. II. Diversae sententiae circa qualitates sensibiles aestimantur 432
§ 1. Aestimatur sententia physicorum vel «realismus moderatior» 433
§ 2. Aestimatur sententia Scholae 434
Scholion 437
Caput III. De corporum viribus 438
Art. I. Notiones evolvuntur 438
Art. II. Natura virium generatim declaratur . . 439
Caput IV. De finalitate activitatis corporum . . . 441
Caput V. De lege naturae 443
Art. I. Legis naturae notio et exsistentia . . . 443
Art. II. Legum naturae necessitas 444

LIBER III.

DE CAUSIS SUPREMIS MUNDI CORPOREI.

Caput I. De natura mundi corporei 447
Sectio I. De natura corporum, prout singillatim considerantur 447
Art. I. Diversae sententiae circa constitutionem corporum exponuntur 447
Praenotiones 447
§ 1. Dynamismus exponitur 450
§ 2. Atomismus exponitur 453
I. Atomismus mechanicus vel extremus . 453
II. Atomismus dynamicus 454
III. Atomismus chemicus vel scientificus . 455
§ 3. Hylomorphismus exponitur 456
I. De duplici corporis omnis elemento constitutivo 456
II. De corporum efformatione 457
III. De condicione atomorum in transformationibus vel in ipsis compositis substantialibus 458

	Pag.
Art. II. Diversae sententiae circa constitutionem corporum aestimantur	460
§ 1. Aestimatur dynamismus	460
§ 2. Aestimatur atomismus	462
1. De atomismo extremo vel mechanico	462
2. De atomismo dynamico	463
§ 3. Aestimatur hylomorphismus	466
Art. III. Hylomorphismus uberius explicatur	471
§ 1. De natura principiorum corporum singillatim acceptorum	471
Synthesis (notionum materiae et formae)	473
§ 2. De natura ipsius corporis complete constituti	474
Sectio II. De natura universitatis corporum vel ipsius mundi	475
Art. I. De mundo materialiter spectato	475
Art. II. De mundo formaliter considerato	476
§ 1. De exsistentia ordinis naturae	476
§ 2. De proprietatibus ordinis mundani	479
Scholia: Ordo naturae, cursus naturae quid sint. De naturali, supernaturali, praeternaturali	440
Caput II. De origine mundi	483
Art. I. De ortu sive de creatione mundi	483
§ 1. De facto creationis	483
§ 2. De tempore creationis	499
Scholion	503
Art. II. De formatione mundi	504
Appendix: De miraculo	505

Index alphabeticus	509

PROLEGOMENA

IN

UNIVERSAM PHILOSOPHIAM.

I. **Philosophiae notio.** Philosophia (φίλος-σοφία) est: *scientia rerum ratione humana cognoscibilium per causas vel rationes ultimas naturali lumine comparata.* Dicitur:

1. *scientia,* i. e. cognitio certa per causas. Cognitio certa ea est, quae errandi formidinem excludit; opponitur cognitioni incertae, quae habetur, vel cum mens inter propositiones oppositas suspensa manet propter errandi formidinem (dubitatio), vel etiam cum ad unam partem oppositam adhaeret, sed cum formidine alterius oppositae (opinio).

Neque tamen cognitio omnis, quamvis certa, scientia dici potest. Vir enim indoctus e. g., qui animam humanam sine ulla errandi formidine immortalem esse iudicat *propter auctoritatem alicuius hominis,* puta sacerdotis, immortalitatis animae certam quidem habet cognitionem, sed non scientiam: scit rem ita esse, sed *cur ita sit* ignorat. Vir autem philosophus, qui eandem veritatem ex consideratione naturae animae sibi compertam et probatam habet, non simplici cognitione, sed vera fruitur scientia.

Est autem philosophia non unica quaedam cognitio certa, sed *complexio* cognitionum certarum, quae arto nexu inter se colligantur, quemadmodum theses geometriae uno complexu constringuntur. Quale systema una voce *scientia* dicitur [1].

[1] De scientia uberius dicemus in fine Criteriologiae.

2. *rerum ratione humana cognoscibilium,* i. e. rerum omnium, quas homo cognoscere potest. Ex rebus enim, quae exsistunt vel exsistere possunt, aliae a ratione humana attingi possunt, qualis est e. g. aspectabilis hic mundus, aliae ab eius aspectu ita sunt remotae, ut solo naturali lumine nulla de ipsis haberi possit scientia. Talia sunt e. g. *mysteria religionis christianae.* De his philosophia non disserit, bene vero de prioribus illisque omnibus non singillatim sed universim sumptis.

Ex hac parte philosophia convenit cum omnibus aliis scientiis *naturalibus,* quae non nisi de rebus rationi humanae aspectabilibus tractant; differt autem a *theologia sacra,* quae proprie disserit de rebus humanae rationi abditis.

A *singulis vero scientiis naturalibus aliis* philosophiam iam ex hac parte aliquid differre perspicuum est ex obiecti eius ambitu; philosophia enim versatur circa *omnes* res: mundum, hominem, Deum.

3. *per causas vel rationes ultimas.* Quibus verbis ratio indicatur, qua philosophia ab omnibus aliis scientiis *naturalibus* specifice distinguitur.

Ratio dicitur id omne, quo aliquid intellegitur (est) vel intellegi potest; *causa* vero dicitur id omne, *quod ad producendum aliquid confert quocumque modo.* Ratio proinde refertur ad intellectum, cum sit id, quo *intellegitur* vel intellegi potest, *cur* res sit. Unde omnis causa, quatenus est id, quo intellegitur, cur sit res ab ipsa producta, recte dicitur ratio [1].

---

[1] «Les principes, les causes sont appelés les *raisons* des choses, lorsqu'ils sont considérés en relation avec l'intelligence qui les comprend, ou s'efforce de les comprendre. Les raisons sont les réponses aux questions *pourquoi?* qu'une intelligence se pose à propos de la réalité» (*Mercier,* Logique [5] 15; Traité élémentaire de philosophie I [4] 18; cf. etiam apud eundem, Métaphysique générale [5] 489 sqq).

Neque tamen omne ens habet *causam* sui, quia non omne ens producitur: Deus non est productus vel effectus. Sed omne ens habet *rationem* sui, id scilicet quo intellegitur (est) vel intellegi potest. In triangulo e. g. id quo fit, ut intellegatur habere tres angulos aequales duobus rectis, non proprie causa huius proprietatis est, sed ratio. Item, cum ex animae simplicitate immortalitatem eius deducimus, simplicitas illa non causa sed ratio immortalitatis dicitur, cum immortalitas a simplicitate *non producatur,* sed *esse intellegatur.* Contra, si mundum a Deo creatum esse ostendis, mundi declaras *causam*[1].

Causae omnes ad quattuor species reduci possunt, quae sunt: causa efficiens, causa finalis, causa materialis, causa formalis. Causa *efficiens* dicitur *id, quod* actione sua rem producit: artifex e. g., qui statuam B. M. V. efficit, huius statuae est causa efficiens. Causa *finalis* est *id, propter quod* res producitur: lucrum e. g. obtinendum vel cultus B. M. V. promovendus est causa finalis statuae conficiendae. Causa *materialis* dicitur *id, ex quo* res corporea producitur: in exemplo allato marmor vel lignum vel alia eiusmodi sunt causae materiales. Causa *formalis*

---

[1] «Néanmoins, si toute cause envisagée dans son rapport avec une intelligence qui la pénètre s'appelle une raison, toute raison n'est pas cause. Entre la cause et ce qui en dépend il y a une distinction réelle. Entre la raison et ce dont elle donne la raison, il peut n'y avoir qu'une distinction logique. . . . On démontre, par exemple, que le triangle a ses trois angles égaux à deux droits, au moyen de la définition du triangle et de l'angle droit. Cela n'est pas une démonstration par la cause, car le triangle n'est pas vraiment *cause* de la propriété qu'on lui attribue. Lorsque le philosophe explique l'immortalité de l'âme par sa simplicité, il remonte, non d'un effet à sa cause, mais d'une propriété de l'âme à sa *raison* explicative. Quand il explique l'origine du monde par l'action créatrice de Dieu, il remonte à une influence *causale* (*Mercier,* Logique 15 sq; Traité etc. 18 sq).

denique dicitur *id omne, quo res in tali determinato essendi modo constituitur:* id e. g., quo fit ut moles illa marmoris sit statua et non columna, dicitur causa formalis. Una ex illis causis formalibus est e. g. imago huius statuae ab artifice in mente praeconcepta (causa formalis extrinseca idealis vel causa exemplaris)[1].

De causis iam illis omnibus philosophia disserit, sed non quomodocumque; inquirit enim in rerum *causas ultimas* vel *altissimas.* Ultima autem dicitur causa, quae iam nulli alii subordinatur. Si nulli omnino subordinatur, ita ut omnia genera entium transcendat, dicitur causa *absolute ultima:* sic Deus est causa absolute ultima efficiens et finalis omnium rerum; quodsi certo quodam in genere tantum nulli alii subordinatur, dicitur *relative ultima:* sic causam ultimam finalem huius mundi aspectabilis philosophi docent esse beatitudinem hominis; sic in singulis rebus rationem ultimam omnium, quae in ipsis sunt vel fiunt, dicunt esse rerum naturam vel essentiam.

De his ergo causis vel rationibus absolute vel relative ultimis inquirit philosophia, ita ut eius investigatio non in hoc ordine sensibili contineatur, sed rationes attingat, quae res sensibus aspectabiles transgrediuntur et propterea supersensibiles vel *metaphysicae* dicuntur. Quarum praecipuae sunt: rerum mundanarum *essentia, finis ultimus, Deus.*

Ex hac parte philosophiam diximus specifice differre a ceteris scientiis naturalibus omnibus, quia scientiae illae in rebus, circa quas versantur, non nisi causas proximas, phaenomenales, sensibiles inquirunt, cum philosophia eas altiore sub respectu consideret. Recte igitur *sapientia,* i. e. alta scientia, dicitur, cum sit cognitio certa per altissimas causas[2].

---

[1] De causis fusius sermo erit in Ontologia, de causa formali intrinseca eaque substantiali dicemus in Cosmologia.

[2] Ad rem S. Doctor: «Sapientia, inquit, est scientia, quae considerat primas et universales causas.» — «Sapientia causas primas

Duplex proinde philosophiae obiectum distingui potest: aliud quod dicitur materiale, aliud formale. Res enim omnes, quae humana ratione cognosci possunt, *indeterminate sumptae,* i. e. non considerato respectu illo altiore, quem philosophia proprie attingit, dicuntur eius *obiectum materiale.* Causae vero vel rationes illarum rerum ultimae, *specialis* scilicet *ille respectus*, sub quo obiectum illud materiale a philosophia attingitur, eius *obiectum formale* constituunt [1].

4. *naturali lumine comparata,* ut distinguatur philosophia ex parte obiecti formalis a theologia sacra vel supernaturali, quae ipsa quoque de supremis rerum causis vel rationibus disputat, quarum nonnullae humana ratione cognosci possunt, sed sub alio lumine. Theologia enim has rationes considerat sub lumine supernaturali et revelationis, philosophia autem non nisi lumine utitur naturali.

Philosophia cuius elementa hic tradenda suscipimus, philosophia dicitur *scholastica*, quia principiis innititur scholasticorum eorumque decreta atque inventa, quantum

---

omnium causarum considerat» (In Met. I, lect. 2). Sunt qui philosophiam dicant esse scientiam, quae agit de supremis *principiis* rerum; verum id minus recte docent, cum *principium* sit id, a quo aliquid procedit *quocumque modo,* philosophia vero in illa principia proprie inquirit, a quibus res procedunt ut a *causis* vel *rationibus.* Sed haec omnia clarius intelleges, cum ex dicendis in Ontologia notionem causae et principii clarius perspexeris.

[1] Obiectum *materiale* alicuius scientiae in genere est: id, circa quod aliqua disciplina ita versatur, ut circa idem etiam alia versari possit sub alio respectu. Planta e. g. potest esse obiectum materiale scientiae medicae et botanicae.

Obiectum *formale* est: specialis ratio, specialis respectus, sub quo obiectum materiale de se ad multa indifferens ab aliqua disciplina attingitur. Medicina in planta considerat vim sanandi, botanica structuram e. g. Cf. *Pesch,* Inst. log. II 1, 564.

fas est, tuetur. «*Scholastici*» vero, aetate media, magistri appellabantur illi, qui in scholis diversarum scientiarum, praeprimis philosophiae et theologiae, decreta ad artem et praecepta revocata dialectice tractabant. Quorum principium hac in re directivum hoc erat: Veritas veritati contradicere non potest, cum omnis veritas ab intellectu divino procedat, sive lumine revelationis supernaturalis innotescit sive ratione humana cognoscitur. Unde sequitur, ut harmonia Deo digna inter veritates revelatas et rationales adesse debeat atque *extrinseca* quaedam philosophiae a revelatione supernaturali dependentia admittenda sit. Philosophia enim, licet suum habeat obiectum proprium, sua a theologia diversa principia a quibus procedat, suam methodum, fidem tamen tamquam stellam rectricem ad praecavendos errores respicere debet[1]. Qui-

---

[1] Cf. *Lehmen*, Lehrbuch der Philosophie I[3] 7, ubi hanc externam philosophiae a revelatione dependentiam explicatam habes. «La philosophie et les sciences sont autonomes», ait Mercier (Logique[5] 33), «en ce sens que leur motif suprême est l'*évidence intrinsèque* de leur objet, tandisque le motif dernier de la foi est l'*autorité* de Dieu, auteur de la Révélation surnaturelle. La doctrine révélée n'est pas pour le philosophe et pour le savant un motif d'adhésion, une source directe de connaissances, mais une sauvegarde, une *norme négative*. Au moment où il procède à ses enquêtes, le philosophe chrétien peut donc en toute liberté interroger la nature ou sa conscience et suivre la direction de la raison. Mais s'il lui arrive que ses conclusions se trouvent en désaccord avec la Révélation telle que les autorités légitimes la lui proposent à croire, il doit, dans l'intérêt et de sa foi et de la vérité scientifique, reprendre ses enquêtes jusqu'à ce que les difficultés se résolvent dans l'accord des enseignements qui, à première vue, semblaient se heurter. La parole de Dieu ne peut être erronée. Une proposition qui serait en contradiction manifeste avec une doctrine manifestement révélée, ne peut être qu'une erreur: *répudier l'erreur, c'est faire acte de raison.*» Cf. etiam quae de hac re *M. de Wulf* conscripsit in libello periodico «Revue néoscolastique

bus principiis nisi scholastici veterum philosophorum, *Aristotelis*[1] imprimis, et Sanctorum Patrum doctrinam ad rationis praecepta accommodabant.

Scholasticae philosophiae diversi erant status, maxime vero floruit saeculo XIII et XIV. Quo tempore inter magistros praestantissimos nominandi sunt Petrus Lombardus («Magister Sententiarum», † 1164), Alanus ab Insulis († 1203), Alexander Halensis («Doctor irrefragabilis», † 1245), *Albertus Magnus*[2], *S. Thomas*

1911, 177 sqq: «Notion de la Scolastique médiévale», item *de Wulf,* Histoire de la philosophie médiévale[4] 316 sqq: «La philosophie scolastique.»

[1] *Aristoteles,* Stagirae in Thracia anno 384 a. Ch. natus, Platonis discipulus et Alexandri Magni praeceptor, *Peripateticorum* quam vocant sectam instituit. Praestantissimis antiquitatis ingeniis annumeratur tantumque intellegentia atque doctrina valuit, ut vix eum quisquam usque ad diem hodiernum adaequaverit. Pater scientiae logicae merito appellatur. Post Alexandri mortem a Macedonibus accusatus, quod de diis male sentiret, Chalcidem profectus ibi anno 322 mortuus est. Multa praeclare scripsit de Logica («Organon»), Physica, Metaphysica, Ethica. Libros Moysis cum perlegisset, dixisse fertur: «Barbarus ille bene loquitur, sed nihil probat» (cf. *Pesch,* Inst. log. I 38; *Stöckl,* Lehrbuch der Geschichte der Philosophie I 104 sqq; *Ios. Kachník,* Historia philosophiae[2] 35 sq; *Ios. Gredt,* Elem. philos. aristot.-thom. I[2] 4, ubi Aristotelis opera omnia enumerata invenies).

[2] *Albertus Magnus* (1193—1280), ex familia comitum de Bollstatt, ob amplitudinem omnifariae doctrinae «Doctor universalis» dictus est. Patavii et Bononiae scholam frequentavit. Ordinem S. Dominici ingressus philosophiae peripateticae peritissimus exstitit. Inter christianos primus ipse in universos Aristotelis libros proprios commentarios exaravit eiusque philosophiam ad theologiae praecepta revocabat. Coloniae professor anno 1245 S. Thomam discipulum habuit. Eius opera (21 voll. in fol.) partim sunt philosophica, partim theologica. Inter praecipua eius opera philosophica nominanda sunt: De anima libri 3, Metaphysicorum libri 12, De causis et processu universitatis.

Aquinas[1], cuius vitam supra (p. XI) exposuimus, *S. Bonaventura*[2], *Ioannes Duns Scotus*[3]. Quos, *S. Doctorem im-*

---

[1] «Sicut magister Albertus Magnus, ita et *S. Thomas* tum commentarios in opera Aristotelis exaravit, tum propria scripta utendo operibus Aristotelis, Platonis, S. Augustini et magistri sui B. Alberti composuit. Inter commentarios ad Aristotelem eminent illi ad libros: De interpretatione, Analytica posteriora, Metaphysica, Physica, Parva naturalia, De anima, Ethica Nicomachi, Politica, Meteororum libri, De caelo et mundo, De generatione et corruptione, inter quos commentarios insertus est tractatus ‚De ente et essentia' et commentarius in ‚Librum de causis'. Ex operibus propriis notari merentur: Commentarius ad librum Sententiarum Petri Lombardi, Quaestiones disputatae, Summa contra gentiles et *Summa theologica.* Accedunt opuscula (De aeternitate mundi, De principiis naturae, De natura materiae, De principio individuationis, De natura generis, De natura accidentis, De intellectu et intellegibili etc.). Praeterea scripsit commentarios in S. Scripturam et conciones. Opera eius in editione Romana ex anno 1570 septendecim volumina in folio comprehendunt» (*Ios. Kachník,* Hist. philos.[2] 68 sq). — De S. D. vita, doctrina, ingenii praestantia egregie scripsit *de Wulf,* Histoire de la philosophie médiévale[4] 400—425. — Cf. etiam ea quae de «aristotelismo» et de philosophia scholastica explanavit *A. Chollet* in encyclopaedia «Dictionnaire de théologie catholique» sub vocab. «Aristotélisme de la Scolastique».

[2] *S. Bonaventura* (Ioannes Fidanza), Balneoregii 1221 natus, 1274 durante concilio Lugdunensi mortuus est. Puer a S. Francisco e gravi morbo mirabiliter recreatus in eius ordinem postea adolescens ingressus est, ubi Alexandro Halensi magistro ad eam doctrinae perfectionem brevi pervenit, ut, septimo post anno, libros Sententiarum Parisiis publice summa cum laude interpretaretur, quos etiam praeclaris postea commentariis illustravit. Vocatur «Doctor seraphicus» et S. Thomae in multis aequiparatur. Eius praecipua opera sunt: Commentarii in Sententias Petri Lombardi; *Breviloquium;* opera mystica: Itinerarium mentis ad Deum, Soliloquium, Lignum vitae, Vitis mystica, alia.

[3] *Duns Scotus,* Hibernus (1266—1308), ex ordine S. Francisci, in rebus tunc temporis controversis S. Doctoris adversarius

primis, vestigiis hic sequemur, cum monentem audiamus libenter Pium X, qui, ut *Modernismi* vitentur pericula, in Litteris Encyclicis *Pascendi dominici gregis:* «Primo igitur», inquit, «ad studia quod attinet, volumus probeque mandamus, ut *philosophia scholastica* studiorum fundamentum ponatur . . . quod rei caput est, philosophiam scholasticam cum sequendam praescribimus, eam praecipue intellegimus, quae a *Sancto Thoma Aquinate* est tradita.»

II. Philosophiae divisio.

Partitio. Septem philosophiae tractatus enumerantur: logica scilicet, critica, ontologia, cosmologia, anthropologia, theodicea, ethica. Quae quidem divisio desumitur ex ipso scopo philosophiae, cuius est perficere et illuminare intellectum humanum secundum cognitionem rationum vel causarum ultimarum rerum. Ut autem secundum hanc rationem intellectus perficiatur, requiritur:

1. ut sciat *recte* uti ratione in iudicando et ratiocinando, quod fit per logicam;

2. ut deinde, investigatione instituta circa *media,* quae homini ad verum inveniendum inserviunt, sciat se posse verum cognoscere, et compertum habeat quibusnam in casibus hoc sibi certo contingat, quandonam vero legitime

---

acerrimus. Propter magnam qua praeditus erat mentis subtilitatem «Doctor subtilis» dictus est. Opus eius praecipuum «Opus Oxoniense» sunt commentarii in Sententias Lombardi. Opera vero eius omnia «Lugduni edita 12 voluminibus constant. Quattuor prima volumina continent commentarios in Aristotelis Logicam, Physicam, Metaphysicam et in librum de anima. Volumen tertium insuper tractatus ‚de rerum principio‘ et ‚theoremata subtilissima‘ comprehendit. Volumen 5—10 est commentarius discipulorum Duns Scoti, vol. 12 exhibet ‚Quaestiones quodlibetales‘» (*Ios. Kachník,* Hist. philos.[2] 74; cf. etiam *Brück,* Kirchengeschichte § 140). — Qui doctrinam Scoti propugnaverunt, *Scotistae* ab eius nomine sunt appellati.

de veritate dubitare sibi liceat. Haec omnia inquirit critica vel criteriologia;

3. ut cognoscat ideas et veritates fundamentales omnium aliarum idearum et veritatum, ens scilicet et quae consequuntur ipsum, quod fit per ontologiam;

4. ut praecipua quoque entia cognoscat, ad quorum contemplationem homo maxime est natus, i. e.

a) naturam et universales leges mundi, unde cosmologia;

b) se ipsum, unde anthropologia;

c) Deum, de quo disserit theologia naturalis vel theodicea;

5. denique ut sciat vitam rationalem secundum cognitiones illas recte instituere, quod fit per philosophiam moralem vel ethicam.

Partium ordinatio.

1. Si ageretur de ordinandis partibus philosophiae *secundum dignitatem* singulorum obiectorum, sine dubio incipiendum esset a theodicea, cuius obiectum, Deus, est certe praestantissimum.

2. Sed agitur hic de ordine instituendo secundum leges, quae regunt mentem humanam in disciplina aliqua *addiscenda.* Qua in re haec duo principia sunt concilianda:

a) In disciplinis tradendis cognitiones earum rerum sunt priore loco evolvendae et stabiliendae, quae aliis necessario praesupponuntur.

b) Salvo priore principio, in disciplinis tradendis a facilioribus est incipiendum.

Iuxta haec duo principia sic igitur progrediendum esse videtur:

Primo loco ponitur logica; nisi enim homo sciat recte uti intellectu, frustra studium altissimarum rerum suscipit.

Deinde de mediis disputandum erit, quibus homo, operationibus rationis recte institutis, utitur ad verum cognoscendum; quod critica perficitur.

Tertio loco tradenda erit ontologia, quia praebet notiones maxime generales, quae in aliis tractatibus intellectae praesupponuntur.

Quarto loco ponitur cosmologia, utpote quae facilior sit et ad anthropologiam quasi manu ducat.

Quinto loco agitur de homine in anthropologia.

Cognita deinde natura omnium rerum mundanarum, per visibilia huius mundi ad invisibilia Dei in theodicea ascendemus.

Ultimo tandem loco tractandum est de ethica, quae alios tractatus omnes praesupponit[1].

Et illa quidem videtur esse ordinatio potius *logica*. Sunt autem qui, priore principio postposito, ordinem quendam *psychologicum* potius instituendum esse autument. Dialecticae enim disciplinae quasi dumeta ipsis esse videntur, quibus tirones in prima philosophiae elementa vix ingressi implicentur, ita ut animo deficiant atque totam philosophiam fastidiant. Unde a *facilioribus* semper incipiendum esse putant atque, notionibus quibusdam propaedeuticis praemissis, primo loco ponunt *cosmologiam*, cuius obiectum minus sit abditum, deinde psychologiam, criteriologiam, ontologicam, theodiceam, logicam, ethicam, quibus addunt philosophiae historiam[2]; alii vero psychologiam anteponunt, logicam vero secundo loco, cosmologiam sexto, theodiceam ultimo loco[3]; alii aliter rem instituunt. Qualis autem ordo pro re praeferendus sit, usu cognitum habebis.

---

[1] Cf. *Lepidi*, Elementa philosophiae christianae I 12 13.

[2] Ita *Mercier*, Traité élémentaire de philosophie I[4] 11 sq; item Logique[5] 27 sq.

[3] Ita *Pius la Scala*, Cursus philosophicus, Parisiis 1910 et 1911.

LOGICA.

PRAENOTIONES.

I. **Logicae definitio.** Logica (λόγος, λογικὴ ἐπιστήμη) est: *scientia* (et ars) *directiva ipsius actus rationis, per quam scilicet homo in ipso actu rationis ordinate et faciliter et sine errore procedat*[1]. Dicitur:

1. *scientia,* i. e. cognitio certa per causas, sicut rem supra (p. 1) explicavimus.

2. *directiva actus rationis.* Logicae enim officium est, ut rationem ad *recte* iudicandum et ratiocinandum dirigat.

Obiectum proinde *materiale*[2] logicae sunt *operationes mentis.* Sub hoc respectu iam differt ab ethica, cuius obiectum materiale sunt operationes voluntatis; item distinguitur ab ontologia, cosmologia, theodicea, quae agunt de cognoscendis rebus extra mentem exsistentibus; immo ab anthropologia, quae non operationes solas hominis sed totum hominem considerat.

Obiectum vero *formale* est *rectus usus* operationum mentis. Qua nota differt ab illa anthropologiae parte, quae de tribus mentis operationibus disserit. Anthropologia enim, ubi de operationibus hominis disputat, non rectum usum sed naturam illarum operationum considerat; quaerit enim utrum sint spirituales an materiales.

3. *per quam scilicet homo in ipso actu rationis ordinate et faciliter et sine errore procedat.* Quae verba priorum

---

[1] *S. Thom.* in l. 1 Poster. analyt. lect. 1.

[2] Cf. supra p. 5, n. 1.

sunt explicativa, cum modum indicent perfectiorem, quo logica, de qua hic agitur, mentem dirigit. Omnis enim homo iam *a natura* habitu quodam innato ad verum inveniendum dirigitur, qui quidem habitus dicitur *logica naturalis*. Sed experientia teste illa aptitudo naturalis in rebus difficilioribus perscrutandis non sufficit. In his enim requiritur, ut reflexione instituta circa modum, quo fiunt operationes mentis nostrae, leges innotescant, quas sequi debemus ad recte iudicandum vel ratiocinandum. Ex hac vero cognitione reflexa et mentis exercitatione oritur habitus quidam perfectior, quo fit ut facilius, brevius tutiusque ad veritatem inveniendam progrediamur. Habitus autem ille perfectior dicitur *logica artificialis*, de qua hic agitur.

Notandum vero est logicam artificialem duplici sensu intellegi posse: distinguunt enim logicam docentem et logicam utentem:

Logica *docens* est complexio praeceptorum vel regularum, quae recte cogitandi et ratiocinandi modum declarant.

Logica vero *utens* est habitus quidam acquisitus, quo mens disponitur ad operationes suas ordinate et facilius eliciendas. Quae logica utens fructus est logicae docentis, cuius praecepta hoc tractatu declaranda suscipimus.

Logica, de qua hic agitur, cum nihil nisi *rectitudinem* operationum rationis consideret, dicitur a multis logica *formalis*[1]. Unde distinguitur a critica, quae in operationibus illis non rectitudinem sed *conformitatem* cum obiectis, i. e. *veritatem*, respicit. Logica e. g. disputat de normis, quibus syllogismus conformandus est, ut sit syllogismus rectus secundum formam, quidquid est de materia circa quam versatur; critica vero disserit de normis, quae adhibendae sunt, ut id, quod syllogismo concluditur,

[1] Cf. *Frick*, Logica[4] 8 et 105.

sit verum. Possunt enim operationes mentis, puta ratiocinium, esse rectae, quin sint verae. Sic syllogismum illum: Omnis homo est rationalis; atqui leo est homo; ergo leo est rationalis — logica tua naturali iam vides esse *recte institutum*, neque tamen *verum*, cum neque secunda neque tertia propositio sit vera.

Quae cum ita sint, critica non raro ut pars quaedam logicae consideratur et dicitur logica *materialis*. Tunc autem logica formalis a praecipua parte, quae de ratiocinio disserit, *dialectica* (διαλέγεσθαι, disputare, disserere) dicitur. Hoc tractatu nos de logica disserimus tantum *formali*, quae presse proinde definiri potest: *scientia regularum, quibus intellectus humanus adducitur, ut in suis operationibus rectum ordinem ponat.*

Logica sic intellecta distinguitur etiam a paedagogia et a methodologia. *Paedagogia* enim est *scientia educationis hominum, praesertim puerorum, secundum totam ipsorum naturam.* Sicut logica ipsa est vel docens vel utens: Paedagogia *docens* est complexio praeceptorum quibus natura huius educationis declaratur, regulae traduntur atque examinantur, media proponuntur; *utens* est habitus quidam acquisitus quo quis disponitur ad educationem illam facilius instituendam. Paedagogia proinde non solum ingenium respicit excolendum sed facultates omnes animae, immo ipsum corpus. Cum vero logica de solis intellectus operationibus disserat iisque recte ordinandis, paedagogia regulis de hoc ordine in logica traditis ad animum *informandum* utitur neque logicis solum disciplinis innititur sed et aliis, psychologicis e. g. vel ethicis [1]. *Methodologia* vero est *scientia rationum et viarum,*

---

[1] Paedagogiae partem illam, quae de regulis *docendi* disserit, *didacticam* vocant («Unterrichtslehre»). Cuius duae distinguuntur partes; altera, quae generaliora docendi tradit principia, didacticae retinet nomen; altera vero, quae diversarum disciplinarum rationes

quibus intellectus in diversis disciplinis ad scientiam consequendam progreditur. Via autem quam mens sequi debet in scientiae adeptione, dicitur *methodus*.

Paedagogia proinde et methodologia disciplinae sunt a logica distinctae; verumtamen cum earum praecepta cum logica arte conectantur atque ad animum excolendum tantum pertineant, res summas quas tradunt loco attingemus atque in uno conspectu ponemus.

Scientiae rationem logicae tribuerunt magni illi sanae philosophiae parentes, qui ut *Sophistarum* [1] captiosa refellerent argumenta, cognitionis theoriam et logicam summo studio colebant; inter quos primus exstitit *Socrates* [2]. Hic

---

et vias investigat, *methodica* dicitur («Spezielle Unterrichtskunde»). Praecipua vero paedagogiae pars de *ipsius educandi pueri facultatibus excolendis* agit («Erziehungslehre»). Cf. *Kehrein-Keller*, Handbuch der Erziehung und des Unterrichts; *Baumgartner*, Pädagogik; *Habingsreither*, Lehrbuch der Pädagogik; *Volkmer*, Elemente der Psychologie, Logik und systematischen Pädagogik.

[1] *Sophistae* primo Graecorum tempore vocabantur homines scientiae et sapientiae *(σοφίας)* studiosi atque amantes, *philosophi*. Saeculo vero quinto ante Ch. n. hoc nomine notabantur *rhetores* illi, ne dicam philosophi, qui, ut ait Cicero (Brutus 8), «docere se profitebantur, arrogantibus sane verbis, quemadmodum causa inferior (ita enim loquebantur) dicendo fieri superior posset». Inter quos nominandi sunt *Protagoras, Gorgias, Hippias*. In rebus investigandis veritatem obiectivam neglegentes id tantum momentum habere sentiebant, quod homo sibi ipse repraesentaret, sive id quod appareret, non vero id quod obiective esset. Unde factum est ut imprimis docerent homines illi, quemadmodum suam quisque opinionem diserte et apte dispositis verbis defenderet, quamvis obiective falsa esset. Argumenta eorum fallacia *sophismata* dicebantur.

[2] *Socrates* natus est Athenis anno 470 (iuxta alios 469) ante Ch. n. Contra Sophistas, qui eius aetate in re philosophica omnia miscebant atque turbabant, hominum studia ad id reducere conatus est, ut potius inquirerent *quid esset veritas* et qua ratione scientia

cum ipsam veritatem imprimis inquireret, sophistis sese opponens subtilitate quadam disputandi refellere eorum instituta solebat. Adhibita enim heuristica illa interrogandi et colloquendi methodo, quae ab eius nomine vocata est «socratica», *definitionem* et eam quae definitionem adducit *inductionem* accuravit. Neque praetermittendus est *Plato* [1], qui non solum definitionibus rectis et inductioni sed etiam divisionibus et deductioni operam dedit. Optime vero de hac re meruit *Aristoteles,* quem patrem scientiae logicae merito appellari supra [2] diximus. Quae

---

veritatis acquiri posset. Doctrinam suam praecipue ad *ethicam* reduxit, cuius investigationis fundamentum primum posuit sui cognitionem secundum illud «*Γνῶθι σεαυτόν*». Socrates nullum scriptum reliquit, sed totam vitam in docendis discipulis secundum methodum illam heuristicam degit. Accusatus quod deos patrios despiceret, cum morte multatus esset, aequissimo animo de rebus philosophicis, imprimis de immortalitate animae, cum discipulis colloquens mortis poculum exhausit (anno 399). Doctrina eius a discipulis, *Platone* imprimis et *Xenophonte,* posteris tradita est.

[1] *Plato,* Aristonis filius, natus est Athenis anno 428 vel 427 a. Ch. n. Viginti annos natus Socratis auditor factus est atque discipulus addictissimus. Socrate mortuo, annos ipse natus 40 Athenis scholam philosophicam instituit, quam «*Academiam*» vocabant a nomine nemorosi cuiusdam suburbani, in quo Plato docuit; unde auditores eius *Academici* dicti sunt. Cum autem dialogica scribendi methodo usus sit, eius opera *dialoga* vocantur, ex quibus Respublica, Phaedo, Phaedrus, Convivium, alia omnibus sunt nota. Plura vero de hac re invenies apud *Kachník,* Historia Philosophiae [2] 30. Mortuus est Plato Athenis annos natus 81 (348 vel 347 a. Ch. n.). Platonis doctrinae in his Elementis saepius mentionem faciemus. Pernota est eius sententia de *ideis,* quas imagines exemplares esse autumat, a materia abstractas, individuas, quae in Deo ante res singulas exsistant.

[2] Cf. supra p. 7, n. 1. Sicut Plato «Academiam», ita Aristoteles in *Lyceo,* suburbano quodam gymnasio, eiusdem nominis scholam instituit, cumque in eiusdem lycei porticu deambulans

quidem aristotelica dialectica, etsi a nonnullis neglecta vel reiecta est, in catholicis tamen scholis semper magni aestimabatur. Immo nostris temporibus multi sunt ex iis qui in re philosophica nobis non sunt coniuncti magni nominis philosophi, qui ad aristotelicam dialecticam reverti coeperunt [1].

II. **Logicae divisio.** Logicae divisio desumitur ex eius fine, qui est rectus ordo ponendus in operationibus mentis humanae. Iam vero experientia cuique compertum est hominem multas veritates, puta conclusiones geometricas vel cognitiones circa Deum, non *immediate* et simplici intuitu intellegere, sed ope alicuius *discursus* mentis, qui dicitur *ratiocinium*. Ad cognoscendum Deum esse amandum sic e. g. progredimur: Omne bonum est amandum; atqui Deus est bonus; ergo Deus est amandus.

Quem discursum, cum sit praecipua et nonnumquam complicatissima mentis humanae operatio, logica maxime attendit, ut leges eius, reflexione instituta, inveniat et declaret. Sed haec reflexio rite et expedite aliter fieri non potest, nisi, analysi prius instituta, diversae examinentur partes huius operationis. Iam vero ratiocinium omne exterius, sive locutione sive scriptura, expressum vel *argumentationem* pluribus videmus constitui *propositionibus*. Sic in exemplo allato tres inveniuntur: Omne bonum est amandum — Deus est bonus — Deus est amandus. Item in eodem exemplo singulas propositiones videmus pluribus constare terminis: Deus — est — amandus.

Sed propositio nihil aliud est nisi signum praeviae alicuius operationis mentis, quae dicitur *iudicium;* item terminus signum est alius mentis operationis, quae dicitur *idea.*

(*περιπατεῖν*) docere soleret, eius auditores *peripatetici* vocabantur, eiusque schola «peripateticae» nomen sortita est.

[1] Cf. *Willems*, Institutiones philosophicae I 10 sq; *Pesch*, Institutiones logicales I 32 sqq. *Kachník*, Hist. Phil.[2] 27 sqq.

Proinde circa tres illas mentis operationes: circa ideam, iudicium, ratiocinium et earum signa: terminum, propositionem, argumentationem in logica investigatio est instituenda et reflexio, ut singulae rite, expeditius, sine errore elici possint; maxime vero, ut mens ad recte ratiocinandum instruatur. Tribus ergo libris dicemus

I. **de idea,** II. **de iudicio,** III. **de ratiocinio.**

Liber I.

DE PRIMA MENTIS OPERATIONE SIVE DE IDEA.

Caput I.

DE IDEIS IN SE IPSIS CONSIDERATIS, UT SUNT IN MENTE.

Articulus I.

NOTIO IDEAE.

§ 1. Quomodo ideas nobis efformemus ostenditur.

I. Experientia teste in rebus extra nos exsistentibus, e. g. in circulo quodam talis coloris, talis magnitudinis, ex tali materia, puta ex ferro, confecto, non solum *tales proprietates* corporales sensibus cognoscimus, ut talem colorem, talem magnitudinem, quae mutari possunt et revera mutantur, quin res percepta, circulus e. g., desinat esse eadem; sed ipsam *rationem* vel *quidditatem* coloris et magnitudinis percipimus; immo in ipsa illa re colorata, magna, ex tali materia confecta apprehendimus aliquid separatum ab omni mutatione, quod concipimus tamquam typum et exemplar aeternum, iuxta quod talis res condita est, et quod dicitur eius **essentia.** Sic in tali circulo, ex tali materia confecto, talis coloris, talis magni-

tudinis, quae mutari possunt, quin circulus desinat esse circulus, concipere possumus aliquid separatum a colore, a magnitudine, ab omni materia lignea vel ferrea vel aurea, et hoc unum *intueri* possumus: *habitudinem inter extrema et medium, secundum quam extrema circuli debent aequaliter a medio distare.* Haec circuli in mente repraesentatio dicitur **idea** circuli, quae valde diversa est ab imagine alicuius circuli in pariete e. g. depicta vel in imaginatione phantasmate quodam repraesentata.

II. Ad hanc vero ideae efformationem item experientia teste scimus plures actus concurrere, inter quos

1. praecipuus est **abstractio**, i. e. *illa mentis operatio, qua ex pluribus natura sua coniunctis unum sine altero considerat,* i. e. unum ab altero quasi separat et amovet, non ut ipsum neget, sed ut ad ipsum non attendat.

Sic in efformanda idea circuli mens removet vel abstrahit omnes proprietates, quae sensu percipiuntur, ut unice essentiam vel quidditatem circuli consideret.

Sunt tamen in abstractione illa perfectionis gradus admittendi, secundum quos distinguantur ideae aliae aliis perfectiores.

a) Quandoque enim intellectus res corporeas apprehendit cum qualitatibus sensibilibus, *neglectis tantum notis determinantibus vel individuantibus,* ut cum intellegimus lucem, colorem, arborem, equum, alia eiusmodi in genere. Talis abstractio dicitur *physica,* ideae autem tali abstractione formatae ideae physicae dicuntur.

b) Quandoque vero intellectus abstrahit *ab omnibus qualitatibus sensibilibus* neque quicquam retinet nisi *quantitatem intellegibilem,* non autem sensibilem, deficientibus qualitatibus, quibus quantitas sensu percipi possit, colore scilicet vel duritie vel aliis eiusmodi qualitatibus. Haec abstractio dicitur *mathematica,* idea vero sic abstracta idea mathematica. Tales sunt e. g. idea lineae, trianguli, circuli etc.

c) Saepenumero denique intellectus separat a rebus corporeis quidquid proprium est entibus materialibus, ut *ea sola retineat, quae entibus immaterialibus aeque conveniunt atque entibus materialibus.* Et haec quidem perfectissima abstractio dicitur *metaphysica;* idea vero, quae ope huius abstractionis exprimitur, idea metaphysica. Tales sunt notiones entis, unitatis, veritatis, bonitatis, substantiae, accidentis etc.

2. In efformandis vero ideis mens non solum abstrahit proprietates corporales, ut quidditatem rerum corporalium percipiat, sed etiam **reflectendo, comparando, componendo** res omnino spirituales apprehendit, ut ad naturam animae, immo ad ipsam Dei naturam cognoscendam assurgat. Sic distinguimus reflexionem, comparationem, synthesim. Est autem *reflexio:* «*conversio mentis in subiectum proprium eiusve actus vel affectiones*»; *comparatio:* «*actus, quo mens ad plures (sive res sive) ideas attentionem dirigens earum inter se relationes inquirit*»; *synthesis:* «*actus, quo mens plures ideas in unam componit (seu plures conceptus obiectivos in unum conceptum obiectivum)*» [1].

§ 2. De idearum elementis constitutivis vel partibus.

Singulae ideae nostrae, etsi sub diversis respectibus, considerari possunt ut totum aliquod resultans ex partibus, ita ut distinguamus in ipsis earum *comprehensionem* et earum *extensionem.*

I. Vel enim consideramus in ideis *diversa elementa,* quibus constituuntur, sive elementa illa sunt realiter distincta in rebus quas manifestant, sive non. Sic idea hominis constituitur his elementis: ens subsistens, corporeum, vivens, sentiens, *rationale;* idea animalis bruti: ens subsistens, corporeum, vivens, *sentiens.* Quae quidem

---

[1] Cf. *Frick,* Logica [4] 12.

elementa dicuntur *notae,* eo quod notificant nobis rem ipsam et definiri possunt: obiecti proprietates idea manifestatae. *Complexio vero vel summa notarum, quibus constat aliqua idea,* dicitur eius *comprehensio.*

II. Vel consideratur non quidem complexio notarum, quas manifestat aliqua idea, sed summa entium, quibus haec notarum complexio convenit, et quae proinde hac idea repraesentari possunt. Sic idea hominis convenit Petro, Paulo, Iacobo, omnibus et singulis hominibus, idea animalis omnibus hominibus et omnibus animalibus brutis etc. *Summa vero vel complexio entium, quae aliqua idea manifestari possunt,* dicitur huius ideae *extensio.*

Notandum:

1° *comprehensionis et extensionis inversam esse rationem.* Id est: Crescente comprehensione minor fit ideae extensio, crescit vero extensio decrescente comprehensione. Res ex exemplis supra allatis facili negotio perspicitur. Ratio vero in eo est, quod nova nota superaddita reddit obiecti repraesentationem magis determinatam et proinde *distinctam* ab illis, quae antea propter indeterminationem priore idea continebantur.

2° *comprehensionem esse aliquid ideae intrinsecum,* i. e. ipsam naturam ideae constituens. Proinde nec augeri nec minui potest, quin idea desinat esse eadem. Sic si a notione hominis — ens, subsistens, corporeum, vivens, sentiens, rationale — notam rationalitatis removeris, non hominis, sed animalis bruti ideam habebis.

3° *extensionem vero esse aliquid ideae extrinsecum,* i. e. ad naturam ideae non pertinens. Proinde augeri vel minui potest numerus entium actualium, ad quae referri potest idea, integra semper manente in sua natura hac ipsa idea. Sic eadem erat idea hominis, quando Adam solus erat his in terris, ac nunc, cum multi sunt homines actualiter exsistentes.

§ 3. Idea definitur.

I. *Ideae nomen* derivatur a graeca voce εἶδος (imago), quia est rei intellectae quaedam repraesentatio. Dicitur etiam *notio,* quatenus est ratio, qua ipsa res menti innotescit; *apprehensio,* quia res hac ratione intellectu quasi apprehenditur, capitur[1]; *conceptus,* a voce concipiendi. Distinguitur autem conceptus subiectivus et conceptus obiectivus. Idea considerata secundum quod est *actus ipsius mentis* dicitur *conceptus subiectivus,* considerata vero secundum *obiectum* quod exprimit dicitur *conceptus obiectivus.*

---

[1] Sunt qui *ideam* ab *apprehensione realiter* distingui contendant, ita ut idea non sit eadem res ac apprehensio. Cuius sententiae rationem ex his S. Doctoris verbis imprimis desumunt: «Differt autem (verbum mentis, i. e. idea) ab actione intellectus, quia praedicta conceptio *consideratur* ut *terminus* actionis et *quasi quoddam* per ipsam constitutum. Intellectus enim sua actione format rei definitionem vel etiam propositionem affirmativam seu negativam. Haec autem conceptio intellectus in nobis proprie verbum dicitur» (De pot. q. 8, a. 1). — Sed haec verba *aliquam* quidem distinctionem esse inter ideam et apprehensionem declarant; *qualis* autem sit illa distinctio, utrum sit distinctio inter *rem* unam et rem aliam an sit distinctio inter *conceptum* unum et conceptum alium *unius* et eiusdem rei, clare non ostendunt. Immo distinctionem realem S. Doctorem affirmare noluisse, clare apparet ex eius loquendi modo: ideam dicit «*considerari*» ut terminum actionis, esse «*quasi quoddam*» per ipsam constitutum . . ., ita ut in favorem nostrae sententiae haec verba aequo iure adduci possint. Idea enim, si *consideratur* ut *actio* quaedam intellectus, dicitur apprehensio; si consideratur ut terminus huius actionis («in facto esse»), dicitur idea vel verbum mentis. Neque enim concipi potest, quid sit illa *realitas* ideae a realitate apprehensionis distincta. Ultro tamen concedimus esse posse realem distinctionem inter ideam et actionem intellectus, si huius vocis vis latior intellegitur, ita ut ad ipsam «propositionem affirmativam seu negativam» significandam adhibeatur. Esse enim distinctionem realem inter ideam et propositionem nemo est qui neget.

II. Idea proinde vel notio definitur: *simplex quidditatis alicuius rei repraesentatio in intellectu.* Dicitur:

simplex repraesentatio, ut distinguatur idea vel simplex apprehensio a iudicio et ratiocinio. Idea enim res simpliciter nobis repraesentamus, *quin de ipsis quicquam affirmemus vel negemus;*

quidditatis alicuius rei, ut indicetur totum obiectum huius apprehensionis, quae se extendit ad res materiales et spirituales (p. 21 sqq);

in intellectu, i. e. non in phantasia, ut distinguatur notio vel *idea proprie dicta* ab imagine vel phantasmate in phantasia producta. Alia enim est idea hominis ab intellectu concepta, alia imago hominis phantasia repraesentata vel in alio sensu exsistens.

1. Imago enim in *sensu* exsistens repraesentat exteriora rerum corporalium, qualia hic et nunc in re corporea exsistunt materialiter. Sic visu repraesentatur *talis* color, *talis* figura etc., *idea* vero repraesentatur *ipsa quidditas* illarum qualitatum, i. e. quid sit color et figura in genere, et quidditas rerum ipsarum, quae talibus proprietatibus insignitae sunt.

2. Praeterea *imagine sensu* percepta non nisi ea, quae in *ordine corporali* sunt, repraesentari possunt, non autem ea, quae hunc ordinem transcendunt, *idea* vero repraesentari possunt rationes quaedam abstractae, quae pertinent sive ad res corporales sive ad *res spirituales,* immo res omnino spirituales.

Articulus II.

DE VARIIS IDEARUM PARTITIONIBUS.

§ 1. **Ratione originis.**

Dividuntur ideae in intuitivas et abstractivas.

I. Idea *intuitiva* ea est, qua rem cognoscimus secundum imaginem, quam res ipsa *immediate* cognoscenti im-

primere solet. Sic intuitivae sunt ideae rerum mundanarum, quas nos circumstantes videmus.

II. Idea *abstractiva* est idea, qua rem cognoscimus non immediate in se, sed *interveniente imagine alius rei.* Sic Deum cognoscimus non intuitive sed abstractive, quia Deum his in terris non immediate intuemur, sed interveniente imagine huius mundi nobis repraesentamus. Vocatur etiam haec idea non raro idea *analoga*, non propria.

§ 2. Ratione perfectionis repraesentationis.

Secundum perfectionem, qua ideae res manifestant, dividuntur:

I. in explicitas et implicitas.

Idea *explicita* (cognitio explicita) ea est, quae rem ipsam directe exhibet *propriis notis* apprehensam.

Idea *implicita* ea est, quae rem indirecte indicat *interveniente aliqua relatione,* qua cum alterius conceptus obiecto *coniuncta est:* ita idea explicita filii patris ideam implicat, et vicissim; idea legis implicat legislatoris ideam; creaturae idea, creatoris; effectus, causae ideam [1].

II. Idea explicita dividitur in claram et obscuram; clara in distinctam et confusam; distincta in adaequatam et inadaequatam; adaequata in comprehensivam et apprehensivam.

Clara est idea, quae tot notas exhibet, quot requiruntur, ut *ab alia idea distingui* possit. Secus, i. e. si ab alia distingui non potest, *obscura* est.

Idea clara dicitur *distincta*, quando notae, quibus constat idea, sic exhibentur, ut mens *alias notas ab aliis in eadem idea distinguere* et proinde eas enumerare possit: sic claram ideam hominis aliquis habere potest, ita ut ipsum ab animali bruto distinguat, quin tamen diversas

---

[1] Cf. *Pesch,* Inst. log. I 244 245.

notas, quibus ab animali homo differt, alias ab aliis distinguere et enumerare possit. Idea non distincta dicitur *confusa.*

Quodsi omnes notae sic distingui et enumerari possunt usque ad ultimas, idea dicitur *adaequata,* cui opponitur idea *inadaequata.*

Idea denique adaequata dicitur *comprehensiva,* quando *totam obiecti intellegibilitatem ita exhaurit,* ut omnes eius perfectionis gradus omnesque relationes actuales et possibiles clara manifestatione repraesentet. Quam repraesentationem non nisi in intellectu infinito esse posse res est manifesta. Idea adaequata non comprehensiva dicitur *apprehensiva* [1].

§ 3. Ratione comprehensionis.

Sub respectu comprehensionis ideae dividuntur:

I. in complexas et incomplexas.

Complexa ea est idea, quae plures essentias manifestat, i. e. essentiam aliquam et aliquid aliud ipsi superadditum: cuiusmodi est idea hominis docti vel philosophi.

Incomplexa est idea, qua unica essentia repraesentatur; quamvis ipsa fortasse in plures notas resolvi possit: talis est idea entis, idea hominis etc. Omnis idea complexa eo ipso est etiam idea composita. Sed idea *incomplexa* potest esse vel composita vel simplex.

Idea *composita* est, quoties in plures notas resolvi potest, e. g. idea hominis.

Simplex, si unica tantum nota constat, e. g. idea entis.

II. in concretas et abstractas.

Concreta est idea, quae subiectum manifestat cum sua determinatione (forma): homo e. g. vel sapiens — aliquis (subiectum), qui habet humanitatem (talem formam); aliquis, qui fruitur sapientia.

---

[1] Cf. *Lehmen,* Lehrbuch der Philosophie I [3] 29 30.

Abstracta ea est, quae formam vel determinationem exhibet veluti separatam ab omni subiecto: e. g. humanitas, sapientia.

§ 4. Ratione extensionis.

Sub hoc respectu ideae dividuntur in singulares, universales, particulares.

I. *Singulae definiuntur.*

Idea *singularis* ea est, quae manifestat aliquid talibus notis affectum, ut non nisi de hoc uno praedicari possit. Hoc autem unum talibus notis affectum dicitur *individuum*, quod a S. Doctore definitur: Quod est in se indistinctum, ab aliis vero distinctum [1]: talis est e. g. idea Socratis vel huius hominis.

Notae vero individuum manifestantes vel *notae individuantes* hoc versiculo vulgo exprimuntur:

> Forma, figura, locus, tempus, stirps, patria, nomen,
> Haec ea sunt septem, quae non habet unus et alter.

Idea *universalis* est idea exhibens aliquid unum, quod pluribus inesse et de pluribus *et de singulis* praedicari potest: idea circuli e. g. in genere, non huius circuli.

Idea *particularis* medium tenet inter ideam universalem et singularem; nihil aliud est nisi idea universalis partim et indeterminate sumpta: e. g. aliqui homines, aliquis circulus.

II. *Idea universalis uberius explicatur.*

Ideam universalem eam esse diximus, quae unum aliquid repraesentat, quod de pluribus et de singulis praedicari potest. Non est proinde confundenda cum idea *collectiva* (idea exercitus, familiae etc.), quae de pluribus quidem praedicatur, sed *non de singulis:* idea exercitus e. g. praedicatur de pluribus quidem hominibus, sed non

---

[1] S. theol. 1, q. 23, a. 4 c.

de singulis; aliis verbis: idea universalis convenit singulis *distributive,* idea collectiva non nisi *collective,* i. e. omnibus simul sumptis. Praeterea idea collectiva non est necessario universalis, sed potest esse singularis (haec familia, hic exercitus) vel universalis (omnis exercitus) vel particularis (aliqui exercitus).

Singula obiecta, quibus idea universalis convenit et de quibus praedicari potest, dicuntur eius *inferiora* vel *subiecta.*

Idea universalis ratione comprehensionis duplex generatim distinguitur: idea universalis reflexa et universalis directa.

Idea universalis *reflexa* (universale secundae intentionis vel logicum) ea est, quae rationem aliquam pluribus rebus communem manifestat, **quatenus** *pluribus convenit vel convenire potest.* Eiusmodi proinde idea duo revera manifestat. Primo enim exprimit rationem quandam abstractam et universalem, puta rationem abstractam hominis (animalitatem et rationalitatem); deinde, ex reflexione instituta, *modum* insuper manifestat, quo ratio haec abstracta est universalis. In exemplo allato idea universalis hominis reflexa non solum manifestat notas «animalitas» et «rationalitas», sed insuper exprimit modum, quo «animalitas» et «rationalitas» omnibus hominibus conveniunt scilicet ut essentia illorum vel species.

Idea universalis *directa* (universale primae intentionis vel metaphysicum) ea est, quae quidditatem alicuius rei manifestat quidem a condicionibus individuantibus abstractam, ita ut pluribus convenire possit, *non autem* **quatenus** *pluribus rebus revera communem.*

1. De universali reflexo.

Eius divisio. Cum idea universalis reflexa rationem aliquam pluribus convenientem manifestet formaliter secundum modum, quo pluribus convenit, quaeri potest *quinam sint modi generaliores, secundum quos mens rationem*

quandam universalem inferioribus convenire perspicere possit, vel brevius: quinam sint modi generales, secundum quos una notio de alia praedicari possit. Modi autem illi generaliores, secundum quos una notio de alia vel de aliis praedicari potest, sunt quinque, qui dicuntur **praedicabilia.** Universale proinde, sub hoc respectu consideratum, dividitur in quinque praedicabilia, quae sunt: species, genus, differentia specifica, proprium, accidens.

Species est notio universalis, quae de pluribus praedicatur ut *eorum essentiam completam constituens:* sic notio animalis rationalis vel hominis praedicatur de Petro et de Paulo ut eorum species.

Genus est notio universalis, quae de pluribus speciebus praedicatur et proinde de illarum specierum inferioribus ut *partem essentiae constituens,* illam scilicet, *quam habent communem:* notio animalis e. g. praedicatur de homine et de animali bruto ut genus.

Differentia specifica est notio universalis, quae de pluribus praedicatur ut *partem essentiae constituens, qua differunt* ab aliis, quibuscum habent genus commune: talis est notio rationalis in homine, irrationalis in brutis.

Proprium est notio universalis, quae de pluribus praedicatur ut aliquid non essentiam quidem constituens, sed *ab ipsa essentia iam integre constituta* **necessario** defluens; esse risibile e. g. in homine.

Accidens est notio universalis, quae de pluribus praedicatur non ut ad ipsa necessario pertinens, sed ut essentiae iam integre constitutae *ita superveniens, ut possit in ipsa adesse vel abesse:* actus ratiocinandi, cogitandi, legendi in homine.

Generum et specierum subordinatio. Notiones universales ita inter se subordinantur, ut, quae sunt genera relative ad sua inferiora, ea sint species relative ad aliam ideam magis universalem, quae proinde est genus superius, et ita porro, donec ad genus aliquod supremum per-

veniatur. Item, quae sunt species alicuius generis, ea fiunt genera relative ad sua inferiora, quae sunt ipsorum species, et sic usque dum ad speciem aliquam perveniatur infimam. Quare distinguunt genus supremum, genus medium, genus infimum; item species distinguitur suprema, media, infima.

Genus *supremum* illud est, quod sub nullo alio genere continetur.

Genus *medium* supra se et infra se genera habet.

Genus *infimum* sub genere continetur, sed sub se non habet genera, sed tantum species.

Species *suprema* illa est, quae continetur sub genere supremo.

Species *media* supra se et infra se habet species.

Species *infima* vel *species proprie dicta* ea est, quae non habet sub se species alias, sed tantum individua.

Quodsi genus consideratur relative ad speciem aliquam, distinguunt genus remotum et genus proximum.

Genus *remotum* illud est, sub quo species, de qua agitur, continetur mediantibus aliis generibus.

Genus *proximum* est illud, sub quo species, de qua agitur, *immediate* continetur: animal relative ad speciem hominis. Res exemplo illo a Porphyrio (saec. III p. Ch. n.) excogitato illustrari potest:

ARBOR PORPHYRIANA.

Substantia (genus supremum)

---

incorporea — corporea = corpus (spec. supr., gen. med. et remot. relat. ad «homo»).

---

inorganica — organica = vivens (spec. media, gen. med. et remot. relat. ad «homo»).

---

sensu carens — sentiens = animal (spec. media, gen. infim. et proxim.).

---

brutum — rationale = homo (spec. infima vel propr. dicta).

Petrus et Paulus (individua).

2. *De universali directo.*

Universale directum ex iis, quae supra diximus, scimus quidditatem rerum manifestare formaliter **non ut** *pluribus rebus communem*, sed tantum secundum modum essendi, quem res habent extra mentem in se ipsis. Notio universalis animalis e. g. ut universale directum animal non manifestat ut genus hominis et animalis bruti, sed tantum ut ens subsistens, corporeum, vivens, sentiens. Manifestat proinde diversos modos essendi, secundum quos res exsistunt vel exsistere possunt in rerum natura, vel etiam aliis verbis: manifestat diversas attributiones, quae de rebus praedicari possunt, cum universalia reflexa formaliter manifestent diversos modos, secundum quos illae attributiones praedicari possunt.

Iam vero quaeri potest, *quaenam sint suprema genera modorum, secundum quos res* **in natura exsistere possunt.** Suprema autem illa genera, sub quibus omnia alia genera vel species essendi modorum continentur, a Graecis **categoriae,** a Latinis **praedicamenta** dicta sunt. Ab *Aristotele*[1] decem enumerata sunt, *substantia* scilicet et novem *accidentia*, quae sunt: *quantitas, relatio, qualitas, actio, passio, ubi, quando, situs, habitus.*

Memoriae adiuvandae gratia his versibus traduntur:

Arbor sex servos ardore refrigerat ustos
(substantia, quant., relatio, qualitas, actio, passio)
Ruri cras stabo, sed tunicatus ero
(ubi, quando, situs, habitus).

Substantia est ens, cui convenit esse in se, non autem in alio, tamquam in subiecto: e. g. arbor, homo.

Accidens autem est ens, cui convenit esse non in se, sed in alio, tamquam in subiecto: actio e. g. talis est,

[1] Cf. supra p. 7, n. 1.

ut ipsi conveniat esse in alio, i. e. in substantia quadam, e. g. in homine.

Sed harum omnium notionum explanatio uberior fiet in Ontologia. Quaenam vero sit inter accidens *praedicabile* et accidens *praedicamentum* differentia, ex dictis circa praedicabilia et praedicamenta in genere facile colligi potest.

§ 5. Ratione diversarum relationum, quas habent inter se.

Ideae dividuntur:

I. in identicas et diversas.

Identicae sunt ideae, quarum comprehensio est eadem: idea hominis et idea animalis rationalis sunt ideae identicae.

Ideae *diversae* eae sunt, quarum comprehensio non est eadem: idea hominis et idea animalis sunt ideae diversae.

II. Duae ideae non-identicae possunt esse sociabiles vel insociabiles.

Sociabiles sunt duae ideae, quando notae earum tales sunt, ut in unam ideam compositam convenire possint: idea animalis e. g. et idea rationalis sunt duae ideae sociabiles, item idea dulcedinis et albedinis.

Insociabiles vel *repugnantes* sunt ideae, quarum notae in unam compositam ideam convenire non possunt, quia sibi opponuntur. Potest autem oppositio, ex qua oritur idearum repugnantia, esse quadruplex: contradictoria, privativa, contraria, relativa.

Contradictoria oppositio, quae omnium maxima est, inter duas ideas locum habet, quando una idea id praecise tollit, quod altera in sua comprehensione ponit. Tales ideae *nihil habent commune:* huiusmodi sunt idea entis et idea nihili, albi et non-albi. «Contradictorie opposita non habent medium», i. e. non est in ipsis ulla nota, quae manere possit, si ambo removentur.

Privativa oppositio est inter duas ideas, quando una ponit perfectionem, altera ipsam tollit *in subiecto apto* ad illam habendam: tales sunt ideae visus et caecitatis, mortis et vitae. Habent medium huiusmodi opposita, saltem in subiectis aliis non aptis.

Contraria oppositio est inter duas ideas, quae sub eodem genere positae maxime vel saltem ut duo positiva (ens aliud et ens aliud, non autem ens et non-ens) differunt: prodigalitatis e. g. et avaritiae ideae sunt duae ideae contrariae. Huiusmodi opposita possunt habere medium.

Relativa oppositio, quae omnium minima est, viget inter duas ideas, quae, etsi insociabiles sunt, talem tamen ordinem sive respectum habent ad invicem, ut *una sine altera concipi non possit*, immo altera alteram explicet, quia unius cognitio alterius cognitionem implicat (pater, filius).

Caput II.

DE IDEA EXTERIUS EXPRESSA SIVE DE TERMINO.

Articulus I.

DE DEFINITIONE TERMINI.

Terminus definitur: *signum sensibile arbitrarium notionum manifestativum.* Dicitur:

I. *signum.* «Signum est, per quod aliquis devenit in cognitionem alterius.»[1] Signum proinde dicitur res omnis facultati cognoscitivae aliud a se manifestans. Duplex distinguitur: formale et instrumentale.

Signum *formale* est res ducens in cognitionem alterius *vi similitudinis:* pictura e. g. est signum formale sui prototypi.

---

[1] *S. Thom.,* S. theol. 3, q. 60, a. 4.

Signum *instrumentale* est res omnis ducens in cognitionem alterius *vi cuiuslibet conexionis alius ac similitudinis:* laurus e. g. quoad victoriam. Est autem illud signum: vel naturale vel arbitrarium.

Naturale dicitur signum, quando conexio illa oritur *ex natura rerum:* fumus v. g. quoad ignem.

Arbitrarium vero est, quoties nexus ille *hominum arbitrio* inductus est: laurus e. g. signum victoriae arbitrarium est. Unde patet cur terminus dicatur

II. *arbitrarium.* Ut enim vox equi e. g. ab aliquo homine prolata alium inducat in cognitionem animalis huius determinati et non alius rei, puta arboris, hominum arbitrio unice institutum est.

III. *sensibile,* i. e. aliquo modo sensibus corporis apprehensibile.

Si *auditu* perceptibile est, dicitur terminus *vocalis, vocabulum* vel *locutio,* quae definitur: *vox articulata ex hominum institutione ideam manifestans.* Dicitur:

1. *vox,* i. e. sonus animalis ore prolatus.

2. *articulata,* i. e. hominum ore artificiose ita prolata in varias flexiones et partes, ut sint quasi totius soni alicuius articuli vel membra.

Si *visu* praesertim perceptibile est, dicitur terminus *scriptus* vel *scriptura.*

IV. *notionum manifestativum.* Quibus verbis indicatur differentia specifica, qua terminus distinguitur ab omnibus aliis signis sensibilibus, quae non ideas, sed alias affectiones animi manifestant, e. g. a cachinnatione vel ploratu.

Notandum tamen terminorum munus non in eo tantum esse, ut ideas manifestent, sed etiam ut res ipsas ideis conceptas exprimant. Vox solis e. g. non exprimit ideam solis tantum, sed ipsum solem quatenus cognitum. «Voces referuntur ad res significandas mediante conceptione intellectus.»[1]

[1] *S. Thom.,* S. theol. 1, q. 13, a. 1.

Omnibus praeterea manifestum est vocabula ad id maxime nobis inservire, ut *aliis* ideas nostras manifestare possimus. Rem vero maturius perspicienti non minus clare apparebit nos etiam *nobismet ipsis locutione quasi interna* ideas exprimere. Et ad hanc locutionem in praxi sedulo attendendum est: aliis enim clare ideas exprimere non poterit, nisi qui sibimet ipsi illas prius nitide expresserit[1].

Articulus II.
DE TERMINORUM PARTITIONIBUS.

§ 1. Secundum determinationem plus minusve perfectam significationis termini.

Dividuntur in univocos, aequivocos, analogos.

Terminus *univocus* ille est, qui *secundum eandem constanter rationem* de suis significatis dicitur: terminus hominis e. g., quatenus diversos homines significat, est terminus univocus.

Terminus *aequivocus* ille est, qui secundum rationes *omnino diversas* de suis significatis dicitur: canis e. g., qui dicitur de animali et de sidere, liber (libri) et liber (liberi) sunt termini aequivoci.

Terminus *analogus* ille est, qui secundum rationem *nec omnino eandem nec omnino diversam* de suis significatis dicitur: sanum e. g., quod dicitur de corpore et de medicina, terminus est analogus.

I. Quando eadem vox ad plura non omnino eadem significanda adhibetur propter quandam similitudinem inter ipsa vigentem, analogia dicitur analogia *proportionis:* sic ridere dicitur de prato per quandam analogiam proportionis ad risum hominis.

II. Quando autem haec eadem vox usurpatur, quia ad idem relationem habet, etsi diverso modo, analogia

---

[1] Cf. *Mercier,* Logique[5] 105.

dicitur *attributionis:* sic medicina dicitur sana propter relationem causalitatis, quam habet cum sanitate hominis; sic etiam dira dicitur cuspis, quae diritati inservivit Iudaeorum [1].

Termini analogi proinde duplicem habere possunt sensum: sensum proprium et sensum improprium vel metaphoricum.

Sensus *proprius* ille est, quem terminus habet *primario* ex hominum instituto: sic ridere sensu proprio dicitur de homine.

Sensus *improprius* vel *metaphoricus* ille est, quem terminus habet secundario propter similitudinem vel relationem, quam res significata habet cum alia, de qua proprie dicitur: sic metaphorice (sensu metaphorico) ridere dicitur de prato, dirum esse de cuspide.

§ 2. Secundum comprehensionem ideae significatae.

Dividuntur:

I. in positivos et negativos.

Terminus *positivus* ille est, qui *rem* (affirmationem) significat: homo, animal, scientia.

Terminus *negativus* ille est, qui *negationem* vel privationem alicuius rei significat: ignorantia e. g.

Notandum terminum negativum non necessario negationem *entis* vel *perfectionis* significare, sed imprimis *negationem* alicuius rei sive perfectionis sive imperfectionis. Unde fieri potest, ut terminus negativus nihil nisi perfectiones significet. Eiusmodi sunt termini negativi omnes, qui negationem negationis vel privationis significant: infinitus, immensus.

Non raro in disciplinis philosophicis, praesertim logicis, conficiuntur termini quidam negativi ex eo quod particula *non* alii termino praefigitur: e. g. non-homo, non-avis.

---

[1] In hymno ad matut. off. SS. Cordis D. N. I. Chr.

Termini illi negativi dicuntur *indefiniti*, quia usurpari possunt ad indefinite multa significanda. Non-homo e. g. non idem est ac animal vel planta, sed indeterminate sumitur pro iis omnibus, quae praeter hominem cogitari possunt. Eiusmodi autem significata sunt indefinite multa cogitabilia.

II. in *concretos* (ut terminus «homo»), qui ideas concretas, et *abstractos* (ut terminus «humanitas»), qui ideas abstractas significant (p. 28 sq).

III. in incomplexos et complexos.

Terminus *incomplexus* ille est, qui uno vocabulo constans unam ideam sive complexam sive incomplexam manifestat: ens, homo, philosophus.

Terminus *complexus* ille est, qui pluribus vocibus constans unam ideam exprimit complexam, distincte scilicet rem significando et aliud quid ipsi superadditum: homo mortalis, homo philosophus[1].

In termino complexo vocabulum rem significans dicitur terminus *principalis*, aliud vel complexio aliorum, *incidens*.

Terminus incidens, si ideae termino principali expressae convenit secundum totam eius extensionem, dicitur *explicativus*: homo mortalis; si non secundum totam eius extensionem convenit, *restrictivus* vocatur: homo philosophus; homo, qui dormit.

§ 3. Secundum extensionem ideae significatae.

Dividuntur in singulares, particulares, universales, prout ideam singularem, particularem, universalem exprimunt.

Terminus *singularis* est:

---

[1] Sunt tamen termini quidam *pluribus vocibus* constantes, qui ideam exprimunt *incomplexam*, ut «Marcus Tullius Cicero», «animal rationale»: sunt complexi *voce* sed non *re*. Cum eiusmodi termini in disciplinis logicis nihil sint momenti quatenus complexi, terminos complexos eos tantum hic consideramus, qui *voce et re* sunt complexi.

vel terminus *proprius,* qui non nisi de uno dicitur: Socrates, Roma;

vel terminus *communis* (qui de pluribus et de singulis dici potest), cui additur pronomen demonstrativum (hic homo), vel terminus qualiscumque incidens restrictivus, extensionem ad unum restringens (liber Petri, liber quo utor). Non raro etiam ex solo orationis contextu terminus communis ut singularis satis clare apparet.

Terminus *particularis* est terminus communis, qui vel ex ipso contextu vel ex addito signo particularitatis (aliqui, plerique, pars quaedam etc.) particularis fit.

Terminus *universalis* item vel ex signis universalitatis (omnis, nullus) vel, numero plurali adhibito, ex contextu dignoscitur.

De termino vero *collectivo,* qui ideam collectivam exprimit, illud idem monendum est, quod supra de idea collectiva declaravimus.

Articulus III.

DE USU TERMINORUM.

§ 1. De suppositione terminorum.

I. **Notio.** Suppositio (a sub et ponere, quia est vocis alicuius pro re significanda positio) est: *termini pro re aliqua significanda usurpatio.*

Termini *suppositio* non est idem ac termini *significatio.* Haec enim est vis, quam habet terminus, aliquid a se distinctum intellectui proponendi. Quae vis, cum ad plura intellectui proponenda sese extendere possit, termino tribuit, ut ad plura significanda ipse *usurpari* possit. Est autem suppositio ipsa illa termini *usurpatio,* ad vim significandi exserendam.

Diversa terminorum significatione vel *vi* significandi fit, ut ad diversa *realiter* significanda usurpari, *supponi*

possint hi termini. Unde diversae terminorum suppositionum species.

II. **Species.** Suppositio est

1. *materialis:* termini usurpatio pro se ipso significando: v. g. «homo» est vox duarum syllabarum; in hac propositione homo supponitur materialiter;

2. *formalis:* termini usurpatio pro re significanda: v. g. homo est animal rationale.

Suppositio formalis est:

a) *logica:* termini usurpatio pro re significanda secundum modum essendi, quem habet a mente: homo est species, homo est subiectum;

b) *realis:* termini usurpatio pro re significanda secundum modum essendi, quem habet in se, independenter a mente: v. g. homo est animal rationale.

Suppositionis realis plures a logicis enumerantur species. Ad extensionem vero ideae significatae attendentes ipsam dividere possumus in collectivam et distributivam.

Collectiva est termini communis usurpatio pro inferioribus *simul* sumptis: v. g. Omnia sacramenta sunt septem, Apostoli erant duodecim.

Distributiva est termini communis usurpatio pro inferioribus *singulatim,* i. e. seorsum sumptis: v. g. Omnia sacramenta a Christo sunt instituta, Omnes apostoli sunt sancti.

Distributiva denique suppositio est vel completa vel incompleta:

completa, si usurpatur pro singulis *individuis* significandis: v. g. Omnia sacramenta a Christo sunt instituta;

incompleta, si usurpatur tantum pro singulis *generibus* vel *speciebus* significandis: v. g. Omne animal terrestre fuit conditum die sexto.

§ 2. De terminorum appellatione.

I. **Notio.** Appellatio est: *applicatio notionis uno termino significatae ad rem alio termino significandam.* Quando e. g. dicitur philosophus bonus, fit appellatio, i. e. notio termino boni significata applicatur ad philosophum. Terminus, qui applicatur, dicitur appellans; terminus vero, cui alter applicatur, appellatus vocatur.

II. **Species.** Duplex distinguitur appellatio: materialis scilicet et formalis. Appellatus enim potest esse terminus concretus et tunc duo semper significat: subiectum aliquod et formam aliquam subiecto inhaerentem. Philosophus e. g. significat *aliquem hominem* (subiectum), qui habitum habet philosophiae (formam). Subiectum porro dicitur *materiale significatum,* forma vero *formale significatum.* Unde duplex illa oritur appellationis species:

Materialis est appellatio, quoties appellans applicatur *materiali significato.* In exemplo supra allato applicatio materialis est, si intellegitur: aliquis homo bonus, qui habitum habet philosophiae.

Formalis autem est appellatio, quoties appellans *formali significato* applicatur. Si intellegitur: aliquis homo, qui habet *bonum habitum philosophiae,* appellatio formalis est.

Sensus vero, secundum quem fit appellatio, dignoscitur vel ex ipso contextu vel expressa declaratione, ope alicuius ex his locutionibus: quatenus, ut, formaliter ut (philosophus bonus quatenus homo vel quatenus philosophus). Liquet autem talem declarationem numquam necessariam esse, cum appellatus est terminus abstractus, quia tunc de appellatione materiali sermo esse non potest. Notandum denique est subiectum propositionis, si ut terminus appellatus consideratur, a praedicato semper appellari materialiter, nisi res expresse aliter declaretur; praedicatum vero, sicut generatim omnis terminus appellans per se semper secundum formale significatum intellegen-

dum est, secundum illam a S. Doctore propositam regulam: «*Terminus in* **subiecto** *positus tenetur* **materialiter**, *i. e. pro supposito; positus vero in* **praedicato** *tenetur* **formaliter**, *i. e. pro natura significata.*»[1] E. g. «Christus est aeternus» significat: ille, qui est Christus, est aeternus.

Caput III.

DE METHODO NOTIONES EXPLANANDI.

Methodus (μετά et ὁδός) generatim est: *via, quam mens sequi debet in scientiae adeptione*[2]. Hic agitur de modo, quo mens initio huius viae, ne a vero abducatur, ideas suas perspicere possit.

Ad notionem autem perfecte perspiciendam requiritur, ut non solum earum *comprehensio*, sed etiam *extensio* cognoscatur. Comprehensio vero declaratur ideae *definitione*, extensio autem *divisione* logica.

De his duobus notiones explanandi modis iam breviter est dicendum.

Articulus I.

DEFINITIONIS ET DIVISIONIS NOTIO DECLARATUR.

§ 1. De definitione.

In notionibus explanandis saepenumero fit, ut, priusquam de ipsa notione quicquam declaretur, de sensu *termini* quaedam praenotentur et explicentur, ut cum dicimus: «Criteriologia idem est ac sermo de mediis verum a falso discernendi», vel: «Equus idem est ac cheval vel Pferd». Haec termini explicatio iam dicitur definitio; *quia vero de nomine tantum est,* specialius vocatur definitio nominalis vel definitio *quoad nomen.* Est proinde haec definitio: *oratio explicans sensum termini.*

---

[1] *S. Thom.*, S. theol. 3, q. 16, a. 7 ad 4.
[2] Cf. supra p. 18.

Fieri autem potest haec nominalis definitio:

vel per *etymologiam,* ut cum dico: «Philosophia derivatur a duabus vocibus graecis φίλος et σοφία»;

vel *adhibita voce alia,* quae clarior sit, e. g. si quis dicit: «Theodicea idem est ac theologia naturalis; ethica idem ac moralis naturalis»;

vel *utcumque explicando* vocabulum ignotum vocibus magis notis.

Praecipua vero definitio ea est, quae vocatur definitio realis vel definitio *quoad rem.* Generatim haec definitio declaratur, ut sit: *oratio explicans quid sit ipsa res.*

Potest autem, quid sit res, duplici modo explicari:

1. vel per genus quoddam et adiuncta quaecumque, vel propria vel accidentalia, ita ut mens ad essentialia unice ostendenda non attendat. Haec definitio realis vocatur *descriptiva.* Cuius rei exemplum habebis, si hominem definieris «animal bipes implume». Tali definitione maxime utuntur poetae, oratores, alii, rarius vero philosophi ipsam adhibent.

Est autem haec definitio descriptiva vel *accidentalis* vel *propria* vel *causalis* vel *genetica,* prout res per elementa accidentalia vel per propria vel per causas vel per originem magis declaratur. Exemplum definitionis causalis haec est: «Anima humana est substantia a Deo ad imaginem ipsius creata, ut ipsum cognoscendo et amando aeterno sit beata.»

2. vel philosophorum more res declaratur per elementa eius essentialia, et tunc dicitur *definitio essentialis* vel philosophica. Est proinde haec definitio: *oratio qua ipsius rei essentia declaratur.*

Ad hanc essentialem definitionem hoc articulo unice attendemus.

§ 2. De divisione logica.

Divisio logica fit, quotiescumque notiones enumerantur minus universales, quae *sub extensione* alicuius notionis

universalioris continentur. Sic e. g. divisionem logicam habuimus, quando arborem porphyrianam (p. 32) exstruentes substantiam divisimus in corpoream et incorpoream; corpoream in organicam et inorganicam; organicam, in quae sunt reliqua. Universale enim reflexum «substantia» a mente concipitur ut *totum quoddam* (totum logicum), constans ex inferioribus suis ut partibus (partibus logicis). Divisio logica proinde recte definitur: *resolutio et distributio universalis cuiusdam in particularia, quae sub eius extensione continentur.*

Dicitur autem universale reflexum totum *logicum,* et inferiora eius partes *logicae,* quia totum sunt vel partes, ut talia, non in rerum natura exsistentia, sed *a mente cogitata.*

Partes, quae ex divisione resultant, dicuntur *membra* divisionis. Quodsi ipsa membra item dividuntur, habemus *subdivisiones.* Exempla huius rei praebet arbor illa porphyriana.

A divisione logica sedulo distinguenda est *divisio realis,* quae est: *resolutio et distributio alicuius rei in partes quas habet reales*, i. e. ita exsistentes, tamquam partes, ut totum quoddam efficiant independenter a mente. Sic divisio hominis in animam et corpus vel materiam est divisio realis; item divisio arboris in ramos, truncum, radices.

Si partes, in quas fit resolutio, *exsistunt ut res in rerum natura,* divisio realis dicitur physica, partes vero partes physicae. Talis est divisio hominis in animam et corpus. Partium physicarum duplex praesertim distinguitur species. Sunt enim vel essentiales vel integrales. Partes *essentiales* seu *constitutivae* eae sunt, sine quibus res non subsisteret: in homine e. g. anima et corpus, materia et forma. Partes vero *integrales* vel *integrantes* eae sunt partes, sine quibus res habetur, licet sit imperfecta: manus e. g. vel pes in homine.

Quodsi partes non sunt nisi *unius et eiusdem rei conceptus diversi,* tales scilicet, ut earum rationibus obiectivis diversa unius et eiusdem rei attributa essentialia [1] repraesententur, divisio realis dicitur *metaphysica.* Qualis est divisio hominis in animal et rationale. Dicitur autem haec divisio realis et non logica, quia animalitas et rationalitas, etsi non sunt realiter distinctae in homine, in Petro e. g., ut res quaedam separabiles, sed sunt conceptus diversi unius et eiusdem hominis Petri, tamen *sunt partes essentiae hominis abstracte consideratae, independenter a mente,* eo sensu, quod intellectus humanus essentiam illam aliter sibi repraesentare non potest nisi his duabus notis compositam.

Divisio proinde metaphysica *comprehensionem* idearum respicit, sicut definitio realis, immo ordinario definitio realis non aliter fit nisi divisione metaphysica. Est autem haec divisio metaphysica, sicut ipsa definitio, vel essentialis vel accidentalis, prout ideam **resolvit** in notas rei repraesentativas essentiales vel accidentales. Quare dicitur saepenumero haec divisio metaphysica **analysis.**

Divisio logica, de qua hic agitur, *directe extensionem* idearum respicit. Sed ipsa illa extensionis declaratione indirecte inferiorum comprehensionem ostendit. Et re quidem vera, in arbore porphyriana e. g. (p. 32), si quis substantiam in corpoream *dividit* et incorpoream, eo ipso ad ideam substantiae notam *addit* corporeitatis et sic novam ideam efformat, cuius comprehensionem ostendit, *non resolvendo,* sed **componendo.** Unde factum est, ut divisio logica, quatenus mens idearum comprehensionem attendit, **synthesis** dicta sit. Est autem divisio logica vel essentialis vel accidentalis, prout, divisione illa vel synthesi, rei alicuius notae essentiales unice declaran-

[1] Attributa illa essentialia dicuntur *gradus metaphysici;* de quibus uberior sermo erit in Criteriologia.

tur, vel notae essentiales simul et accidentales, vel etiam accidentales tantum. Exemplum divisionis essentialis praebet arbor porphyriana; divisionem vero accidentalem habebis, si essentiam quandam dividis in accidentia, e. g. homines in albos et nigros; vel accidens in essentias ipso affectas, e. g. album in lac et nivem; vel accidentia in ipsorum accidentia, e. g. album in dulce et amarum.

Classificationes quas vocant scientificae pleraeque non sunt nisi divisiones accidentales.

Quibus declaratis, facile intelleges, quid sit totum logicum, totum metaphysicum, totum physicum. Etenim:

Totum *logicum* est: idea universalis a mente considerata ut unum constans ex *inferioribus* suis tamquam ex partibus (consideratur ideae *extensio*).

Totum vero *metaphysicum* est: unum constans ex partibus, quae non sunt nisi unius et eiusdem rei gradus metaphysici (consideratur ideae *comprehensio*).

Totum denique *physicum* est: unum constans partibus, quae ut partes exsistunt in rerum natura [1].

ARTICULUS II.

DE METHODO NOTIONES EXPLANANDI OPE DEFINITIONIS ET DIVISIONIS.

§ 1. De definitionis et divisionis usu.

Quaeri potest, quonam ex his duobus mediis notiones explanandi in praxi potissimum sit utendum. De hac re multa iam in diversas partes sunt agitata. Attenta vero nativa mentis humanae vi et indole, haec imprimis statuenda esse videntur:

I. Si agitur de informanda *mente, quae ideis sit destituta,* sic erit procedendum:

---

[1] Hae notiones clariores fient ex iis, quae circa diversas distinctiones dicenda sunt in Ontologia.

1. *A contemplandis rebus sensibilibus*, ope sensuum, *erit incipiendum*, iuxta illud a scholasticis praeclare dictum: *Nihil in intellectu, nisi prius fuerit in sensu* («Anschauungsunterricht»)[1]. Ex his autem rebus materialibus primae ideae desumantur, ut definitione essentiali, in quantum fieri potest, declarentur[2]. Sunt autem notiones hac prima comtemplatione acquisitae plerumque *confusae*. Quapropter:

2. *Analysi* deinde diversae notae, utcumque perceptae, aliae ab aliis *distinguantur*. Si de homine e. g. definiendo agitur, quaecumque in hominibus percipi possunt, considerentur. Sic apprehenditur ipsum esse corpus quoddam, vivens, sentiens, rationale, album pro multis, nigrum pro nonnullis, doctum vel philosophum aliquando, ignarum saepenumero etc.

3. Hac analysi vero instituta, *abstractione removeantur* quaecumque non omnibus vel non semper hominibus conveniunt: agitur enim de definitione *essentiali* stabilienda. Abstractio autem illa fit *reflexione* et *comparatione* de qua supra (p. 23) diximus, prius instituta[3]. Quibus remotis colligantur notae, quae *omnibus* hominibus *semper* conveniunt. Hae enim sunt notae essentiales. Ut autem perfectus sit ille complexus, *nulla nota praetermittatur*[4].

---

[1] Cf. *Volkmer*, Elemente der Psychologie, Logik u. system. Pädagogik[6] 174: «Bildung des Vorstellungs- u. Anschauungsvermögens.»

[2] Dicitur «in quantum fieri potest», quia sunt ideae quaedam omnium primae, ut notio entis et substantiae, quae nulla definitione, sed declaratione tantum indigent.

[3] Cf. *Habingsreither*, Lehrbuch der Pädagogik 218; *Kehrein-Keller*, Handbuch der Erziehung und des Unterrichts[12] 60.

[4] Multiplex proinde in efformandis ideis est tum sensitivae tum intellectivae cognitionis operatio; *contemplatio* scilicet primum fit sensitivae vel *receptio* quam sequitur intellectiva impressio; primo enim mens pueri plures res similes intuetur («Anschauung oder Rezeption»), *reproductio* deinde primarum illarum impressionum fit

4. Omnibus deinde essentialibus notis perspectis, ut *perfectior*, utpote reflexa, fiat ipsius rei cognitio, separandae sunt in ipsa *notae genericae* ab iis, quae *differentiam* constituunt specificam (p. 31). Quod in casu fit, ideam hominis comparando cum idea animalium irrationalium, ita ut idea universalis animalis mente logice dividatur in irrationalia et rationalia.

Quibus peractis, rei comprehensio declaretur duabus ideis generalioribus, generis scilicet proximi et differentiae specificae: homo est animal rationale. *In ideis proinde evolvendis divisio logica a definitione non est seiungenda.*

II. Quando mens ideis iam est instructa, tunc componendo vel *synthesi* magister in ipsa novas ideas efformare potest, sicut e. g. in scientia chemica tradenda compositionem aquae magister discipulo ostendere potest, non solum analysi chemica aquae, sed etiam synthesi chemica, i. e. hydrogenium et oxygenium, debitis servatis proportionibus, coram discipulo combinando.

---

saepenumero, quoties novae accidunt cognitiones, quae cum primis implicantur ita ut vi mutua sese evolvant atque corrigant («Apperzeption, vollständige Aneignung des Lehrstoffes»). Dicitur haec operatio *apperceptio*, quatenus mens cognitiones illas directe i. e. sine reflexione percipit. Ad perficiendas vero cognitiones illas *reflexione* denique mens in actum suum redit, ut quaè generice vel specifice conveniunt retineat, alia eliminet, quod diversis fit *abstractionis* operationibus. Quo in negotio maxime consulendum erit *attentioni* animi quae est «*specialis quaedam cognoscentis excitatio sive directio ad rem aliquam prae aliis accuratius cognsocendam*» (*Pesch*, Inst. psychol. II 145). Quomodo vero haec attentio, apud pueros praesertim, excitetur atque excolatur ita, ut animus pueri retineatur, docet paedagogia. Cf. *Volkmer* l. c. 175 («Erziehung zur Aufmerksamkeit»); cf. item *Kehrein-Keller* l. c. 96 sq. Cf. etiam in encyclopaedia «Lexikon der Pädagogik» (I, Freiburg 1913) ea quae sub vocabulo «Aufmerksamkeit» (p. 266), de informatione ad attentionem (p. 268) explicantur.

III. Quidquid est de modo, quo ideae primo sunt in mente efformatae, cognitio omnis, *ut perfecta,* i. e. *reflexa, evadat,* **synthesi semper erit perficienda,** ostendendo scilicet, quomodo aliae ideae omnes sub extensione cuiusdam ideae universalis contineantur. Quae methodus a scholasticis maxime commendata, cum ab analysi incipiat et synthesi compleatur, methodus dicitur *analytico-synthetica* [1].

§ 2. De definitionis et divisionis regulis.

I. *Regulae definitionis essentialis.* — Cum definitio omnis essentialis fiat per genus proximum et differentiam specificam, sequitur:

1. ut plura sint, quae definiri non possint, ea scilicet, quae genus proximum non habent, quia sunt suprema genera, ut substantia, vel ea, quibus differentia specifica nulla addi potest, ut est ens. *Non omnia proinde debent definiri.*

2. ut nulla res possit definiri per se ipsam («idem per idem») vel per aliquid, cuius cognitio ipsius rei definiendae notionem praesupponat.

3. ut definitio sit *adaequata,* constans scilicet genere proximo et differentia specifica nec ulla alia nota, ita ut *omni et soli definito conveniat.*

---

[1] *Synthetice* progrediendum erit, ait *Kehrein,* quoties *novae* ideae intuitione comparandae sunt vel ideae atque relationes iam cognitae secundum *universalitatem* suam sunt evolvendae («erweiternder Lehrgang»), ita ut synthesis ad cognitionem evolvendam atque amplificandam magis inserviat. *Analysis* vero non instituitur nisi circa *totum iam cognitum,* licet imperfecte atque minus clare, ut partibus singillatim perspectis, *clarior* fiat totius cognitio atque firmior («zergliedernder Lehrgang»). Cf. *Kehrein-Keller* l. c. 254 sq; item 59 sq; *Baumgartner,* Pädagogik [4] 118. Cf. etiam *O. Willmann* in encyclopaedia «Lexikon der Pädagogik» I, sub voc. «Analyse und Synthese» p. 134.

Cum praeterea definitionis munus sit, ut ideas claras efformet vel clariores reddat, *ipsa clara sit oportet.* Proinde:

1. Terminus rei definiendae in definitionem non ingrediatur.

2. Arcendi sunt ab ipsa termini ambigui vel etiam metaphorici vel obscuri. Si novi termini adhibendi sunt, hi prius definitione nominali explicentur, neque vis significandi terminorum mutetur, nisi moneatur lector.

3. Sit brevis, ne verborum turba mens obruatur.

II. *Regulae divisionis logicae.*

1. Sit *adaequata,* talis scilicet, ut omnia membra simul totum logicum integre constituant. Proinde:

a) *Nulla pars omittatur.* Falsa esset e. g. divisio viventium in homines et animalia bruta, vel divisio hominum in prodigos et avaros; homines enim, sub hoc respectu considerati, sunt etiam parci vel liberales.

b) *Nullum membrum totum adaequet vel excedat.* Unde falso animalia dividuntur in *sensitiva* et rationalia.

c) Nullum membrum aliud includat, vel aliis verbis: *divisio sit membris oppositis.* Sic falsa esset divisio signorum in formalia, instrumentalia, arbitraria.

d) *Ne sit nimia,* alioquin mens nimis distrahitur in considerationem partium, ita ut totum iam perspicere non possit.

2. Sit *clara,* et proinde:

a) *Ordinata,* i. e. fiat primo in proxima et immediata membra, ab universalioribus scilicet ad minus universalia gradatim procedendo.

b) *Parcis* fiat verbis iisque, in quantum fieri potest, positivis.

Scholion. *Paedagogiae* praecepta de ideis efformandis haec summatim exponuntur:

1. Cum a contemplandis rebus sensibilibus cognitio nostra omnis progrediatur, ab hac ipsa contemplatione praeceptor, in quantum fieri potest, semper proficiscatur.

2. Puer, cum magistro traditur erudiendus, natura duce iam multas sibi comparavit rerum repraesentationes vel ipsas ideas, quae tamen ideae non raro obscurae sunt vel confusae. Magistri tunc erit, reflexione, comparatione, abstractione instituta, has ideas ita excolere, ut clarae fiant, immo ut ope synthesis novae ex ipsis oriantur notiones.

3. Animum pueri magister ita excolat, ut in ideis minus claris numquam acquiescat, sed ideas claras immo distinctas et adaequatas semper inquirat.

4. Cum termini sint signa notionum manifestativa, id magister imprimis curet, ne voces a pueris fundantur inanes, proprietatem servet verborum atque subtilitatem. Quod ut consequatur, quaenam sit verbi vis, a puero saepe quaerat [1].

Liber II.

DE SECUNDA MENTIS OPERATIONE SIVE DE IUDICIO.

Caput I.

NOTIO IUDICII EIUSQUE SIGNI SIVE PROPOSITIONIS.

Articulus I.

NOTIO IUDICII EVOLVITUR.

I. Ideas vel notiones rerum mens nostra non solum potest sibi simpliciter repraesentare, sed etiam inter se comparare. Qua comparatione instituta, perspicere potest *nexum* quendam *logicum* inter duas illas ideas, i. e. videre

---

[1] Cf. *Baumgartner* l. c. 118 sqq («Die Bildung des Begriffsvermögens»); item *Kehrein-Keller* l. c. 96; *Volkmer* l. c. 174 sq.

potest elementum vel elementa alterius ideae pertinere vel non pertinere ad *comprehensionem* prioris ideae [1], ita ut enuntiare possit priorem ideam in extensione alterius ideae contineri vel non contineri [2], aliis verbis: circa convenientiam vel non-convenientiam (repugnantiam) duarum idearum pronuntiare potest [3]. Et haec pronuntiatio dicitur *iudicium*, quod proinde definitur: *actus intellectus de duarum idearum convenientia vel repugnantia pronuntiantis.* Ad iudicium proinde efformandum requiritur, ut mens 1° duas notiones sibi repraesentet, 2° notiones illas inter se comparet, 3° denique circa convenientiam vel repugnantiam illarum notionum *pronuntiet.* Ex tribus autem illis elementis duo priora sunt elementa *materialia* (id, *ex quo* vel *circa quod* fit iudicium), tertium vero, *pronuntiatio*, elementum est *formale*, illud scilicet, quo fit, ut duae illae ideae sint elementa alius cuiusdam operationis specifice distinctae, quae dicitur iudicium. Formaliter proinde iudicium est

---

[1] «L'esprit a vu, goûté des liqueurs alcooliques provenant de la fermentation du jus de raisin, il s'est formé une notion abstraite, typique de cette liqueur qu'il désigne du nom de *vin*. Appliquer à ce liquide qu'il goûte en ce moment l'attribut *vin*, c'est juger que ce liquide est du vin» (*Mercier*, Critériologie générale [6] 21).

[2] «L'esprit compare les deux termes présents à sa pensée: par exemple cet astre qu'il perçoit là-haut dans les cieux, il le considère sous le rapport de l'impression de lumière vive qu'il fait sur l'œil; puis il juge que le soleil, sous cet aspect, est une des choses que par ailleurs il connaît comme choses brillantes et qu'il qualifie de ce nom: le soleil est compris dans la catégorie des choses qui brillent» (*Mercier* l. c. 20 sq).

[3] «Le jugement énonce que deux objets, l'un actuellement perçu ou imaginé, l'autre présupposé dans le souvenir à l'état d'idée-type, se rencontrent (viennent ensemble, *cumveniunt*, conviennent) ou ne se rencontrent pas en une même catégorie logique» (*Mercier* l. c. 21).

actus omnino simplex (pronuntiatio), licet materialiter sit compositum (ex ideis).

II. Notandum tamen duplex distingui posse iudicium. Est enim:

1. iudicium *improprie dictum*, quod vocant etiam *apprehensivum*, *materiale* vel *imperfectum*, quo convenientia vel disconvenientia duorum percipitur, quae solis sensibus externis vel internis sunt cognita, sicut cum dicimus: Qui venit ibi, est Petrus, vel: Pluit, fulgurat. Eiusmodi iudicia imperfecta non solum in homine, sed etiam in animalibus brutis inveniri psychologia docet.

2. iudicium *proprie dictum*, quod dicitur etiam *formale* vel *perfectum*, quo mens, abstractione facta, inter diversas ideas proprie dictas *nexum logicum* subiecti et praedicati detegit, percipiendo scilicet *alteram in alterius extensione vel comprehensione contineri vel non.* Tale iudicium, cum fiat circa ideas abstractas et universales, *per solum intellectum* fit et proinde dicitur etiam *iudicium intellectuale.* In disciplinis vero logicis in hoc iudicium praesertim animus intenditur.

Articulus II.

NOTIO PROPOSITIONIS DECLARATUR.

I. Propositio (enuntiatio) est iudicium terminis expressum et proinde definitur: *oratio, quae aliquid de aliquo affirmat vel negat.* Est proinde propositio (der Satz) orationis quaedam species.

Oratio enim (die Rede) generatim definitur: *vocabulorum quaedam complexio ad aliquid significandum ordinata.* Ex parte rei autem, ad quam significandam haec vocabulorum complexio est ordinata, multiplex distinguitur oratio, ita ut sit: *admirativa:* Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum! *interrogativa:* quis, putas, puer iste erit? *imperativa:* venite, benedicti Patris mei; *deprecativa:* miserere mei; *optativa:* utinam frigidus esses

aut calidus; *permissiva:* fiat tibi, sicut vis; *enuntiativa:* Deus est bonus. Et haec ultima orationis species dicitur *propositio* vel *enuntiatio.*

II. In omni propositione *tria elementa* distingui possunt: subiectum, praedicatum, copula: homo (subiectum) est (copula) mortalis (praedicatum).

Subiectum et praedicatum exprimunt iudicii *materiam* (ideas, circa quas fit pronuntiatio), copula vero *formam* (pronuntiationem) exprimit et proinde recte dicitur propositionis forma.

Praedicatum est terminus significans id, quod de aliquo enuntiatur.

Subiectum est terminus significans illud, de quo aliquid pronuntiatur. Dicitur vero subiectum, quia est illud ens, cui praedicatum tamquam determinatio superveniens imponitur ita, ut ipsi subiaceat (ratione comprehensionis); vel etiam quia est unum ex praedicati inferioribus vel subiectis[1]. «Homo est mortalis» idem enim est ac «homo est aliquis eorum, qui continentur in extensione ideae mortalitatis». Sit e. g. circulus H (fig. 1) exprimens extensionem ideae hominis et circulus M exprimens mortalitatis ideam: tunc propositio «homo est mortalis» ratione ordinationis subiecti et praedicati *secundum extensionem* fig. 1 sensibiliter repraesentari potest. Homo enim non totam extensionem mortalitatis explere dicitur, sed partem tantum. Revera enim in extensione mortalitatis etiam alia entia inveniuntur, puta animalia bruta, quae circulo A (fig. 2) repraesentantur.




Fig. 1.




Fig. 2

[1] Recole ea, quae supra (p. 30) de idea universali diximus.

Copula est terminus significans ipsam pronuntiationem, id est identitatis aut diversitatis idearum affirmationem aut negationem.

Ex disciplinis grammaticis vero omnes norunt haec tria elementa, etsi in omni propositione insunt, non tamen in ipsa necessario expressis terminis inveniri. Non raro enim copula verbo continetur, v. g.: Petrus legit; immo nonnumquam tria illa elementa ita conectuntur, ut propositio unico vocabulo concludatur, v. g. «lego», quod idem est ac «ego sum legens».

Notandum quoque *copulam,* cum nihil aliud significet nisi pronuntiationem *praesentem* circa convenientiam vel disconvenientiam subiecti et praedicati, *semper esse temporis praesentis.* Quotiescumque igitur verbum alicuius propositionis consistit in alio tempore sive praeterito sive futuro, haec relatio temporis non ad copulam pertinet, sed ad praedicatum; v. g. «sol cras orietur» idem est ac «sol est cras oriundus». Quod idem valet non solum de verbo adiectivo, sed de ipso verbo *esse;* v. g. «iustus erit felix» idem est ac «iustus est felix futurus».

Notandum denique verbum *esse,* quando sumitur non *substantialiter,* sed *verbaliter,* i. e. *sine addito,* significare *exsistere;* v. g. «Socrates est» idem significat ac «Socrates est exsistens»; «vita erit» idem est ac «vita est exsistens futura vel exstitura».

Caput II.

DE DIVERSIS PROPOSITIONUM SPECIEBUS.

Cum iudiciorum et propositionum eadem sit divisio, de propositionum partitionibus tantum dicemus. Quae divisio ex multiplici capite deduci potest. Ex parte enim *firmitatis* pronuntiationis vel assensus propositionem dividunt in *certam* et *probabilem;* ex parte *motivi,* quo mens ad pronuntiandum adducitur, in *analyticam* et *syntheticam;*

aliasque huiusmodi divisiones afferunt, quae ad criticam magis pertinent. In *logica* vero eas tantum divisiones consideramus, quae fiunt sub respectu *recti ordinis* in iudiciis et ratiociniis ponendi [1].

Quae cum ita sint, illas tantum hoc loco propositionum species referemus, quarum cognitio iuvabit ad recte intellegendum, quid singulis iudiciis enuntiemus.

Imprimis vero propositiones dividuntur in *simplices* et *compositas*. Propositionem *simplicem* eam vocamus, quae unica constat propositione, ita ut sit *unius praedicati de uno subiecto mera affirmatio vel negatio*; v. g. «Petrus est iustus».

Propositio *composita* illa est, quae plures propositiones diverso modo coniunctas continet; v. g. «Petrus est iustus et doctus»; «Petrus et Paulus sunt iusti».

Propositionum autem simplicium plures sunt species, quas cum compositis habent communes, compositarum vero nonnullae species sunt propriae.

Totam rem proinde satis compertam habebimus, si duplici articulo dixerimus:

1. de divisione propositionum simplicium;
2. de divisione propositionum compositarum.

Articulus I.

DE DIVISIONE PROPOSITIONUM SIMPLICIUM.

§ 1. Ex parte qualitatis formae.

I. Dividuntur propositiones in *affirmativas* et *negativas*, prout pronuntiatur praedicatum subiecto convenire vel enuntiatur ipsum non convenire.

II. De comprehensione vero et extensione *praedicati* in propositione affirmativa et negativa haec sunt notanda:

---

[1] Cf. supra p. 15 et 16.

1. *In propositione* **affirmativa** *praedicatum sumitur secundum totam suam comprehensionem, sed non secundum totam suam extensionem;* v. g. «leo est animal» significat: omnes notae animalis (ens subsistens — vivens — sentiens) sunt in notione leonis, vel: leo est aliquod ex animalibus, ut ostendit fig. 3, in qua attenditur ad extensionem.




Fig. 3.

2. *In propositione* **negativa** *praedicatum sumitur secundum totam suam extensionem, sed non secundum totam suam comprehensionem;* v. g. «leo non est homo» non significat: nulla ex notis, quibus constituitur notio hominis, tribuitur leoni, sed: *aliqua saltem ex notis*, quibus constituitur (rationalitas), non est in leone, vel: leo *nullus* est ex iis, quae sunt in extensione ideae hominis, ut ex fig. 4 apparet. Haec omnia cuicumque in iudicia sua reflexione redeunti clare apparent.




Fig. 4.

Notandum tamen ex parte *materiae* fieri posse, ut in propositione affirmante praedicatum sumatur secundum totam suam extensionem: quotiescumque nimirum praedicatum est terminus singularis vel propositio exprimit definitionem; v. g. «ille homo est Socrates», «homo est animal rationale».

§ 2. Ex parte quantitatis materiae.

Si consideratur habitudo praedicati ad subiectum secundum *extensionem* subiecti, propositio dividitur in *universalem, particularem, singularem, indefinitam.*

I. Propositio *universalis* ea est, in qua subiectum est terminus universalis, et praedicatum de ipso enuntiatur *secundum totam* **eius** *extensionem;* v. g. «omnis homo est animal rationale»; «nullus leo est homo».

Quando vero dicitur attributum praedicari de subiecto secundum totam eius extensionem, haec universalitas ex parte materiae considerata potest esse triplex, nimirum:

1. *Metaphysica:* Quoties attributum praedicatur de subiecto secundum totam eius extensionem, quia ipsum *exhibet notam pertinentem aliquo modo ad subiecti essentiam*; v. g. «homo est animal rationale», «homo est rationalis». In hoc casu tam universaliter convenit subiecto, ut nulla fieri possit exceptio, *ne miraculo quidem.*

2. *Physica:* Si attributum praedicatur de subiecto secundum totam eius extensionem, quia *exhibet notam, quae convenit subiecto,* non ut aliquid ad essentiam pertinens, sed *ut aliquid quod secundum legem naturae in ipso inesse solet.* E. g. «omnes lapides sunt graves» (i. e. centrum terrae petunt); «nullus mortuus reviviscit». In hoc casu nulla exceptio fieri potest, *nisi miraculo.*

3. *Moralis:* Quoties attributum praedicatur de subiecto secundum totam eius extensionem, *quia exhibet notam, quae convenit subiecto,* non ut aliquid ad essentiam eius pertinens, nec ut aliquid quod secundum legem naturae in ipso inesse solet, sed *ut aliquid quod secundum legem moralem,* i. e. secundum consuetum agendi modum entium liberorum, in ipso communissime inest. E. g. «omnis mater diligit filium suum»; «qui amat periculum, in ipso peribit». In hoc casu fieri potest *exceptio sine miraculo.*

II. Propositio *particularis* ea est, in qua attributum praedicatur de subiecto *secundum partem tantum eius extensionis* vel de uno indeterminate sumpto; v. g. «aliqui homines sunt philosophi», «quidam homo est philosophus». Subiectum propositionis particularis proinde est terminus particularis.

III. Propositio *singularis* ea est, in qua attributum praedicatur de subiecto singulari, i. e. cuius extensio ad *individuum* coarctatur; v. g. «Socrates est philosophus», «hic homo est philosophus».

IV. Propositio *indefinita* ea est, in qua attributum praedicatur de subiecto, cuius *extensio nullo termino indicatur;* v. g. «homo est animal rationale». Eiusmodi propositionis quantitas ordinario vel ex materia ipsius vel ex contextu sermonis cognoscitur vel determinari potest.

Articulus II.
DE DIVISIONE PROPOSITIONUM COMPOSITARUM.

Propositiones compositas supra diximus illas esse, quae plures propositiones *diverso modo* coniunctas continent. Cum propositione *composita* proinde non est confundenda propositio *multiplex*. Haec enim *formaliter plures exprimit enuntiationes:* propositio autem composita, etsi plures propositiones *continet*, non semper tamen formaliter plures enuntiationes *exprimit;* v. g. «Petrus baptizatus est et credidit» est propositio composita et multiplex; duas enim enuntiationes de Petro exprimit, ipsum scilicet baptizatum esse et credidisse. «Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit» est propositio composita (quia plures propositiones continet), sed una, non multiplex, quia de uno subiecto (qui crediderit et baptizatus fuerit) unum enuntiat (ipsum salvum futurum esse).

Iam vero de propositionibus *compositis* dicturis nobis semper inquirendum erit, utrum sint multiplices simul et compositae, an compositae tantum. *Omnis enim propositio multiplex est composita, sed non omnis propositio composita est multiplex.*

§ I. De propositionibus compositis ex parte formae (copulae) sive de propositionibus modalibus.

Propositio *modalis* ea est, in qua non solum pronuntiatur praedicatum subiecto convenire vel non convenire, sed etiam *enuntiatur modus quo convenit* vel non convenit.

Modi autem, secundum quos attributum subiecto inesse vel ab eo abesse potest, quattuor enumerantur, scilicet: necessarium, impossibile, contingens, possibile.

Possibile est, quod potest esse, ut circulum esse rotundum. Circulum esse rotundum revera necessarium est, unde sequitur ut possibile sit, neque tamen contingens.

Contingens enim est, quod potest esse *et* potest non esse, ut Petrum esse aegrotum.

Impossibile est, quod non potest esse, ut Deum esse crudelem, circulum esse quadratum.

Necessarium est, quod non potest non esse, ut Deum esse iustum, circulum esse rotundum.

Unde quattuor distingui possunt propositionum modalium species, nimirum: necessaria, impossibilis, contingens, possibilis.

Possunt autem quattuor illae propositiones, ut sunt modales, duplici modo exprimi: vel eo quod modus exprimatur *adverbio,* v. g. «Deus necessario est iustus»; vel eo quod modus tamquam praedicatum de priore propositione ut subiecto enuntietur, v. g. «Deum esse iustum necessarium est», «necesse est Deum esse iustum». Propositio ipsa absoluta («Deum esse iustum») dicitur *dictum,* ita ut in omni propositione modali distinguantur *dictum* et *modus.*

Notandum propositiones modales, necessariam, impossibilem, contingentem, compositas esse et multiplices, propositionem vero possibilem compositam, sed unam: nequit enim in duas enuntiationes resolvi.

§ 2. De propositionibus compositis ex parte materiae.

Propositiones compositae ex parte materiae duplicis sunt generis: categoricae et hypotheticae.

Propositio *categorica* ea est, quae attributum subiecto absolute tribuit, sine ulla condicione, v. g. «perfrueris

gaudio conscientiae». Potest esse eiusmodi propositio vel simplex vel composita: in praesenti vero paragrapho non nisi de compositis sermo erit.

Propositio *hypothetica* ea est, «quae de nullo subiecto aliquod praedicatum absolute affirmat vel negat, sed *unius affirmationis vel negationis ab altera affirmatione vel negatione dependentiam asserit*»[1]; v. g. «si bene egeris, perfrueris gaudio conscientiae». Quo in casu pronuntiatio fit circa relationem non iam exsistentem inter terminos, inter subiectum scilicet et praedicatum, sed inter duas vel plures propositiones. Sic in exemplo allato non enuntiatur te bene acturum esse, neque te perfruiturum esse gaudio conscientiae, sed affirmatur talem esse nexum inter duas propositiones, ut, posito te bene acturum esse, *necessario* sequatur, ut tu gaudio perfruaris conscientiae.

Omnis proinde propositio hypothetica est *composita* pluribus propositionibus, quae dicuntur *componentes* vel *componentia*. Num vero omnis propositio hypothetica sit necessario *multiplex*, ex dicendis colligi poterit.

a) *De propositionibus compositis categoricis.*

I. *De propositionibus* **aperte** *compositis.* Sunt propositiones *aperte* compositae, tales scilicet, ut compositio earum terminis clare expressa appareat; et sunt propositiones, quarum compositio prope est latens et quae proinde dicuntur *occulte* compositae.

Propositiones categoricae *aperte compositae* sunt: copulativa, adversativa, relativa, causalis.

1. Propositio *copulativa* ea est, quae continet plura subiecta vel plura praedicata particulis coniunctivis *et, nec,* aliis similibus conexa; v. g. «fides et caritas ad salutem sunt necessariae». Potest dissolvi eiusmodi propositio composita in tot propositiones simplices, quot sunt

---

[1] *Frick*, Logica⁴ 49.

subiecta eiusdem praedicati vel praedicata eiusdem subiecti vel eorundem subiectorum.

Veritas propositionis copulativae pendet proinde a veritate omnium propositionum simplicium, in quas resolvitur.

2. Propositio *adversativa* vel *discretiva* plura iudicia opposita continet, quae separantur particulis adversantibus *sed, tamen, nihilominus, non* etc.; v. g. «vera hominis beatitudo non in temporalibus, sed in aeternis bonis consistit».

Veritas huius propositionis pendet non solum a veritate partium, sed etiam a veritate oppositionis ipsarum. Falsa e. g. est haec propositio, cuius partes tamen sunt verae: B. Petrus martyr exstitit, *nihilominus* aeternam beatitudinem assecutus est.

3. Propositio *relativa* ea est, in qua plures propositiones partiales conectuntur particulis relativis; *talis qualis, ibi, ubi, cum* etc.; v. g. «qualis vita, talis mors»; «cum hostis superatus esset, exercitus in castra rediit».

Veritas harum propositionum pendet non solum a veritate partium, sed imprimis a veritate statutae relationis.

4. Propositio *causalis* est propositio ex pluribus enuntiationibus ita composita, ut una rationem exprimat eius, quod in alia enuntiatur. Conectuntur vero particulis causalibus *quia, nam*; v. g. «homo liber est, quia rationalis est».

Cum tria *haec propositio enuntiet, manifestum est ad eius veritatem requiri veritatem trium illarum partium.*

II. *De propositionibus* occulte *compositis.*

Propositiones occulte compositae, de quibus supra diximus, cum expositione indigeant, dicuntur etiam *exponibiles.* Propositiones vero simplices, in quas claritatis causa resolvuntur, dicuntur earum *exponentes.*

Sunt autem propositiones exponibiles quattuor praesertim, nimirum: exclusiva, exceptiva, comparativa, reduplicativa.

1. *Exclusiva* ea est propositio, cuius subiectum vel praedicatum afficitur particula quadam exclusiva: *solum,*

tantum, nonnisi etc.; v. g. «solus Deus est infinitus». Quae propositio in has duas exponentes resolvi potest: Deus est infinitus, et quidquid non est Deus, non est infinitum.

Exercitationis causa sint sequentes exclusivae propositiones exponendae: Planta est tantum vegetans; animal non est tantum vegetans. Sola planta est tantum vegetans. Non sola planta est vegetans. Non sola planta est tantum vegetans [1].

2. *Exceptiva* ea est propositio, in qua unum vel plura ex inferioribus subiecti a participatione praedicati, vel ex inferioribus praedicati unum vel plura a praedicatione de subiecto excluduntur; quod fit particula *praeter* vel aliis locutionibus, v. g. «omnes discipuli praeter Ioannem sunt philosophi»; «Ioannes omnibus disciplinis cum diligentia studet praeter philosophiam». Quomodo vero hae propositiones exponantur, sollertes discipuli ipsi invenient.

3. *Comparativa* ea est propositio, quae non solum de convenientia vel disconvenientia subiecti et attributi pronuntiat, sed etiam, comparatione cum alio subiecto vel cum alio praedicato facta, asserit vel negat praedicatum illud *aeque* aut *minus* aut *magis* convenire; v. g. «virtus divitiis multo est praestantior». *Tres* haec propositio exponentes continet, in quas facile resolvitur.

4. *Reduplicativa* est propositio, in qua particula aliqua geminante — *qua*, *quatenus*, *ut*, *in quantum*, *secundum quod* — in subiecto notatur ratio, *cur* vel *secundum quam* ipsi conveniat praedicatum. «Homo, quatenus rationalis, liber est.» «Medicus, qua medicus est, sanat; qua homo est, ratiocinatur; qua animal est, sentit vel dormit.» Re-

---

[1] Cf. *Lehmen*, Lehrbuch der Philosophie I [3] 70 et 71. — Duae hae propositiones ultimae secundum communem sermonis consuetudinem hic exponi possunt. Quid autem proprie vereque significent, intellegitur ex iis, quae de propositionibus contradictoriis proximo capite dicturi sumus.

duplicativa, quoties notat non rationem *cur,* sed rationem *secundum quam* praedicatum subiecto conveniat, strictius *specificativa* vocatur.

Quibus expositis, elucet simpliciter reduplicativam per causalem propositionem exponi, specificativam vero per copulativam.

b) *De propositionibus compositis hypotheticis.*

Propositione hypothetica supra diximus pronuntiationem fieri circa relationem exsistentem inter duas vel plures propositiones [1].

Pro diversitate vero harum relationum triplex distinguitur propositionis hypotheticae species:

1. Propositio hypothetica *conexa:* est propositio enuntians inter duas propositiones eiusmodi relationem, ut *posterior* (necessario) *defluat a priore;* e. g. «si anima humana est corporea, est quoque mortalis».

Componentia in tali propositione religantur particula *si,* et illud quidem componens, quod incipit particula *si,* dicitur *antecedens,* alterum vero *consequens,* etsi nonnumquam fit, ut consequens priore loco ponatur, ut in exemplo: «anima humana est mortalis, si est corporea».

Cum istiusmodi propositio *nexum* tantum enuntiet, secundum quem altera propositio pendet ab altera, *veritas eius non pendet a veritate componentium, sed ab ipsa* **veritate dependentiae** *inter duas propositiones* **enuntiatae.** Sic propositio «anima, si est corporea, est quoque mortalis» vera est, etsi falsum est animam esse corpoream, et similiter falsum animam esse mortalem.

2. Propositio hypothetica *coniunctiva:* est propositio enuntians inter duas propositiones talem esse relationem, *ut non possint simul esse verae.*

Componentia conectuntur particulis *non simul,* v. g. «Socrates non sedet simul et stat».

---

[1] Vide supra p. 62.

 5

Cum eiusmodi propositio *hoc unum* enuntiet, talem esse inter componentia relationem, ut iudicata praedicata simul subiecto inesse nequeant, ad veritatem eius requiritur et sufficit, ut *componentia revera sese excludant*.

3. Propositio hypothetica *disiunctiva:* est propositio enuntians inter plures propositiones eiusmodi relationem, ut illae *nequeant esse simul verae nec simul falsae,* sed necessario quaedam verae, quaedam falsae exsistant.

Componentia religantur particula *aut,* v. g. «aut est hiems, aut est ver, aut aestas, aut autumnus».

Ex ipsa natura propositionis disiunctivae constat ad veritatem eius requiri:

a) ut divisio sit adaequata, i. e. omnia membra enumerentur, alioquin possent esse simul falsa omnia, *quae enumerantur;*

b) ut membra illa sibi revera opponantur, alioquin possent esse simul vera.

Et illa quidem est propositio *proprie* disiunctiva, a qua distinguenda est propositio *improprie* disiunctiva. Hac enim, adhibita particula *vel,* indicatur, si minus omnia propositionis membra, vel saltem unum ex iis verum esse. «Vel Petrus vel Ioannes latronem occidit»; vera est haec propositio, etiam si ambo latronem occiderunt. Alius vero sensus esset, si diceretur: «aut Petrus latronem occidit aut Ioannes».

Propositio hypothetica tum coniunctiva tum disiunctiva facile resolvi et reduci potest ad formam hypotheticae conexae. Exercitationis vero causa exempla supra allata ad hanc formam ab ipsis discipulis reducantur.

§ 3. **De propositionibus complexis.**

I. Propositio complexa ea est, cuius subiectum vel praedicatum est terminus *complexus*[1]. «Homo sapiens (vel homo, qui est sapiens) laudabitur.»

---

[1] Vide supra p. 39.

II. In propositione complexa *incidens* semper in propositionem aliquam resolvi potest; unde distinguitur propositio *principalis,* in qua continetur terminus principalis, et *propositio incidens*, ad quam pertinet terminus incidens (p. 39).

Quando terminus incidens vel propositio incidens sunt explicativi, propositio complexa semper est *multiplex;* secus vero, si tantum restrictivi sunt. Res his duobus exemplis illustratur: «Deus omnipotens (qui est omnipotens) sanctus est», idem est ac «Deus est omnipotens *et* sanctus» (propositio multiplex). — «Homo baptizatus (qui baptizatus fuerit) salvus erit» propositio complexa est, sed una, quia incidens «qui baptizatus fuerit» restrictiva est extensionis termini «hominis».

Cuius rei clara notitia maximi momenti erit, cum de contradictoria huiusmodi propositionum stabilienda sermo erit.

Caput III.

DE DIVERSIS PROPOSITIONUM PROPRIETATIBUS RELATIVIS.

Agentes hucusque de propositionum speciebus, simul diversas earum proprietates *absolutas* consideravimus, eas scilicet, quae propositionibus conveniunt, quatenus *in se ipsis considerantur.* Sic sub respectu quantitatis materiae in ipsis consideravimus universalitatem, particularitatem, singularitatem; sub respectu vero qualitatis formae affirmationem vel negationem.

Iam vero aliae distingui possunt propositionum proprietates, quae dicuntur *relativae,* quia propositionibus conveniunt, quatenus inter se conferuntur et comparantur. Quae quidem comparatio triplici modo fieri potest:

1. Vel enim propositio aliqua comparatur *cum altera ipsi opposita*, unde apparet earum *oppositio.* Oppositio

v. g. viget inter propositiones «omnis homo est animal rationale» et «nullus homo est animal rationale».

2. Vel comparatur cum propositione, cui secundum vim significandi *aequivalet,* unde *aequipollentia.* E. g. «non omnis homo est philosophus» = aliquis homo non est philosophus.

3. Vel cum *se ipsa in aliam conversa* comparatur, e. g. «nullus homo est avis — nulla avis est homo»; et tunc inter ipsas viget *conversio.*

Sit ergo de his tribus proprietatibus

Articulus I.
DE OPPOSITIONE PROPOSITIONUM.

§ 1. Diversae oppositiones declarantur.

I. **Notio.** Oppositio propositionum definitur: *quaecumque diversitas inter propositiones habentes idem attributum et subiectum idem,* saltem quoad comprehensionem. E. g. «omnis homo est animal rationale — aliquis homo non est animal rationale».

Non agitur hic proinde de diversitate inter propositiones habentes diversa subiecta vel diversa attributa, quoad comprehensionem, quales essent propositiones, e. g. «Ioannes est philosophus, Petrus non est philosophus», — «Petrus est prodigus, Petrus est avarus».

II. **Species.** Duplex generatim distinguitur oppositio, nimirum: proprie dicta oppositio et improprie dicta.

1. *Oppositio proprie dicta* est: diversitas inter duas propositiones talis, ut altera affirmet, altera neget idem de eodem. — Hac oppositione oppositae sunt:

a) Propositiones *contradictoriae,* quae sunt *duae propositiones, altera affirmans altera negans, quarum altera tamen id tantum affirmat vel negat, quod stricte requiritur et sufficit ad alteram evertendam.* Inter eiusmodi propositiones nulla propositio inveniri potest *media,* quae

scilicet vera esse possit, dum ambae essent falsae. Quando agitur de propositionibus contradictoriis *singularibus*, tunc diversitas consistit tantum in *qualitate formae*. Dicenti e. g. «Petrus est philosophus» contradices: «Petrus non est philosophus». Quando autem non agitur de propositionibus singularibus, tunc duae propositiones et *qualitate* formae et *quantitate* materiae differunt. Sint haec exempla: «omnis homo est philosophus», contradices: «aliquis homo non est philosophus»; «nullus homo moritur», contradices: «aliquis homo moritur».

b) Propositiones *contrariae*, quae sunt *duae vel plures propositiones, alia affirmans alia negans; quarum una plus affirmat vel negat, quam requiritur et sufficit ad aliam evertendam.* Inter duas eiusmodi propositiones semper proinde inveniri potest medium. E. g. «omnes homines sunt philosophi», cuius contraria est: «nullus homo est philosophus». Ambae sunt falsae; propositio vero media, et illa quidem vera, est e. g.: «aliquis homo est philosophus».


Inter propositiones contrarias *simplices* diversitas consistit tantum in *qualitate* formae.

2. *Oppositio improprie dicta* est: quaecumque alia diversitas ac oppositio proprie dicta, exsistens inter duas propositiones habentes idem attributum et subiectum idem. Diversitas proinde inter eiusmodi propositiones exsistens non est talis, ut altera affirmet, altera neget idem de eodem. — Oppositione improprie dicta oppositae sunt:

a) Propositiones *subcontrariae*, quae sunt duae propositiones particulares, altera affirmans, altera negans. E. g. «aliquis homo est sapiens, aliquis homo non est sapiens». Sunt oppositae oppositione improprie dicta, quia illud «aliquis», cum sit indeterminatum, non est necessario idem individuum in priore et in altera propositione. Omnibus vero perspicuum est diversitatem in eiusmodi propositionibus esse in *qualitate*.

b) Propositiones *subalternae,* quae sunt: duae propositiones, ambae affirmantes vel ambae negantes, altera universalis, altera particularis. E. g. «omnis homo est sapiens», cuius subalterna est: «aliquis homo est sapiens»; item: «nullus homo est sapiens» et «aliquis homo non est sapiens». Universalis *subalternans* vocatur, particularis vero *subalternata.*

Quae omnia hoc schemate repraesentari possunt:



§ 2. **Relationes declarantur, quas propositiones oppositae habent inter se quoad veritatem et falsitatem.**

Praenotamen. — Ut facilius perspiciatur veritas eorum, quae circa mutuas relationes propositionum oppositarum sunt stabilienda, principium quoddam primum omnibus iam notum mente est revocandum; quod quidem principium vocatur principium *contradictionis* et enuntiatur hoc modo: *Idem non potest simul esse et non esse.* De natura et veritate huius principii ex professo sermo erit in Ontologia et Criteriologia. Sed quidquid est de cognitione eius explicita et reflexa, veritas eius omnibus hominibus sanae mentis evidenti intuitu ut inconcussa clare apparet.

Hoc ergo principio interim ut vero admisso, sequentes statuimus conclusiones.

I. Circa propositiones *contradictorias.*

1. *Duae propositiones contradictoriae non possunt esse simul verae.* Etenim idem, ut supra diximus, non potest simul esse et non esse.

Sed si duae propositiones contradictoriae essent simul verae, idem simul posset esse et non esse. Et re quidem vera.

a) Si propositiones ambae singulares sunt et simplices, res est evidens.

b) Quando vero alterius propositionis simplicis subiectum universale est, alterius vero particulare, tunc affirmatio et negatio unius et eiusdem praedicati non fit quidem quoad omnia inferiora subiecti propositionis universalis, attamen quoad aliqua vel aliquod. Fit enim quoad indeterminatum illud subiectum propositionis particularis, quod certo continetur in extensione subiecti propositionis universalis. Ergo ex hac parte idem simul posset esse et non esse.

c) In propositionibus autem compositis res eadem evidentia apparet consideranti cuique altera ex contradictoriis affirmari semper vel negari eandem illam *partem,* quae in altera enuntiatione composita negata vel affirmata est.

2. *Duae propositiones contradictoriae non possunt simul esse falsae.* Propter idem principium. Tunc enim (si possent esse simul falsae) hoc haberemus: *idem praedicaretur inesse, cum revera non inesset, et simul praedicaretur non inesse, cum revera inesset.* Simul proinde revera non inesset et revera inesset; simul esset et non esset; quod fieri non posse evidenter perspicimus.

Ex his sequuntur duo sedulo notanda.

a) Ubi compertum habuerimus unam contradictoriam esse veram, cum certitudine inferre poterimus alteram esse falsam.

b) Item quotiescumque de falsitate unius contradictoriae constiterit, legitime inferre licebit alteram esse veram.

Quod breviter sic enuntiatur: *Ex veritate unius contradictoriae sequitur falsitas alterius, et ex falsitate unius veritas alterius.*

II. Circa propositiones *contrarias.*

1. *Non possunt esse simul verae.* Quod sub lumine eiusdem principii contradictionis facile intellegitur, praesertim cum de propositionibus simplicibus agitur. Tunc enim idem simul omnibus inesse et omnibus non inesse posset, i. e. simul esset et non esset.

2. Vi solius formae, abstrahendo scilicet a materia, *possunt esse simul falsae.*

Dicimus «abstrahendo scilicet a materia», quia vi materiae fieri potest, ut numquam possint simul esse falsae, quod fit e. g. quando propositiones sunt universales universalitate metaphysica (p. 59). Sed in disciplinis logicis non attendimus nisi ad formam propositionum.

Vi autem formae possunt simul esse falsae. Tunc enim hoc habemus: *affirmamus idem omnibus convenire, cum revera* non omnibus *conveniat, et simul affirmamus illud idem nulli convenire, cum revera non nulli conveniat;* i. e. cum revera aliquibus non conveniat et simul aliquibus conveniat. Hoc autem non involvit repugnantiam ex parte principii contradictionis, quia illi *aliqui* non sunt necessario eadem individua.

Unde sequitur regula: *Ex veritate unius contrariae sequitur falsitas alterius, sed ex falsitate unius non sequitur veritas alterius.*

III. Circa propositiones *subcontrarias.*

1. *Duae propositiones subcontrariae* (aliquis homo est sapiens, aliquis homo non est sapiens) *possunt esse simul verae.* Non enim ille *aliquis* est necessario idem individuum.

2. *Duae propositiones subcontrariae non possunt esse simul falsae.* Hoc enim si fieri posset, eo ipso sequeretur, ut duae propositiones contrariae essent simul verae. Verae

enim essent singularum contradictoriae, quia duae contradictoriae non possunt esse simul falsae (p. 71). Sed contradictoriae illae sunt duae propositiones contrariae. Duas vero contrarias simul veras esse non posse supra ostendimus.

Unde regula: *Ex falsitate unius subcontrariae sequitur veritas alterius, sed ex veritate unius non sequitur falsitas alterius.*

IV. Circa propositiones *subalternas.*

1. *Si subalternans* (omnis homo est mortalis) *vera est, vera est et subalternata* (aliquis homo est mortalis), quia haec in priore includitur (principium contradictionis), sed *si subalternata vera est, non necessario vera est subalternans;* quod enim de aliquibus verum est, non necessario verum est de omnibus: duae subcontrariae possunt simul esse verae [1].

2. *Si subalternans falsa est* (omnis homo est philosophus), *non necessario falsa est subalternata* (aliquis homo est philosophus), quia duae subcontrariae possunt esse simul verae; sed *si subalternata falsa est, a fortiori falsa erit subalternans:* duae contrariae non possunt simul esse verae.

Unde breviter: *Ex veritate subalternantis sequitur veritas subalternatae, sed non contra; ex falsitate subalternatae sequitur falsitas subalternantis, sed non contra.*

§ 3. De oppositione contradictoria speciatim.

In contradictoriis inveniendis esse exercitatum ad rectum usum rationis multum confert. Quapropter, ut exercitatio illa facilius obtineri possit, haec sunt commemoranda.

---

[1] Alia ratio: Duae contrariae non possunt simul esse verae; quod tamen contingeret, si in priore casu falsa esse potest subalternata. Quomodo hoc eluceat, videat ipse discipulus.

I. *Generatim* contradictoria semper obtinetur, cum propositioni praefigitur particula «non» vel «non est verum», vel «falsum est». Ita propositio: Bis Petrus Dominum negavit, contradictoriam habet: Non bis Petrus Dominum negavit, vel: Falsum est Dominum a Petro bis negatum esse. Sic etiam: Omnis homo est sapiens, contradictoriam habet: Non omnis homo est sapiens.

II. Quando vero *clarius et magis explicite* haec contradictoria declaranda est, tunc non raro res non nihil est negotii, praesertim cum de propositionibus compositis vel complexis agitur. *Speciatim* proinde haec sunt notanda:

1. Quoad propositiones *simplices*.

a) Propositionis *singularis* contradictoria obtinetur *mutata tantum qualitate*. E. g. «Petrus est philosophus», contradictoria: «Petrus non est philosophus».

b) Propositionis *particularis* contradictoria erit *universalis, mutata qualitate:* «aliquis homo est philosophus», contradictoria: «nullus homo est philosophus»; aliquis homo non est philosophus», contradictoria: «omnis homo est philosophus».

c) Propositionis *universalis* contradictoria proinde est *particularis, mutata item qualitate.* Res ex exemplis modo allatis clare apparet.

2. Quoad propositiones *compositas*.


a) In propositionibus categoricis *aperte* compositis maxime erit cavendum, ne omnes propositiones partiales negentur vel affirmentur vel determinata quaedam propositio partialis. Ad totam enim propositionem evertendam sufficit, ut una vel altera impugnetur. Propositioni copulativae, e. g. «fides et caritas ad salutem sunt necessariae», contradices per disiunctivam improprie dictam: «vel fides vel caritas ad salutem non est necessaria», non autem ponendo e. g.: «neque fides neque caritas ad salutem est necessaria». Haec enim esset contraria.

Idem servetur in adversativis, relativis, causalibus, contradictorie negandis.

b) In propositionibus vero *occulte* compositis haec serventur.

Propositio exponibilis in suas exponentes resolvatur. Propositio aperte exposita deinde impugnetur, servatis regulis in propositionibus aperte compositis servandis.

c) In propositionibus *modalibus* affirmatio et negatio *generatim non sunt in* **dicto** *formaliter, sed in* **modo**, quod maxime contingit, cum modus tamquam praedicatum de priore propositione ut subiecto enuntiatur [1]: proinde contradictoria obtinetur ordinario affirmatione vel negatione modi, i. e. cum ipsi modo particula «non» praefigitur. Quae quidem modorum oppositio hac figura illustrari potest:



Pronuntiatio tamen formaliter talis esse potest, ut dictum et modus revera ut duae enuntiationes considerari debeant. Tunc propositio modalis aequiperanda est copulativae. Sic si modalem habes propositionem: «Petrus necessario currit», contradictoria esse potest: «vel Petrus non currit, vel saltem non currit necessario».

d) In propositionibus *hypotheticis* scimus enuntiationem formaliter fieri non circa componentia, sed circa *nexum*.

---

[1] Cf. supra p. 61.

Proinde qui propositionem hypotheticam contradictorie negare vult, is *nexum neget oportet*, atque in ipso non plus quam requiritur ad propositionem priorem evertendam.

Sit primo *conexa:* «anima, si est corporea, est etiam mortalis», i. e. (cum eiusmodi propositio enuntiet consequens *necessario* sequi ex antecedente) anima, si est corporea, *necessario* est mortalis. Contradictoria est: «si anima est corporea, *non necessario* est mortalis», i. e. possibile est ipsam non esse mortalem.

Disiunctiva vero prius resolvatur in conexam multiplicem, quae deinde propositioni copulativae erit aequiperanda. Sit e. g. «Petrus aut sedet aut stat» = si Petrus sedet, non stat, et si non sedet, stat. Contradictoria est: «si Petrus sedet, non necessario non stat, vel si non sedet, non necessario stat» = si Petrus sedet, fieri potest, ut stet, vel si non sedet, fieri potest, ut non stet. Vel etiam sic progreditur: Petrus aut sedet aut stat = Petrus non simul sedet et stat neque simul non sedet et non stat. Contradictoria est: Vel Petrus simul sedet et stat vel simul non sedet et non stat = Petrus, si sedet, potest stare, vel si non sedet, potest non stare.

Coniunctiva denique nullam parit difficultatem; dicenti enim: «Petrus non simul sedet et stat», contradices ponendo: «Petrus simul sedet et stat.»

e) *Complexas* autem propositiones quod attinet, haec sunt notanda:

Generatim in complexis impugnandis non attenditur nisi ad propositionem principalem, ita ut complexae propositiones generatim tractentur ut simplices.

Potest autem enuntiatio esse talis, ut implicite propositionem contineat (incidentem), quae et ipsa impugnari possit, immo debeat. Tunc complexa tractanda erit ut copulativa. Haec propositio, e. g. «Petrus latronem occidit», contradictorie negari potest hoc modo: «non est verum

Petrum occidisse latronem», i. e. vel Petrus neminem occidit, vel, si occidit quemquam, ille non erat latro.

Exercitationis causa quaeritur, quaenam sint contradictoriae harum propositionum.

I. 1. Neque Petrus neque Paulus est philosophus.
2. Vel Petrus vel Paulus non est philosophus.
3. Vel Petrus vel Paulus est philosophus.
4. Discipulus studiosus felix est, quia Deo placet.
5. Petrus est philosophus, sed non scholasticus.
6. Petrus non est scholasticus, sed philosophus.

II. 1. Solus Deus est aeternus.
2. Petrus habet omnes dotes philosophi praeter perseverantiam.
3. Homo qua rationalis liber est.
4. Petrus doctior est Ioanne.

III. Deus semper fuit — Deus numquam fuit — Deus est ubique.

IV. Ratio humana ex contemplatione rerum creatarum Deum ut infinite perfectum cum certitudine cognoscere potest.

ARTICULUS II.

DE AEQUIPOLLENTIA.

§ 1. Notio.

Apud logicos *aequipollentes* dicuntur propositiones, *quae ex eodem subiecto et eodem praedicato constantes una vel altera negatione differunt et tamen idem significant.* Sic aequipollentes fiunt sequentes propositiones oppositae: «omnis homo est sapiens» et «nullus homo est sapiens» ex additione negationis «non» in priore vel altera propositione. «Omnis homo non est animal» idem enim est ac «nullus homo est animal», et «nullus homo non est animal» idem est ac «omnis homo est animal».

Aequipollentia proinde definitur: *duarum propositionum* (oppositarum) *aequivalentia propter negationem alterutri additam.*

§ 2. Leges.

De aequipollentia propositionum haec sunt tenenda:

I. De aequipollentia propositionum *simplicium.*

1. Particula «non» *praefixa* subiecto propositionis mutat eam in aquipollentem *contradictoriae eius.* E. g.: Omnis homo est sapiens; non omnis homo est sapiens = aliquis homo non est sapiens. — Aliquis homo est sapiens; non aliquis homo est sapiens = nullus homo est sapiens. — Aliquis homo non est sapiens; non aliquis homo non est sapiens = omnis homo est sapiens. — Nullus homo est sapiens; non nullus homo est sapiens = aliquis homo est sapiens.

2. Particula «non» *postposita* subiecto propositionis universalis mutat eam in aequipollentem contrariae eius; postposita vero subiecto propositionis particularis mutat eam in aequipollentem suae subcontrariae. E. g.: Omnis homo est sapiens; omnis homo non est sapiens = nullus homo est sapiens. — Nullus homo est sapiens; nullus homo non est sapiens = omnis homo est sapiens. — Aliquis homo est sapiens; aliquis homo non est sapiens. — Aliquis homo non est sapiens; aliquis homo non non est sapiens = aliquis homo est sapiens.

3. Particula «non» *praeposita et postposita* subiecto propositionis mutat eam in aequipollentem subalternae suae. E. g.: Omnis homo est sapiens; non omnis homo non est sapiens = aliquis homo est sapiens (= non nullus homo est sapiens = aliquis homo est sapiens). — Nullus homo est sapiens; non nullus homo non est sapiens = non omnis homo est sapiens = aliquis homo non est sapiens. — Aliquis homo est sapiens; non aliquis homo non est sapiens = omnis homo est sapiens. — Aliquis homo non est


sapiens; non aliquis homo non non est sapiens = non aliquis homo est sapiens = nullus homo est sapiens.

II. De aequipollentia propositionum *modalium.*

Eadem regula valet pro propositionibus modalibus. Cum autem in eiusmodi propositionibus enuntiatio formaliter sit in modo potius quam in dicto, particula «non» ipsi modo praefigitur vel postponitur.

Notandum quoque est modum «*necessario*» vocari posse *universalem* affirmativum, modum «*impossibile*» *universalem negativum,* «*possibile*» vero vim habere *particularem.* Idem dicendum est de adverbiis loci vel temporis: *semper, numquam, aliquando, ubique, nullibi, alicubi.*

Quae omnia, reflexione circa sensum propositionum taliter affectarum instituta, clare apparent. «Petrus est ubique» idem enim significat ac «omnia loca Petrum habent praesentem». «Petrus est nullibi» idem est ac «nullus locus Petrum habet praesentem» etc. Quae quidem variae oppositiones omnes hoc schemate repraesentari possunt:



Notandum quoque est unamquamque propositionem modalem fieri sibi ipsi aequivalentem, si modus sumatur contrarius (vel subcontrarius, si agitur de propositione particulari), et dictum, contradictorium. E. g.: Necesse est omnem hominem salvum fieri = impossibile est aliquem hominem non salvum fieri. — Possibile est aliquem

hominem salvum fieri = possibile est non nullum hominem (nonnullos homines) salvum fieri.

ARTICULUS III.

DE CONVERSIONE PROPOSITIONUM.

§ 1. Notio.

Vox conversionis in duplici sensu accipi potest:

1. In sensu ipsius *actionis* convertendi, et tunc conversio propositionum definitur: *transpositio subiecti et praedicati alicuius propositionis, servata veritate.*

2. In sensu *proprietatis* relativae exsistentis inter propositiones conversas, et tunc definitur: *proprietas relativa duarum propositionum, quarum altera oritur ex transpositione subiecti et praedicati, servata veritate.*

Propositio, in qua fit eiusmodi transpositio, dicitur propositio *convertenda;* propositio vero ex conversione orta, *conversa.*

Porro quadruplicis generis distinguitur propositio convertenda:

1. Universalis affirmans, quae designatur littera A;
2. Universalis negans, quae designatur littera E;
3. Particularis affirmans, quae designatur littera I;
4. Particularis negans, quae designatur littera O.

Quod exprimitur versiculis:

> Asserit A, negat E, verum generaliter ambo;
> Asserit I, negat O, sed particulariter ambo.

Ratio propter quam, generatim loquendo, conversionem propositionum fieri posse admittimus, in eo est, quod in omni enuntiatione *identitas* affirmatur inter subiecti et praedicati inferiora [1], si non omnia, at saltem nonnulla (vel unum) [2].

---

[1] Cf. supra p. 30.

[2] Recolenda sunt ea, quae supra (p. 58) de *extensione* praedicati in propositione affirmativa et negativa dicta sunt.


§ 2. Regulae in convertendis propositionibus servandae.

I. Regula *generalis* est: *Nullus terminus latius* (quoad extensionem) *sumatur in conversa quam in convertenda, et semper servetur in utraque eadem qualitas.* Alioquin non adesset identitas, de qua supra diximus, neque proinde servari posset veritas.


II. Circa diversas vero propositiones convertendas *speciales* vigent regulae, quae non sunt nisi generalis regulae applicationes, factae sub lumine eorum, quae de extensione praedicati in propositione affirmativa et negativa supra (p. 58) declaravimus. Quae quidem regulae sic enuntiantur:

1. Propositio *universalis negans* (E) et *particularis affirmans* (I) converti possunt, *servata* non solum *qualitate*, sed etiam *quantitate* propositionis. E. g.

Nullus homo est leo
Nullus leo est homo } Fig. 5.




Aliquod animal est leo
Aliquis leo est animal } Fig. 6.




vel

Aliquis homo est sapiens
Aliquis sapiens est homo } Fig. 7.



2. Propositio *universalis affirmans* (A) convertenda ex universali *in particularem mutanda* est. Sequitur ex regula II 1 p. 58. E. g.

Omnis leo est animal
Aliquod animal est leo } Fig. 8.



Eodem modo legitime converti potest propositio universalis negans. Hoc sequitur a fortiori ex regula, quam supra II 1 enuntiavimus (fig. 5).

Sunt qui notandum esse putent propositionem universalem affirmativam in qua *vi materiae* praedicatum eiusdem est extensionis ac subiectum simpliciter esse convertibilem. E. g.: Omnis homo est animal rationale. Omne animal rationale est homo. Sed eiusmodi operatio, etsi transpositis terminis servatur veritas, conversio *logica* proprie dici non potest. In disciplinis enim logicis non ad materiam sed ad formam operationum mentis attendimus animum [1].

III. Propositio *particularis negans conversionis proprie dictae* (in qua servantur idem subiectum et idem praedicatum) capax non est. Regula enim generalis: «nullus terminus latius sumatur», servari non potest. E. g. «aliquis homo non est sapiens» converti non potest neque in propositionem: nullus sapiens est homo, neque in particularem: aliquis sapiens non est homo: in utroque enim casu terminus «homo» latius sumeretur in conversa quam in convertenda. Hoc idem ex fig. 9 clare apparet. Etsi enim illi, qui sunt in parte alba extensionis ideae hominis, non sunt identici cum sapientibus quibusdam, tamen qui sunt in parte nigra, cum illis sunt identici; proinde stante priore




Fig. 9.

[1] Cf. Revue néo-scolastique, Mai 1906, dissertationem, quae inscribitur: «A propos d'une règle sur la conversion des jugements.»

propositione dici non potest: «nullus vel aliquis sapiens non est homo» [1].

Articulus IV.

DE TRANSITU IMMEDIATO EX UNA PROPOSITIONE IN ALIAM SIVE DE ILLATIONIBUS.

§ 1. Notio.

Ex doctrina circa mutuas propositionum proprietates compertum habemus mentem nostram ex una propositione non raro aliam immediate inferre posse, ut cum dicimus: Omnis homo est rationalis; ergo aliquis homo est rationalis.

Actus ille, quo mens aliquam enuntiationem sic *immediate*, i. e. *sine ullo intermedio*, ex altera infert, dicitur illatio, quae proinde definitur: operatio intellectus, vi cuius aliquam enuntiationem ex altera sine intermedio educimus eo, quod cum ea evidenter colligatur.

Illatio, cuius definitionem hic tradimus, non raro dicitur *illatio immediata*, ut distinguatur ab illatione mediata, quae fit ope cuiusdam intermedii et proprie vocatur *ratiocinium*. Quando de *illatione sine addito* sermo est, illatio immediata est intellegenda.

---

[1] Pro particulari negante logici quandam impropriam conversionis rationem excogitarunt, quae, cum sit complicatissima, in praxi vix ullius est momenti. Consistit autem haec conversio in eo, quod, servata quantitate et qualitate propositionis, subiectum et praedicatum mutantur in terminos indefinitos (p. 39). E. g.: «aliquis homo non est sapiens; aliquis non sapiens non est non homo» = aliquis non sapiens est homo (fig. 9). Sic etiam propositio universalis affirmans converti potest. E. g.: «omnis leo est animal; omne non animal est non leo» (fig. 8). Hanc impropriam convertendi rationem conversionem vocant per *contrapositionem*.

Iam vero si *simplicem* vocamus conversionem proprie dictam, in qua quantitas propositionis servatur, *per accidens* vero, illam, in qua propositionis quantitas ab universali in particularem mutatur, omnes legitimae conversionis regulae hoc versiculo exprimi possunt:

Simpliciter f E c I convertitur, E v A per accid.,
Ast O per contrap.; sic fit conversio tota.

Iam vero multae illationis species distingui possunt. Pro munere vero nostro satis erit, si de illis illationibus hic dixerimus, quae in propositionum relativis proprietatibus fundantur [1].

§ 2. Species.

Illationes, de quibus hic dicendum est, ad tres proinde classes reduci possunt:

Prima classis est earum, quae in propositionum *aequipollentia* fundantur: utraque propositio idem significat vocibus diversis. E. g.: Anima humana numquam non vivet: ergo anima humana semper vivet. — Necesse est omnem hominem ratione gaudere; ergo impossibile est aliquem hominem ratione non gaudere.

Secunda classis earum est, quae ex *conversione* propositionum nascuntur: utraque propositio iisdem vocibus diversa significat. E. g.: Omnis homo est rationalis; ergo aliquis rationalis est homo. — Nullus homo est angelus; ergo nullus angelus est homo. — Aliquis homo est philosophus; ergo aliquis philosophus est homo.

Tertia classis est earum, quas propositionum *oppositio* suppeditat: duae propositiones diversa diversis vocibus significant. E. g.: Omnes homines sunt rationales; ergo falsum est aliquem hominem non esse rationalem. — Nullus homo est mendax; ergo falsum est omnem hominem esse mendacem. — Nullus homo est rationalis; ergo aliquis homo non est rationalis.

Illationes, quae ex propositionum oppositione oriuntur, non nullius sunt momenti in disputationibus dialecticis. In ipsis enim fundantur argumenta, quae dicuntur *indirecta, quae* scilicet *fiunt ex comparatione instituta cum contradictoria propositionis probandae.* Sic e. g. ostendi potest propositionem contradictoriam nulla niti ratione et proinde refelli posse vi principii: *Quod gratis asseritur, gratis*

[1] Cf. *Pesch,* Inst. log. I 377; *Lehmen,* Lehrb. d. Phil. I³ 84 sq.

negatur. Ex quo legitime inferri poterit propositionem probandam non necessario esse falsam vel posse esse veram, vel saltem ab adversario non everti. Quae quidem argumentatio dicitur *demonstratio negativa.*

Sic etiam ostendi potest ex contradictoria propositionis probandae sequi aliquid *absurdi*, ipsam proinde esse falsam ut deinde vi principii: *Ex falsitate unius contradictionis sequitur veritas alterius,* concludatur propositionem probandam esse veram: *demonstratio per absurdum.* Sed de his uberius alibi dicemus.

Scholion. Ex eo quod mens reflexione in naturam iudicii cognoscendam redit atque proprietates legesque perscrutatur, exercitatione habita, ipsam facultatem cogitandi excolit. Quomodo autem hic animi cultus institutione puerili via fiat et ratione, docet paedagogia [1].

LIBER III.

DE TERTIA MENTIS OPERATIONE SIVE DE RATIOCINIO.

CAPUT I.

NOTIO RATIOCINII EIUSQUE SIGNI SIVE ARGUMENTATIONIS.

ARTICULUS I.

NOTIO RATIOCINII EVOLVITUR.

I. Mens humana, cum duas ideas inter se comparat, non raro *nexum logicum* [2], licet revera exsistat, *immediate* non detegit. Tunc tertiam assumit ideam, cum qua binas

---

[1] Cf. *Baumgartner,* Pädagogik [4] 120 sq; *Habingsreither,* Lehrb. der Päd. 219 sq; *Kehrein-Keller,* Handb. der Erziehung etc. [13] 97. Cf. etiam *L. Habrich,* in Lexikon der Pädagogik I 744 sqq: «Zur Pädagogik des Denkens.»

[2] Huius vocis definitio recolenda est ex dictis supra p. 54.

illas ideas comparat. Ex comparatione vero illa contingere potest, ut inter varias quas deprehendit relationes quaedam inveniantur, in quibus nexum illum iam clare detegat, ita ut ipsum enuntiare possit. Sic, si animam esse immortalem non immediate, ex comparatione animae et immortalitatis, perspicit, has duas ideas cum spiritualitate comparat sic progrediendo: Quidquid est spirituale, est immortale. Atqui anima humana est spiritualis. Ergo anima humana est immortalis.

Haec tertia mentis operatio dicitur *ratiocinium,* quod proinde definiri potest: *actus mentis, quo duarum idearum convenientia vel repugnantia ex proportione, quam habent cum una tertia notione, infertur.*

In ratiocinio proinde, sicut in iudicio, admittenda est quaedam idearum comparatio. Sed in iudicio duae ideae comparantur inter se, cum in ratiocinio duae ideae comparentur *cum idea tertia.* In iudicio comparatio duarum idearum fit, ut mens perspicere et pronuntiare possit alteram in alterius extensione vel comprehensione contineri vel non contineri; in ratiocinio autem comparatio duarum idearum fit cum una tertia, ut ope huius comparationis cum tertia et sub lumine principii contradictionis mens perspicere et pronuntiare possit, ex *duabus illis ideis* alteram in alterius extensione vel comprehensione contineri vel non.




Fig. 10.

In duplici vero casu haec comparatio mentem in inquisitione sua revera iuvare potest. Etenim, si duas ideas cum tertia comparandas litteras *A* et *B* designamus, tertiam vero littera *C*, tunc, comparatione instituta, haec duo contingere possunt: vel videt mens (fig. 10) *A* esse e. g. in extensione ideae *C*, et *C* in extensione ideae *B,* et tunc perspicit et pronuntiat *A* esse in extensione *B*; vel videt (fig. 11) *A* esse quidem




Fig. 11.

in extensione *C*, sed *C* non esse in extensione *B*, et tunc pronuntiat *A* non esse in extensione *B*.

II. Pronuntiationes autem illas legitimas esse mens clare videt sub lumine quorundam principiorum, quae nituntur in ratione *continentis* et *contenti* et diverse exprimuntur pro diversis ratiociniis; sed *si naturalem nostrum et quasi typicum ratiocinandi modum attendimus*, haec principia sic enuntiari possunt:

1. *Quidquid includitur in contento, ipsum quoque includitur in continente illud;* et

2. *Quidquid continetur in excluso, ipsum quoque est exclusum ab excludente illud.*

Haec principia per se nota ad principium quoddam generalius et unicum reduci possunt, quod sic enuntiatur: *Idem, quod* **implicite** *asseritur,* **explicite** *assertum est sibi idem.* Qui dicit enim *A* esse in *C* et deinde affirmat *C* esse in *B*, implicite dicit *A* esse in *B*. Principium autem hoc immediate fundatur in ipso principio contradictionis [1]. Quae quidem principia omnia, cum talia sint, ut in ipsis legitimitas ratiocinii fundetur, dicuntur ratiocinii *fundamenta* [2].

---

[1] Cf. *Lepidi,* Elem. phil. christ. I 277 279.

[2] «Hoc principium (‚Idem, quod implicite asseritur . . .' etc.) sic expositum non differt re ipsa ab aliis, quae solent pro hac materia adduci, nisi quia rem eandem clarius forte proponit. Et vere quidem, quando dicitur principium ratiocinii esse illud: *Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se,* vel: *Dici de omni et dici de nullo,* hoc est: Quidquid dicitur universaliter de aliqua re, dicitur de omni contento sub illa — et: Quidquid negatur de aliqua re, negatur de omni contento sub illa — vel: *Quae sunt idem eidem, sunt idem inter se,* et: *Quorum unum est idem cum aliquo tertio, aliud vero non est idem, ea non sunt idem inter se* — tota vis, ut patet, horum principiorum in eo continetur, quod id ipsum, quod *implicite* asseritur de duabus notionibus cum tertia comparatis, *explicite* asseritur de ipsis nter se. Ex quo apparet principium a nobis propositum supra ab aliis non differre» (*Lepidi* l. c. I 280 nota 1).

Unde etiam apparet, cur sint quaedam relationes duarum idearum cum tertia, quarum cognitio ad pronuntiationem circa convenientiam vel repugnantiam illarum duarum idearum nihil conferat. Qui videt e. g. (fig. 12) *A* esse in *C* et *B* esse in *C*, et hanc convenientiam enuntiat, is nihil implicite dicit de relatione *A* ad *B*. Item, si pronuntiat e. g. neque *A* neque *B* esse in *C* (fig. 13), de relatione *A* ad *B* nihil dicit.




Fig. 12.

III. *Elementa* proinde ratiocinii haec sunt: *tria iudicia, tres notiones,* ex quibus constituuntur haec tria iudicia, *conexio* ultimi iudicii cum prioribus. Iudicia et notiones sunt *materia* ratiocinii, illud scilicet *ex quo* conficitur; *conexio* vero *forma* eius est, i. e. elementum, *quo fit,* ut tria illa iudicia non sint tres enuntiationes utcumque sibi succedentes, sed constituant unam specialem mentis operationem, quam ratiocinium vocamus.




Fig. 13.

ARTICULUS II.

DE RATIOCINII SIGNO SIVE DE ARGUMENTATIONE.

I. Ratiocinium terminis expressum dicitur *argumentatio,* quae proinde definitur: *oratio, quae unam propositionem ex aliis deducit.*

Nonnumquam etiam dicitur *syllogismus;* sed ordinario haec vox syllogismi usurpatur ad significandam specialem quandam argumentationem, quae stricte vocatur *syllogismus perfectus* et definitur: *argumentatio tribus constans propositionibus ita inter se conexis, ut duabus positis tertia necessario defluat.*

II. *Elementa* argumentationis vel syllogismi totidem sunt ac ratiocinii. Distinguitur enim in ipso quoque materia et forma.

Materia syllogismi sunt:

1. *tres termini* exprimentes tres ideas comparandas;

2. *tres propositiones:* duae scilicet, in quibus fit pronuntiatio circa proportionem duarum idearum cum una tertia; et tertia propositio, qua perspecta convenientia vel repugnantia duarum idearum inter se exprimitur. Quae tertia propositio dicitur *conclusio,* duae priores *praemissae.*

Duo termini conclusionis dicuntur *extrema:* et quidem subiectum, *maius.* Tertius vero terminus ideam exprimens, cum qua duae aliae comparantur, dicitur terminus *medius.*

Praemissa illa, in qua maius extremum (maior terminus) cum medio comparatur, dicitur praemissa maior vel simpliciter *maior,* altera *minor* vocatur.

Usu tamen invaluit ut, quidquid est de extensione terminorum, maior semper dicatur ea propositio, quae priore loco posita sit.

Ratio autem, propter quam tres termini dicuntur extrema et medius, consistit in eorum positione relativa:

A — B — C
minor medius maior.

Ratio vero, propter quam dicuntur maior, medius, minor, invenitur in extensione idearum, quas exprimunt. In ratiocinio enim *generatim* explicando ad conclusionem *affirmativam* praesertim mens attendit. Iam vero in conclusione affirmativa subiectum, vi formae, semper minorem habet extensionem quam praedicatum, in cuius extensione contineri affirmatur *ut pars* (p. 58 II 1). Immo si syllogismum affirmantem in sua perfecta et naturali forma circulis sese includentibus (fig. 10, p. 86) sensibiliter repraesentatum inspexeris, terminum maiorem ex-

tensionem maiorem (circ. *B*), terminum medium mediam, terminum vero minorem minimam extensionem habere clare videbis.




Fig. 14.

Haec omnia compendiose in exemplo supra allato declarari possunt.

Praemissae:

(term. medius) (term. maior)
maior: Omne SPIRITUALE est IMMORTALE
(term. minor.)
minor: Atqui ANIMA HUMANA est
(term. med.)
SPIRITUALIS

(term. minor)
Conclusio: Ergo ANIMA HUMANA est
(term. maior)
IMMORTALIS.

Praemissae nonnumquam dicuntur *antecedens*, et conclusio *consequens*. Quae vox non est confundenda cum voce **consequentiae**, qua designatur ratiocinii forma, scilicet iudiciorum apta *conexio*.

Forma syllogismi est: forma ratiocinii exterius expressa. Consistit proinde in apta propositionum constructione, qua fit, ut ultimi iudicii cum prioribus *conexio exterius exprimatur*. Ut autem vera adsit syllogismi forma, requiritur propositionum conexio et dispositio talis, ut, duabus positis, tertia ponatur necesse sit.

Articulus III.

DE SYLLOGISMI VEL ARGUMENTATIONIS RECTITUDINE ET VERITATE.

§ 1. Notiones declarantur.

Rectitudo syllogismi non est idem ac eius *veritas*.

Rectus dicitur syllogismus, in quo *conclusio est legitime* deducta ex praemissis, *in quo scilicet est consequentia*.

Verus autem est syllogismus, in quo *conclusio* est *vera*.

Vera denique est conclusio, quae subiecto tribuit vel negat, quod ipsi revera tribuendum vel negandum est.

Potest proinde esse syllogismus rectus, cuius conclusio non sit vera, sed falsa; e. g. si sic argumentaris: Omnis homo est rationalis. Atqui leo est homo. Ergo leo est rationalis — habes syllogismum rectum, sed conclusionem falsam.

Item potest syllogismus esse non rectus, cuius conclusio tamen non sit falsa, sed vera; e. g.: Omne spirituale est immortale. Atqui omnis anima humana est immortalis. Ergo omnis anima humana est spiritualis. Haec conclusio est vera, sed non recta. Talis conclusio, cum sit vera in se tantum considerata (propter suam materiam), non autem propter consequentiam (propter formam syllogismi), dicitur *materialiter vera,* non formaliter, vel etiam *vera per accidens* [1].

Exemplum denique syllogismi, in quo desit et rectitudo et veritas, habebis, si dixeris: Omnis anima humana est immortalis. Atqui angelus non est anima humana. Ergo angelus non est immortalis.

§ 2. Nexus declaratur, qui inter rectitudinem syllogismi et conclusionis veritatem viget.

Supposita syllogismi rectitudine, quoad conclusionis veritatem haec sunt notanda:

I. *Si verae sunt praemissae, conclusio semper erit vera.* Hoc sequitur ex ipsa natura syllogismi *recti.* Supposita enim hac rectitudine, conclusio nihil aliud est nisi explicita declaratio eius, quod in praemissis implicite iam dictum est. Sed si praemissae sunt verae, conclusio in ipsis implicata vera est. Proinde explicite declarata vera erit. Idem enim, quod implicite asseritur, explicite assertum est sibi idem.

Unde sequitur axioma, cuius magna erit in disputationibus dialecticis utilitas: *Si consequens falsum est, alterutra saltem ex praemissis falsa sit oportet.*

---

[1] Cf. supra p. 16 sq.

II. *Si falsae sunt praemissae* (ambae vel alterutra), *conclusio potest falsa esse vel vera.* Etenim si falsae supponuntur praemissae, hoc ex duplici ratione fieri potest:

Vel ex eo, quod in praemissis (implicite) enuntiatur relatio convenientiae vel disconvenientiae subiecti et attributi conclusionis *et simul* **ratio** *huius convenientiae, cum revera* **neutrum** sit: tunc conclusio recte deducta necessario erit falsa, secundum principium supra memoratum. Exemplum huius rei habes in hoc syllogismo: Omne spirituale est immortale. Atqui lapis est spiritualis. Ergo lapis est immortalis.

Vel ex eo, quod in praemissis *relatio* convenientiae vel disconvenientiae quidem enuntiatur, *quae revera exsistit,* sed **falsa** adducitur huius relationis **ratio**; tunc principium supra laudatum non impedit, quominus conclusio esse possit vera materialiter, i. e. non ex ratione in syllogismo declarata, sed ex alia. Cuius rei exemplum hic praebet syllogismus: Omnis lapis est immortalis. Atqui anima humana est lapis. Ergo anima humana est immortalis. — Vera est haec conclusio, sed non formaliter, i. e. non propter rationem in syllogismo enuntiatam. Ratio enim, propter quam anima est immortalis, non desumitur ex eo quod sit lapis. Unde axioma: *Ex veritate consequentis non necessario infertur veritas antecedentis.*

Caput II.

DE DIVERSIS SYLLOGISMI SPECIEBUS.

Praenotamen. De diversis argumentationis speciebus iam dicturi divisiones illas omnes praetermittimus, quae sive ex parte *finis* syllogismi, sive ex parte *principii,* sive ex parte *materiae* desumuntur. De his enim infra dicemus, ubi de methodo theses probandi sermo erit. Hic autem *ad rectitudinem formae unice attendentes* eas syllogismi divisiones referemus, quae desumuntur *ex parte formae.*

Quibus omnibus ultimo articulo quaedam addemus de syllogismis non rectis vel sophismatibus.

Syllogismus vero ex parte formae consideratus est vel perfectus vel imperfectus [1].

1. Syllogismus *perfectus* ille est, qui clare et directe conclusionem infert et proinde constat tribus propositionibus nec pluribus nec paucioribus [2].

Syllogismus perfectus est vel categoricus vel hypotheticus.

a) Syllogismus *categoricus* ille est, qui propositionibus constat categoricis. Est

simplex, si propositionibus constat simplicibus (p. 57);

compositus vel complexus, si propositionibus constat compositis vel complexis.

b) Syllogismus *hypotheticus* ille est, cuius maior est propositio hypothetica. Totuplex vero distinguitur syllogismus hypotheticus, quotuplex distinguitur propositio hypothetica. Est enim syllogismus hypotheticus:

conexus, si maior est propositio hypothetica conexa. E. g.: Si Deus est iustus, in altera vita remunerabit pios. Atqui Deus est iustus. Ergo in altera vita remunerabit pios.

coniunctivus, si maior est propositio hypothetica coniunctiva. E. g.: Petrus non simul stat et sedet. Atqui stat. Ergo non sedet.

disiunctivus, si maior est propositio hypothetica disiunctiva. E. g.: Aut dies est aut nox. Atqui dies est. Ergo non est nox.

2. Syllogismus *imperfectus* ille est syllogismus, in quo minus clare neque directe conclusio ex praemissis sequitur: ordinario constat propositionibus paucioribus vel pluribus quam tribus.

De *rectitudine* horum syllogismorum omnium iam est dicendum.

---

[1] Cf. *Pesch,* Instit. log. I 401. [2] Cf. supra p. 89.

Articulus I.

DE SYLLOGISMO CATEGORICO PERFECTO.

§ 1. De regulis generalibus rectitudinis syllogismi.

Omnis recti syllogismi regulae generales sunt *octo*, quarum quattuor priores *terminos* syllogismi respiciunt, reliquae vero *propositiones*. Quae quidem regulae his versibus vulgo exprimuntur:

Terminus esto triplex: medius maiorque minorque.
Latius hos, quam praemissae, conclusio non vult.
Nequaquam medium capiat conclusio fas est.
Aut semel aut iterum medius generaliter esto.

⁂

Ambae affirmantes nequeunt generare negantem.
Utraque si praemissa neget, nihil inde sequetur.
Peiorem sequitur semper conclusio partem.
Nil sequitur geminis ex particularibus umquam.

Dicitur:

Terminus esto triplex: medius maiorque minorque. Id est, tres debent esse termini, nec plures nec pauciores, idque non solum quoad vocem, sed praesertim *quoad rem* significatam.

Ratio huius regulae *ex ipsa natura* syllogismi per se patet. Cavendum proinde est, ne mutata *suppositione* vel propter *aequivocationem* introducatur *quartus terminus* quoad rem, licet tres tantum sint voces.

Contra hanc regulam peccat syllogismus: Homo est species. Atqui Petrus est homo. Ergo Petrus est species. Vel: Omnis canis latrare potest. Atqui aliquis canis sidus est. Ergo aliquod sidus latrare potest.

Latius hos, quam praemissae, conclusio non vult. Id est, in conclusione nullus terminus maiorem extensionem habere debet quam in praemissis. Alioquin in conclusione

enuntiatur aliquid, quod in praemissis implicite non dictum est, quod est contra naturam syllogismi, in quo diximus conclusionem explicite asserere id, quod iam implicite assertum est in praemissis.

Falsus igitur est syllogismus: Omnis leo est vivens. Atqui homo non est leo. Ergo homo non est vivens.

Nequaquam medium capiat conclusio fas est. In conclusione enim fit tantum pronuntiatio circa duo extrema: hoc postulat *ipsa natura* syllogismi. Unde si quis diceret: Petrus erat apostolus. Atqui Petrus erat sanctus. Ergo Petrus erat sanctus apostolus — vera *componendo* diceret, sed non *ratiocinaretur*.

Aut semel aut iterum medius generaliter esto. Id est, praemissae debent esse tales, ut in ipsis terminus medius saltem semel sumatur secundum totam suam extensionem. Proinde, nisi sit singularis, saltem semel debet esse universalis: secus enim bis sumitur particulariter. Tunc autem ille «aliquis» non necessario est idem, sed terminus aequivalenter duplex est et violatur regula: «Terminus esto triplex. . . .»

Unde falsus est syllogismus: Aliqua creatura est rationalis. Atqui leo est creatura. Ergo leo est rationalis. Sic etiam *non rectus* est hic syllogismus, cuius conclusio tamen est *vera:* Omnis homo est rationalis. Atqui Petrus est rationalis. Ergo Petrus est homo.

Ambae affirmantes nequeunt generare negantem. Cum enim in praemissis nulla sit negatio, conclusio negativa in ipsis implicite non invenitur. Proinde nec explicite talis conclusio enuntiari potest.

Utraque si praemissa neget, nihil inde sequetur. Id est, si ambae praemissae sunt propositiones negativae, nulla conclusio ex ipsis erui potest. Tunc enim de relatione, quam duo extrema habent inter se, nihil dicitur in praemissis. Proinde nec in conclusione de ipsis quicquam recte enuntiari potest (p. 88, fig. 13).

Notandum tamen fieri posse, ut syllogismus *apparenter*, inspecta sola terminorum *materiali* suppositione [1], binis constet praemissis negativis, cum, formaliter terminis inspectis, revera una tantum praemissa neget. Sit exemplum: Quod non est compositum, non est divisibile. Atqui anima humana non est composita. Ergo anima humana non est divisibilis. Rectus est ille syllogismus; nam medius terminus est «non compositus», ita ut syllogismus, terminis formaliter sumptis, sic *intellegatur:* Omne «non compositum» non est divisibile. Atqui anima humana est «non composita». Ergo anima humana non est divisibilis [2].

Peiorem sequitur semper conclusio partem. Sensus est: si altera praemissa affirmativa fuerit, altera negativa, conclusio erit negativa; si altera universalis fuerit, altera particularis, conclusio erit particularis.

Ratio:

1. Prioris assertionis ratio patet ex ipsa natura syllogismi (p. 86, fig. 11).

2. *Si altera praemissa fuerit universalis, altera particularis, conclusio particularis sit oportet.* Etenim:

a) Sit primo *utraque praemissa affirmativa.* Tunc unus tantum in ipsis invenietur terminus universalis, subiectum scilicet praemissae universalis. Sed terminus ille, propter regulam «Aut semel aut iterum . . .», medius terminus sit oportet. Extrema proinde in praemissis erunt particularia et consequenter in conclusione necessario particularia erunt iuxta regulam «Latius hos . . .» Conclusio igitur in hoc casu erit particularis.

b) Sit *altera affirmativa, altera negativa.* Tunc conclusio erit negativa, propter regulam supra declaratam. Sed etiam particularis necessario erit. Si enim esset uni-

---

[1] Cf. supra p. 41.

[2] Qui plura de hac re desiderat, legere potest Revue néoscolastique, Août 1905, 289 sqq; ibid. Novembre 1905, 476 sqq.

versalis negativa, *tres in praemissis requirerentur* termini universales: medius scilicet, propter regulam «Aut semel...», subiectum et praedicatum conclusionis, propter regulam «Latius hos...» Subiectum enim conclusionis universale est ex hypothesi; praedicatum vero, quia est attributum propositionis negantis, sumitur secundum totam suam extensionem. Tres ergo in praemissis requiruntur termini universales. Sed revera in ipsis *non sunt nisi duo* termini universales. Subiectum enim propositionis particularis et attributum propositionis affirmativae sunt particulares. Ergo conclusio universalis ex eiusmodi praemissis recte erui non potest.

Nil sequitur geminis ex particularibus umquam. Nam

1. *Si ambae sunt affirmantes,* nullus in ipsis invenitur terminus universalis, quod est contra regulam «Aut semel aut iterum...»

2. *Si altera est affirmans, altera negans, duo* in praemissis requiruntur termini universales, ut conclusio particularis negans recte erui possit. Sed revera in ipsis *non est nisi unicus* terminus universalis, praedicatum scilicet propositionis negantis. Ergo nulla recte deduci potest conclusio ex syllogismo, cuius praemissae ambae sunt particulares.

§ 2. De regulis, quae diversis syllogismi figuris sunt propriae.

I. *Notio figurae syllogismi et species.*

Hucusque syllogismum consideravimus in perfectissima sua et magis naturali forma. Qua quidem forma termini ita inter se disponuntur, ut medius terminus in maiore sit subiectum et in minore praedicatum. Unde, si medius terminus littera *M* exprimitur, extrema vero litteris *S* et *P* (subiectum et praedicatum conclusionis), perfectissima illa forma hac figura repraesentari potest:

M — P
S — M
———
S — P

Fig. I.

Id enim, quod syllogismi figura dicitur, est «*medii termini cum extremis apta ad concludendum dispositio*» [1].

Sed praeter perfectissimam illam formam, aliae etiam inveniuntur minus perfectae, quae scilicet *minus clare* conexionem conclusionis cum praemissis exprimunt. Possunt autem formae illae sic repraesentari:

P — M		M — P
S — M	vel	M — S
S — P		S — P
Fig. II.		Fig. III.




Fig. 15.

Exemplum primae figurae expositum habes supra (p. 90); exemplum vero secundae figurae habebis, si dixeris (fig. 15):

Omnis homo est RATIONALIS.
Atqui leo non est RATIONALIS.
Ergo leo non est homo.

Tertiae vero figurae exemplum praebet hic syllogismus (fig. 16).

Omnis HOMO est rationalis.
Atqui omnis HOMO est animal.
Ergo aliquod animal est rationale.




Fig 16.

Tres proinde distinguuntur syllogismi figurae: *in prima* medius terminus ita disponitur, ut sit subiectum in maiore, praedicatum in minore (sub-prae); *in secunda* vero praedicati munere fungitur in utraque praemissa (prae-prae); *in tertia* denique medius terminus subiectum

[1] Cf. *Frick,* Logica[4] 70.

est in utraque (sub-sub). Tres illae figurae hoc versiculo exprimuntur:

Sub-prae prima, sed altera *bis-prae,* tertia *bis-sub* [1].

II. Regulae autem singularum figurarum hae sunt:

primae figurae (sub-prae): *Sit minor affirmans, maior vero generalis;*

alterius figurae (bis-prae): *Una negans esto, maior vero generalis;*

tertiae denique (bis-sub): *Sit minor affirmans, conclusio particularis.*

Regulae illae speciales in generalibus syllogismi regulis fundantur. *Exercitationis* vero gratia, quomodo hoc fiat, discipulus ipse sibi demonstret.

Notandum tamen est has regulas omnes speciales *negativas potius esse* quam positivas, i. e. *nisi ipsas secutus fueris, recte non concludes;* sed si servantur, non eo ipso sequitur, ut syllogismus necessario rectus sit. Ad rectitudinem enim requiritur, ut contra nullam ex syllogismi regulis peccetur. Sit e. g. hic tertiae figurae syllogismus: Aliquis homo est iustus. Atqui aliquis homo est philosophus. Ergo aliquis philosophus est iustus. — Omnibus regulis tertiae figurae hic syllogismus est conformis. Minor enim est affirmans, et conclusio particularis; non est tamen rectus, quia peccat contra regulam: «Nil sequitur geminis . . .» [2]

---

[1] Sunt qui quartam figuram:

P — M
M — S
―――――
S — P

(prae-sub), excogitaverint. Quae tamen figura non est nisi primae figurae inversio. Cum praeterea sit magis complicata et in praxi minus utilis, sine iactura hic relinqui potest. Cuius tamen regulas si desideraveris, has habebis:

Si maior affirmans, minor sit universalis,
Si minor affirmans, conclusio particularis,
Si una negans, maior sit universalis.

[2] Si *positive* idque *artificiose,* non scientifice scire vis, quinam syllogismi sint recti, quinam falsi, ad syllogismi *modos* insuper erit

§ 3. De syllogismis categoricis compositis vel complexis.

De syllogismis compositis vel complexis, quoad rectitudinem, haec sunt monenda:

I. Sedulo cavendum est, ne in conclusione *explicite* plus enuntietur quam in praemissis implicite assertum est.

---

recurrendum. Est autem *modus: praemissarum et conclusionis apta ordinatio inter se secundum quantitatem et qualitatem.* Quantitatem simul et qualitatem propositionum scimus exprimi litteris A E I O (p. 80). Tot igitur erunt praemissarum cum conclusione ordinationes possibiles, absolute loquendo, quot erunt ex quattuor istis litteris ternariae combinationes possibiles, iuxta leges mathematicas. Est autem summa combinationum illarum omnium $4^3 = 64$. Ex his 52 invenies contra generales syllogismi regulas peccare, ita ut, si a figurarum regulis abstrahis, possibiles remaneant tantum 12, qui sunt: AAA, AAI, AII, IAI, AEE, AEO, AOO, EAE, EAO, EIO, IEO, OAO.

AEO, cum contineatur in AEE, praetermitti potest.

Hi modi utiles, si termini iuxta regulas trium *figurarum* diversimode disponuntur, efficiunt 19 formas syllogismi rectas, quae quattuor hisce versiculis ingeniosissime exprimuntur:

1ª fig.: Barbara, Celarent, Darii, Ferio; (mod. ind.): Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.

2ª fig.: Cesare, Camestres, Festino, Baroco; 3ª fig.: Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Quae omnia ut recte intellegantur, notandum est tres syllabas cuiuslibet vocis tres propositiones syllogismi denotare cum ipsarum quantitate et qualitate, ut paulo ante dictum est. Sic *Barbara* syllogismum exprimit, cuius tres propositiones sunt universales affirmantes; *Celarent* syllogismum, cuius maior est universalis negans, minor universalis affirmans, conclusio universalis negans, e. i. p. Quinque voces quae linea supposita sunt notatae (modi ind.), significant modos primae figurae inversae, quam nonnulli quartam figuram vocant (p. 99).

Litterae vero *consonantes* diversarum illarum vocum ad reductionem modorum inserviunt. Ope enim conversionis propositionum et transmutationis praemissae maioris cum minore plurimi modi

Periculum vero eiusmodi peccati non raro latet in syllogismo, cuius praemissa alterutra vel utraque est propositio **occulte** *composita*.

Sic vitiosa est haec concludendi ratio, quae tamen in terminis aliquam rectitudinis speciem habet: Ens infinite perfectum est aeternum. Atqui solus Deus est ens infinite perfectum. Ergo solus Deus est aeternus. Exponibiles exponantur, et clare videbis conclusionem duas

---

figurarum reliquarum reduci possunt ad figuram primam, ut sic clarius necessitas consequentiae ostendatur. Haec omnia autem sic exprimuntur: «Litterae initiales B C D F innuunt, ad quem modum primae figurae syllogismus reducendus sit. Litterae S et P significant propositionem vocali praecedente significatam esse convertendam, S quidem conversione simplici, P conversione per accidens. Littera M significat maiorem cum minore transmutandam. Littera C in medio vocabuli dicit syllogismum ad primam figuram reduci non posse. Huiusmodi sunt syllogismi in *Baroco* et *Bocardo*. Hi igitur solum indirecte ad evidentiam maiorem demonstrari possunt, videlicet per deductionem ad absurdum seu impossibile. . . . Sit igitur e. g. syllogismus in *Baroco:* Omnis virtus est bona. Aliqua aemulatio non est bona. Ergo aliqua aemulatio non est virtus. Adversarius, maiore et minore concessa, negans consequens eo ipso admittit eiusdem consequentis contradictorium, nimirum: Omnis aemulatio est virtus. Quo admisso novo syllogismo eoque primae figurae et omnino evidente cogitur admittere etiam contradictoriam alterius praemissae a se concessae, et hinc sibi aperte contradicere debet, scilicet retineatur maior: Omnis virtus est bona; ponatur minor: Omnis aemulatio est virtus; ergo omnis aemulatio est bona. Quod est contradictorium minoris antea ab ipso admissae» (*Frick,* Logica[4] 75).

Sed de hisce dialecticis dumetis satis. Admodum enim sunt subtilia et, *usu spectato*, fere nullius momenti. Quapropter, «*si tironibus nimis sint molesta, relinquantur ipsa; non enim multa erit iactura*» (*Lepidi,* Elem. phil. christ. I 306). Attamen, sicut monet ipse ille praeclarus auctor, non sunt aspernanda. Apprime enim valent ad structuram argumentationis penitius ac plenius introspiciendam.

continere assertiones, quarum una vera est et recte deducta, altera vero illegitima.

Regula autem generalis hac in re sic enuntiari potest: *Syllogismus compositus primo resolvatur in diversos syllogismos ex quibus componitur: singuli deinde syllogismi partiales secundum regulas examinentur et aestimentur.*

Exercitationis causa sint hi duo syllogismi examinandi:

1. Ens infinite perfectum solum est aeternum.
   Atqui solus Deus est ens infinite perfectum.
   Ergo solus Deus est aeternus.
2. Omnes discipuli philosophiae studiosissimi praemium percipient.
   Atqui omnes praeter Ioannem sunt discipuli philosophiae studiosissimi.
   Ergo omnes praeter Ioannem praemium percipient.

II. In propositionibus compositis, praesertim vero in *complexis, quidquid est de* terminis, *attendatur ad* ideas, ut perspiciatur, quisnam proprie sit terminus medius, quinam termini extremi.

Regula erit: *Reducantur illi omnes ad formam simpliciorem: A est vel non est B, et examinentur secundum regulas.* Sub lumine vero huius regulae sequentes examinentur syllogismi:

1. Deus salvat omnes, quos praedestinavit.
   Atqui Deus Iudam non praedestinavit.
   Ergo Iudam Deus non salvat.
2. Omnis qui dicit Petrum esse baptizatum, verum dicit.
   Atqui omnis qui dicit Petrum esse christianum, dicit Petrum esse baptizatum.
   Ergo omnis qui dicit Petrum esse christianum, verum dicit.
3. Animalia bruta non sunt id, quod nos sumus.
   Atqui nos sumus rationales.
   Ergo animalia bruta non sunt rationalia.

Articulus II.

DE SYLLOGISMIS HYPOTHETICIS.

§ 1. De syllogismo conexo.

I. Cum propositio conexa enuntiet nexum eiusmodi inter antecedens et consequens, ut alterum ab altero pendeat et quasi in priore contineatur, duo componentia assimilari possunt duabus propositionibus subalternis. Proinde eaedem inter ipsa enuntiari possunt relationes ac illae, quas circa propositiones subalternas (p. 73, IV) declaravimus.

Unde: *Ex veritate antecedentis sequitur veritas consequentis, sed non contra; ex falsitate consequentis sequitur falsitas antecedentis, sed non contra.*

II. Unde duo sunt modi recte concludendi:

1. Modus, qui dicitur *ponens:* Propositione conexa in altera praemissa posita, si in altera ponitur (affirmatur) antecedens, in conclusione recte ponitur consequens. E. g.:

Si Deus iustus est, anima post mortem erit superstes.
Atqui Deus iustus est.
Ergo anima post mortem erit superstes.

Non recte vero concluderes, si diceres:

Atqui anima post mortem erit superstes.
Ergo Deus iustus est.

2. Modus, qui dicitur *tollens:* Propositione conexa in altera praemissa posita, si in altera tollitur (negatur) consequens, in conclusione recte tollitur antecedens. E. g.:

Si anima post mortem non erit superstes, Deus est crudelis.
Atqui Deus non est crudelis.
Ergo anima post mortem (non non) erit superstes.

Vitiosa vero esset ratiocinandi ratio:

Atqui anima humana post mortem erit superstes.
Ergo Deus non est crudelis.

§ 2. De syllogismo coniunctivo.

I. Cum propositio coniunctiva *hoc unum* enuntiet, talem esse inter componentia relationem, ut iudicata praedicata simul subiecto inesse non possint, duo componentia assimilari possunt duabus propositionibus *contrariis*. Eaedem proinde inter ipsas vigent relationes ac inter duas propositiones contrarias (p. 72, II).

Unde: *Ex veritate unius componentis sequitur falsitas alterius, sed ex falsitate unius non sequitur veritas alterius.*

II. Quare unicus tantum recte concludendi modus admitti potest, modus scilicet qui dicitur *ponendo-tollens,* id est: *Uno membrorum maioris in minore posito* (affirmato), *alterum debet in conclusione tolli* vel negari. E. g.: Petrus non simul sedet et stat. Atqui Petrus sedet. Ergo non stat. Illegitima vero est illatio: Atqui non sedet. Ergo stat.

§ 3. De syllogismo disiunctivo.

I. Propositionem disiunctivam scimus (p. 66) enuntiare inter plures propositiones eiusmodi relationem, ut *illae nequeant esse simul verae* **nec simul falsae,** sed necessario quaedam verae, quaedam falsae exsistant. Diversa componentia proinde inter se easdem relationes habent ac propositiones contradictoriae, cum quibus assimilantur (p. 71 sq).

Unde: *Ex veritate unius componentis sequitur falsitas alius, et ex falsitate unius sequitur veritas alius.*

II. Duo proinde admittendi sunt modi recti concludendi:

1. *Modus ponendo-tollens,* i. e. uno membrorum maioris in minore affirmato, alterum vel alia in conclusione sunt neganda. E. g.: Aut dies est, aut nox. Atqui dies est. Ergo non est nox.

2. *Modus tollendo-ponens,* i. e. uno membrorum maioris in minore negato, alterum vel alia in conclusione sunt affirmanda. Sic, in exemplo allato, recte concluditur: Atqui non est dies. Ergo est nox.

Notandum. Cum de natura propositionis disiunctivae sit, ut enuntiet praedicata iudicata simul subiecto inesse non posse, sequitur ut, quando membra maioris plura sunt quam duo, uno in minore affirmato, cetera in conclusione *copulative neganda* sint, i. e. adhibita particula «*neque*». Sit e. g. propositio disiunctiva: Aut hiems est, aut ver, aus aestas, aut autumnus. Si in minore ponitur: Atqui hiems est, recte concludes dicendo: Ergo neque ver est, neque aestas, neque autumnus.

Item, ex eadem ratione, si in minore unum membrum negatur, cetera in conclusione *disiunctive tantum affirmanda* sunt, i. e. adhibita particula «*aut*». In exemplo allato, si in minore dicitur: Atqui non est hiems, concludendum erit: Ergo aut ver est, aut aestas, aut autumnus.

Quae quidem omnia valent pro syllogismo *proprie disiunctivo* recte instituendo. Idem vero dici non potest de conclusione syllogismi *improprie* disiunctivi. Cum enim in propositione improprie disiunctiva (p. 66) indicetur, si minus omnia propositionis membra, vel saltem unum ex iis verum esse, uno membro in minore affirmato, alia in conclusione non recte negantur.

Sit e. g. propositio: Petrus Magistrum suum *vel* ex levitate *vel* ex falso respectu humano *vel* ex ignavia *vel* ex perfidia negavit.

Si in minore ponitur: Atqui non ex perfidia negavit, recte quidem concluditur: Ergo negavit vel ex levitate vel ex falso respectu humano vel ex ignavia. Sed si in minore dicitur: Atqui ex levitate negavit, non recte concluderetur: Ergo neque ex falso respectu etc. negavit.

ARTICULUS III.

DE QUIBUSDAM SYLLOGISMIS IMPERFECTIS.

Syllogismi imperfecti maxime notandi sunt: Enthymema, Epicherema, Sorites, Prosyllogismus, Dilemma.

Enthymema est: *syllogismus abbreviatus, in quo una praemissa, animo retenta, voce non exprimitur.* E. g.: Deus est iustus. Ergo iustam mercedem retribuet.

Animo retinetur maior: Omnis iustus iustam mercedem retribuit. Ad rectitudinem eiusmodi syllogismi diiudicandam restituenda est proprositio suppressa, quae potest esse vel maior vel minor. Si in antecedente deest conclusionis praedicatum, ut in exemplo allato, maior restituenda est; si subiectum deest, minor animo est retenta. Si neutrum extremum in antecedente inveniatur, syllogismus integer hypotheticus erit, e. g.: Pluit. Ergo amicus non veniet; subintellegitur maior: Si pluit, amicus non veniet.

Epicherema est: *argumentatio, in qua uni vel alteri praemissae vel utrique simul additur probatio.* E. g.: Homo habet animam spiritualem, potest enim cogitare. Atqui anima spiritualis est immortalis, quia ens spirituale corrumpi non potest. Ergo homo habet animam immortalem.

Sorites (σωρεύω, cumulo, congero) est: *argumentatio constans pluribus propositionibus ita inter se conexis, ut praedicatum propositionis antecedentis fiat subiectum proxime sequentis, et ita porro, donec ad conclusionem discurrat, in qua subiectum primae propositionis cum praedicato ultimae coniungitur.* E. g.:




Fig. 17.

Vir bonus habet bonam conscientiam.
Qui habet bonam conscientiam, fruitur pace,
Qui fruitur pace, beatus est.
Ergo vir bonus beatus est.

Regula: 1. Nulla praemissa sit negativa praeter ultimam.

2. Nulla praemissa sit particularis praeter primam.

Rationes harum regularum cognosces, si structuram huiusmodi argumentationis perspexeris, vel totum syllogismum in syllogismos partiales resolveris.

Prosyllogismus vel *Polysyllogismus* est: *argumentatio duobus vel pluribus syllogismis constans, in qua conclusio prioris fit praemissa posterioris.* E. g.: Anima, quae operationes elicit intrinsece independentes a materia, est ipsa independens intrinsece a materia. Atqui anima humana operationes elicit intrinsece independentes a materia. Ergo anima humana ipsa est intrinsece independens a materia (spiritualis). Sed quidquid est intrinsece independens a materia, non habet partes constitutivas. Ergo anima humana non habet partes constitutivas (est simplex).

Dilemma est: *argumentatio constans propositione disiunctiva ac duabus hypotheticis conexis, quae ambae ad concludendum aliquid contra adversarium adhibentur*[1]. Exemplum eiusmodi argumentationis praeclarum habes apud *S. Augustinum*, De civitate Dei l. 28, c. 8. Ad probandam enim veritatem fidei catholicae sic ibi argumentatur: Fides catholica aut propagata est miraculis aut sine miraculis. Si primum, ergo vera est, utpote miraculis confirmata. Si alterum, hoc maximum miraculum est quod sic propagata est. Ergo in omni casu divinitus propagata est et proinde vera.

Ad rectitudinem huius argumentationis requiritur:

1°, ut *enumeratio* partium propositionis disiunctivae sit *completa:* alioquin in conclusione *non recte* dicitur «ergo *in omni casu*». Contra hanc regulam peccat praeclarum illud quod Omar califo tribuitur argumentum. Interrogatum scilicet, quid de Alexandrina illa bibliotheca faciendum esset, hoc dilemmate ipsum respondisse ferunt:

---

[1] Inde facile cognoscis, quid sit trilemma, quadrilemma.

Vel libri huius bibliothecae eadem continent atque Alcoranum, vel contraria. Si eadem, inutiles sunt; si contraria, sunt nocivi. Ergo flammis sunt comburendi.

2°, ut conclusiones singulorum membrorum et conclusio generalis *necessariae* sint et *stricte deductae:* alioquin aliae conclusiones eaeque oppositae aequo vel potiore iure deduci possunt, ita ut argumentum *retorqueri* possit. Sic sequens argumentum, quo quis a gubernio suscipiendo aliquem deterrere conatur: Aut bene aut male subditos administrabis. Si bene, displicebis malis; si male, displicebis bonis. Ergo in omni casu displicebis. Proinde gubernium tibi non est suscipiendum, — hoc modo retorqueri potest: Aut bene aut male subditos administrabo. Si bene, placebo bonis; si male, placebo malis. Ergo in omni casu placebo. Proinde gubernium mihi est suscipiendum [1].

ARTICULUS IV.

DE QUIBUSDAM FALSIS ARGUMENTATIONIBUS.

Nobis in animo non est omnes illegitimas concludendi rationes hic referre. De nonnullis enim iam supra diximus, cum de rectitudine diversorum syllogismorum sermo erat. Pro primis autem his disciplinis nostris satis erit, si mentem ad speciales quasdam argumentationes adverterimus, quae sub *specie veritatis falsam conclusionem inferunt.* Cuiusmodi argumentationes, cum ordinario fiant cum *intentione decipiendi,* sophismata vel *fallaciae* dicuntur, ut distinguantur ab illis syllogismis, in quos defectus rectitudinis praeter mentis intentionem irrepsit (paralogismi).

---

[1] Aliud a petulantibus discipulis circumfertur vitiosum dilemma, quod lingua germanica sic exprimitur: Entweder sind die Professoren ordentliche oder außerordentliche. Sind sie ordentliche, so wissen sie nichts Außerordentliches. Sind sie außerordentliche, so wissen sie nichts Ordentliches. Also . . . !

Praecipua vero sophismata sunt: aequivocatio, fallacia sensus compositi et divisi, fallacia a dicto simpliciter ad dictum secundum quid et vice versa, ignorantia elenchi, petitio principii.

Aequivocatio fit, cum aliquis in eodem argumento eadem voce utitur secundum sensum diversum, ita ut quartum quendam terminum introducat. Cuius rei exempla supra (p. 94) protulimus.

Fallacia sensus compositi et divisi contingit, cum arguendo aliquis propositionem in sensu composito intellegendam in sensu sumit diviso et e converso.

In sensu *composito* intellegenda est enuntiatio, cum praedicatum de subiecto non nisi aliqua proprietate affecto vel sub quadam hypothesi accepto, seu quatenus tale est, praedicari potest. Sic in sensu composito intellegenda est haec propositio: Peccatores regnum caelorum obtinere non possunt. Sensus autem (compositus) est: Peccatores ut peccatores, *si remanent peccatores*, regnum caelorum obtinere non possunt. Fallacia sensus divisi proinde deciperet qui sic argueret: Peccatores regnum caelorum obtinere non possunt. Atqui S. Augustinus erat peccator. Ergo regnum caelorum obtinere non potuit.

In sensu vero *diviso* intellegenda est enuntiatio, cum ea proprietas vel hypothesis removenda est, ut propositio veritate gaudeat. Haec verba Christi e. g.: «Caeci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, mortui resurgunt», in sensu diviso sunt intellegenda. Significant enim: Caeci desinunt esse caeci et vident, etc.

Unde sophisma compositionis est sequens argumentatio: Christus facere non potuit ea, quae in conceptu pugnant. Sed caecos videre, surdos audire, mortuos resurgere vel vivere, in conceptu pugnant: caecitas enim et visus, vita et mors, alia, sunt ideae repugnantes (p. 34, II). Ergo Christus facere non potuit, ut caeci viderent, etc.

Fallacia a dicto simpliciter ad dictum secundum quid et e converso committitur, cum ex eo, quod aliquid convenit alicui absolute, i. e. omni particulari condicione remota, arguitur hoc ipsi convenire etiam *secundum quid,* i. e. etiam in tali particulari circumstantia, vel e converso, cum ex eo, quod aliquid convenit subiecto propter talem circumstantiam vel quoad partem, infertur illi ipsum illud etiam convenire absolute vel quoad totum. E. g.: Lex mosaica antiquata est. Ergo et decalogus antiquatus est. — Quod non amisisti, habes. Atqui cornua non amisisti. Ergo cornua habes.

Ignorantia elenchi committitur, quando quis, non attingens statum quaestionis, non probat quod est probandum. Quod tripliciter fieri potest: vel ex eo, quod *nimium* probat («Qui nimium probat, nihil probat»); vel ex eo, quod *non satis* probat; vel ex eo, quod *aliquid aliud probat,* quod non est in quaestione [1]. Ignorantia elenchi e. g. decipiunt qui, ut doctrinam catholicam idololatricam esse ostendant probant *sanctos* non esse *adorandos.*

Petitio principii est argumentatio, in qua vel ipsa conclusio vel aliud iudicium, cuius certitudo ab ipsius conclusionis certitudine pendet, assumitur tamquam principium (praemissa) syllogismi, vel brevius: est argumentatio, in qua *supponitur ut verum id, de quo quaeritur.* Petitio principii vocatur *circulus vitiosus,* quando duorum probandorum unum demonstratur ex altero, alterum iterum ex priore, A ex B et deinde B ex A. Circulum vitiosum facit e. g. qui (Cartesius) veracitatem Dei probat ex evidentia et deinde valorem evidentiae admittit unice propter veracitatem Dei.

---

[1] Cf. *Mercier,* Logique^5 240.

Caput III.
DE METHODO QUAESTIONES SOLVENDI VEL THESES PROBANDI.

Articulus I.
DE IIS, QUAE PROBATIONI SUNT PRAEMITTENDA.

§ 1. De dubitatione scholastica.

Proposita quaestione, e. g. utrum anima humana sit immortalis necne, *dubia, si quae sunt, ante omnia exponantur.* Quam quidem dubitationem necessariam esse S. Doctor his verbis declarat: «Illi», inquit, «qui volunt inquirere veritatem non considerando prius dubitationem, assimilantur iis, qui nesciunt quo vadant. Et hoc ideo, quia, sicut terminus viae est illud, quod intenditur ab ambulante, ita exclusio dubitationis est finis, qui intenditur ab inquirente veritatem. Manifestum est autem, quod ille, qui nescit quo vadat, non poterit directe ire, nisi forte a casu. Ergo nec aliquis potest directe inquirere veritatem, nisi prius videat dubitationem.» [1]

Et ipse quidem, quae fieri debere docebat in scholis, id semper faciebat. «Apud S. Doctorem enim in omnibus libris, qui in usum scholae destinati sunt, in more est positum, ut prius dicatur: *Videtur quod non,* deinde: *Sed contra,* et tum accedatur ad thesim ipsam probandam dicendo: *Respondeo dicendum,* ultimo autem fiat *responsio ad dubia.*» [2]

Quomodo vero haec dubitatio sit instituenda, ut *sobria* sit, in Criteriologia declarabimus.

§ 2. De statu quaestionis.

Dubiis expositis, *status quaestionis* declaretur. Experientia enim saepenumero iam docuit difficultates, quae

---

[1] In l. 3 Metaph. lect. 1. [2] Cf. *Pesch,* Inst. log. I 491.

in disputationibus occurrunt, non raro oriri ex quaestione ipsa perperam vel insufficienter intellecta.

Fit autem haec quaestionis declaratio hoc modo:

1. Obscura, quae in quaestione occurrunt, explanentur. Cum autem difficultates non raro ex verborum ambiguitate oriantur, diversae diversarum vocum significationes, si quae sunt, accurate distinguantur et declarentur.

2. Statu quaestionis deinde iuxta distinctiones et definitiones illas determinato, thesis ponatur.

3. Brevis denique fiat thesis historia, i. e. paucis verbis notetur, quaenam sint diversae de thesi illa sententiae, et quaenam earum rationes praecipuae.

Articulus II.

DE DIVERSIS PROBATIONUM SPECIEBUS.

Argumentationes, si spectatur earum *materia*, i. e. valor propositionum quibus constant, duplicis praesertim sunt speciei. Ex hac parte enim argumenta dividuntur in apodictica et dialectica. Argumentum apodicticum vel *demonstrativum* (demonstratio in sensu lato) est argumentum, cuius praemissae et conclusio sunt certae; argumentum vero *dialecticum* illud est, quo ex utraque vel alterutra praemissa probabili conclusio probabilis eruitur.

§ 1. **De argumentis dialecticis.**

Potissima argumenta dialectica sunt argumentum per analogiam et argumentum per hypothesim.

a) *De argumento per analogiam.*

Argumentum per *analogiam* illud est, quo *unum ab alio infertur propter similitudinem inter ea exsistentem.* Analogia e. g. utuntur medici in pathologia ad morborum causas inveniendas. Ex similibus enim diversorum morborum notis non raro concludunt ad naturam mor-

borum illorum eandem[1]. Nititur ille argumentandi modus hoc praesertim principio: *Quod in uno similium valet, valet etiam in ceteris, et vice versa.*

Analogia in scientiis viam sternit ad inductionem certam. Ratio autem, propter quam argumentum per analogiam non nisi probabilitatem affert, in imperfecta rei observatae cognitione consistit. Ex eo enim quod e. g. effectus alicuius *quasdam* notas easdem esse cognovimus ac notas alius cuiusdam effectus, cuius causam plane perspectam habemus, rationem *sufficientem* non habemus, ut, *propter similitudinem* in effectu, ad causam *eandem* vel eiusdem speciei cum *certitudine* concludamus.

Fieri tamen potest, ut, crescente cognitionis perfectione, ipsa probabilitas crescat, immo ad veram certitudinem transeat. Tunc argumentum habebimus *demonstrativum,* quod dicitur *a pari,* vel etiam, in quibusdam adiunctis, *a fortiori.* Exemplum huius rei affertur in Cosmologia et in Theodicea, ubi de Deo, mirabilis huius mundi dispositionis ordinatore, sermo erit.

Argumenti per analogiam, quando de *simili ad simile* concludimus, duplex quasi species distinguitur:

Dicitur *similitudo,* quando, in genere, ex notis in una re simili exsistentibus concludimus ad exsistentiam similium notarum in ceteris rebus similibus, ut quando ex requisitis in templo materiali concludimus ad requisita similia in templo spirituali, quod est anima, dicendo e. g.:

---

[1] «On fait voir, à l'aide des méthodes inductives, que le choléra a pour cause naturelle l'action d'un bacille connu; c'est une *induction proprement* dite. La conclusion est *certaine.* — Une autre maladie, dont la nature est moins connue, présente divers symptômes *réellement communs* aux maladies d'origine infectieuse. On présume, mais sans pouvoir l'établir péremptoirement, que cette maladie ‚*doit avoir*', comme les maladies infectieuses, une origine microbienne. Cette présomption est une conclusion *analogique*» (*Mercier,* Logique[5] 216).

Ad templum exstruendum terra levis est effodienda et fundamenta in firma petra ponenda. Atqui homini christiano in anima templum Deo est exstruendum. Ergo in ipsa terra levis (passionum) est reicienda et anima in firma fide et caritate stabilienda.

Dicitur *exemplum*, quando e re gesta in uno concludimus ad aliam similem, quam fieri posse vel debere contendimus. Ut quando orator a rebus fortiter gestis a sanctis martyribus concludit ad fortitudinem, qua nos ipsi Deo servire debemus.

Quando res non est realiter, sed ficte tantum gesta, exemplum dicitur *parabola*.

b) *De argumento per hypothesim.*

I. **Notio.** Argumentum per *hypothesim* est *argumentatio, qua quis propositionem, cuius veritas nondum est demonstrata, interim assumit tamquam veram, ut ratio efferatur eorum, quorum vera ratio comperta non est.* Per hypothesim e. g. ratiocinatur qui, ad probandum mundum a Deo esse creatum, primo supponit mundum a Deo esse creatum et deinde ostendit hac in suppositione omnes effectus, quos in eximio huius mundi ordine deprehendimus, optime explicari.

Qui hypothesim enuntiat, hoc modo e. g. ratiocinatur: Si haec causa exsisteret, hi eventus nobis exhiberentur. Atqui hi eventus nobis exhibentur. Ergo haec causa exsistit.

Ex iis vero, quae circa regulas syllogismi conexi declaravimus (p. 103), compertum habemus talem conclusionem *non necessario* et proinde *non certo* sequi. Quia tamen haec hypothesis quaedam facta commode explicat, mens ad assentiendum conclusioni *inclinari* potest et revera nonnumquam legitime ipsi assentit, etsi cum quadam errandi formidine adhaeret, propter alias hypotheses possibiles. Verumtamen, si omnes quae excogitari possunt

hypotheses colligantur, et demonstretur omnes reiciendas esse praeter unam, quippe quae sola factis omnibus correspondeat, tunc haec argumentatio dat certitudinem et *conclusio transit in thesim.* In hoc enim casu maior syllogismi erit: *Solum* si haec causa exsistit, hi eventus nobis exhibentur. — Exemplum huius rei habebimus in Cosmologia et Theodicea, ubi, reiectis omnibus materialistarum sententiis circa ortum mundi, ostendemus *solam hypothesim scholasticam* rationi et experientiae esse consentaneam.

II. **Regulae.** Ut recte poni possit hypothesis quaedam requiritur:

1. Ut aliquam saltem *habeat probabilitatem,* ad minus nihil includat repugnantiae, neque in conceptibus neque cum certis experientiae factis: alioquin enim vel sine ratione sufficienti vel contra rationem ponitur, quod viro veritatis amanti non est dignum.

2. Ut facta omnia vel phaenomena, ad quae explicanda adhibetur, commode explicet. Secus enim, utpote parum apte assumpta, veram probabilitatem non haberet.

III. **Species.** Pro varia natura factorum explicandorum triplex hypothesis species distinguitur:

Physica est, si fiat ad explicandos diversos effectus, qui *in rerum natura* contingunt, et quorum vera causa adhuc non satis est explorata. Sic in physica fiunt hypotheses circa naturam lucis, in physiologia circa sensationum transmissiones ad cerebrum.

Moralis, si fiat ad cogitationes et interiora hominum consilia detegenda.

Logica vel hermeneutica, si fiat ad sensum verborum ac sententiarum explanandum. Cogita e. g. de locutione «προκαθημένη τῆς ἀγάπης» apud SS. Patres explicanda[1].

---

[1] Cf. *Brück,* Kirchengeschichte § 21 adn. 5.

§ 2. De argumentis demonstrativis sive de demonstratione.

I. **Notio.** Vox demonstrationis potest lato et stricto sensu sumi.

Sensu *stricto* est: *argumentatio, qua ex praemissis certis et necessariis conclusio certa et necessaria eruitur.* Necessariae vero dicuntur praemissae vel conclusiones, quae aliae, ac ponuntur, esse omnino non possunt. Exemplum huius rei habes in principio contradictionis. Dicitur autem eiusmodi argumentatio demonstratio perfecta. Sit exemplum: Id, cui nihil addi et a quo nihil demi potest, est immutabile. Atqui enti infinito nihil addi neque ab ipso quicquam nihil demi potest. Ergo ens infinitum est immutabile.

Sensu vero *lato* demonstratio definitur: *argumentatio, qua ex praemissis certis conclusio certa eruitur,* ut in hoc syllogismo: Omnes martyres Christi gloria perfruuntur in caelo. Atqui beatus Paulus est Christi martyr. Ergo gloria perfruitur in caelo.

De diversis demonstrationis speciebus iam dicturi ad sensum huius vocis *latum* attendemus.

II. **Species.** Dividitur autem demonstratio in directam et indirectam.

A. *Directa* ea est argumentatio, qua conclusio colligitur *ex ipsius rei demonstrandae rationibus vel causis* [1]. Demonstrationes e. g. supra allatae sunt demonstrationes directae. Est autem haec argumentatio triplex praesertim:

1. *A priori* est argumentatio, quae probat certo praedicatum subiecto convenire per id, quod ipsi *prius* est, *aperiendo causam,* propter quam attributum subiecto conveniat.

a) Si causam aperit *propriam et immediatam,* demonstratio a priori dicitur *propter quid,* quale est argumentum supra allatum in favorem immutabilitatis Dei probandae.

[1] Cf. supra p. 2 sqq.

b) Si haec causa *minus propria* est vel *non immediata,* demonstratio dicitur *quia,* ut cum hominem esse liberum probaveris ex eo, quod est rationalis.

Ordinario vero demonstratio *quia,* latiore sensu, ea dicitur, quae certo quidem probat praedicatum subiecto convenire, neque tamen propriam vel immediatam rationem huius convenientiae aperit: sed hoc vel ex causa aliqua remota ostendit, vel etiam ab effectu, vel per absurdum, etc.

2. *A posteriori* vero est argumentatio, quae probat certo praedicatum subiecto convenire per id, quod ipsis est *posterius*, i. e. per aliquid, cuius veritas pendet a veritate conclusionis. Talis est omnis demonstratio causae per effectum quemcumque, velut cum Dei exsistentia probatur ex rebus mundanis. Ex dictis huiusmodi demonstrationem scimus semper esse demonstrationem *quia.*

3. *Circularis vel regressiva* denique ea est argumentatio, qua animus, postquam de effectibus ad causam ascendit, ex causa iam cognita descendit ad effectus eosdem penitus inspiciendos vel ad alias qualitates novas detegendas. Demonstratio circularis proinde nihil aliud est nisi probatio orta ex demonstrationis a posteriori coniunctione cum demonstratione a priori. Sic e. g. exsistentia Dei sapientissimi a posteriori, i. e. ex mundi huius ordine, probata, ex ipsa Dei sapientia deinde a priori plura de mundi ordine *deduci* possunt, quae forte experientia immediata non cognoscamus. In hac tamen argumentatione sedulo cavendum erit a circulo vitioso, de quo supra p. 110 diximus.

B. *Indirecta* vero est argumentatio, quae conclusionem colligit *ex comparatione instituta cum contradictoria* conclusionis. — Argumentationis indirectae plures sunt species:

1. Prima et potissima ea est argumentatio, quae dicitur *demonstratio per absurdum.* Consistit autem in eo, quod ostenditur ex contradictoria propositionis probandae sequi

aliquid absurdi, ut cum ad probandum animam humanam esse immortalem ostendunt philosophi funesta consectaria sententiae oppositae, qua e. g. aperiuntur portae colluviei vitiorum ac scelerum. Quae argumentatio hoc duplici principio nititur:

a) *Si consequens falsum est, alterutra saltem ex praemissis falsa sit oportet.* — b) *Ex falsitate unius contradictionis sequitur veritas alterius* (p. 91 et 72).

2. Secunda argumentatio indirecta est *demonstratio negativa,* qua ostenditur *propositionem contradictoriam nulla niti ratione,* et proinde refelli posse vi principii: *Quod gratis asseritur, gratis negatur.* Ex quo indirecte defluit propositionem probandam non necessario esse falsam, vel posse esse veram, vel *saltem ab adversario non everti.* Talis est e. g. argumentatio, qua, ad spiritualitatem animae humanae probandam, ostendunt philosophi, gratuito a materialistis et positivistis contendi operationes vitae rationalis iisdem regi legibus ac motus materiales.

3. Tertia denique argumentatio indirecta est *retorsio,* quae consistit in eo, quod ostenditur contradictoriam ab adversario admissam falsis ex praemissis deduci, quia scilicet vel praemissae materialiter sunt falsae, vel deest forma syllogismi recta. Quae quidem retorsio triplici modo fieri potest:

a) Argumentatione, quae dicitur *ex datis* vel *ad hominem.* Consistit autem haec argumentatio in eo, quod, adhibitis principiis falsis, quae ab adversario ut vera admittuntur, conficitur argumentum, quo ipse adversarius logice adducatur ad admittenda alia, quae falsa esse asserit. Talis est argumentatio, qua adhibito principio scepticorum: «Ratio humana nihil certo scire potest» ostenditur scepticos logice adduci ad admittendum ipsum illud principium non esse certum.

Notandum tamen est tunc solum argumentum ad hominem recte dici posse retorsionem, cum principium

quoddam falsum ab adversario contra nos adhibitum *contra ipsum dirigitur*. Saepenumero autem argumentum ad hominem adhibetur etiam *ad directe probandam thesim* impugnatam; sed tunc non habet nisi valorem relativum, i. e. relative ad adversarium.

Sic theologi argumento ad hominem protestantibus probant solam fidem ad salutem non sufficere: Ea tantum fide tenenda sunt, quae Scriptura Sacra sunt revelata (principium falsum, sed a protestantibus admissum). Atqui Scriptura Sacra nihil dicit de fide sola salvifica (veritas protestantibus demonstranda). Ergo fide non tenendum est solam fidem ad salutem sufficere.

b) Secundo fieri potest retorsio eo, quod praemissae ab adversario adhibitae, *quia recte non concludunt, contra ipsum adhibentur*. Exemplum huiusmodi retorsionis supra (p. 108) declaratum habes.

c) Tertio denique fieri potest retorsio eo, quod argumentatio eadem quoad formam adhibeatur in materia alia, quae sit clarior, ut sic *ostendatur formam esse falsam*, si adversarius regulam, contra quam syllogismus peccat, vel defectum consequentiae, non intellegit. E. g. si quis non intellegeret falsitatem huius argumenti: Omnis homo est animal. Atqui rosa non est homo. Ergo rosa non est animal — potest falsitas conclusionis indirecte demonstrari adhibita alia materia, sed servata eadem forma, hoc modo: Omnis homo est animal. Atqui canis non est homo. Ergo canis non est animal.

Sic etiam vulgaris illa contra Dei scientiam retorquetur argumentatio: Vel Deus scit me salutem assecuturum esse vel non. Si hoc Deus scit, quantacumque peccata commisero, infallibiliter salvus ero, proinde de salute nihil curandum; si providet vero me salutem non assecuturum esse, quaecumque egero, salutem numquam assequi potero, ideoque de salute nihil curandum. — Contra huiusmodi argumentum haec fieri potest retorsio: Vel Deus providet

me fame moriturum esse vel non. Si providet me fame moriturum, etiamsi edero, fame moriar: ergo nihil edendum; si vero providet me fame non moriturum, etiamsi non edero, fame tamen non interibo, proindeque nihil edendum.

Articulus III.

DE ARGUMENTIS INVENIENDIS ET ORDINANDIS.

§ 1. Argumentorum inventio.

De inveniendis argumentis primo dicturi ad argumentationem directam praesertim attendimus. Tota vero huius rei difficultas consistit in *medio inveniendo* [1].

Fatendum quidem est inventionem medii magnam partem ab illa sagacitate et sollertia animi pendere, quae contingit ex naturali aptitudine, qua quis videns causas medias cognoscit et ultimas, in quas omnes resolvuntur. Sed quamvis *invenire* argumenta rationis sit et ingenii, *facile* tamen invenire artis est et exercitii frequentis effectus. Cuius artis sequentes regulae generales statui possunt [2].

I. Qui propositionem aliquam directe probare vult, illi primo consideranda sunt species, genus, differentiae, proprietates, accidentia tum subiecti tum praedicati, ut ex meditatione in iis habita argumenta ipsi occurrant; i. e.:

Ipsum *subiectum* diligenter explanandum est, via analytica, per divisionem scilicet eius metaphysicam, essentialem vel accidentalem. Deinde, notione *praedicati* item metaphysice divisa, quaerendum est, quaenam nota in subiecto considerari possit ut causa convenientiae praedicati. Perfecta autem erit demonstratio, si nota illa est

---

[1] Recole ea, quae de medio termino supra p. 89 sq declarata sunt.

[2] Cf. *Pesch*, Inst. log. I 497 sq.

causa immediata huius convenientiae; perfectior vero, si causa est magis propria; perfectissima denique, si est exclusive propria. Sic philosophiam esse utilem sacerdoti, probari potest ex nota generica philosophiae, quod est scientia, vel ex nota generica sacerdotis, quod est homo, hoc modo argumentando: Omnis scientia utilis est sacerdoti. Atqui philosophia est scientia. Ergo philosophia utilis est sacerdoti. Item, si homo sumitur ut medius terminus.

Patet vero perfectiorem esse nostram cognitionem et proinde perfectiorem demonstrationem, si illa convenientia ostenditur ex ipsa ratione proxima, propter quam *philosophia* est utilis *sacerdoti,* considerando scilicet in philosophia eius rationem formalem («cognitio causarum *ultimarum*») et attendendo in ipso praedicato non ad genus hominis, sed ad ipsam rationem *sacerdotis ut talis,* e. g. «constitutus in iis, quae sunt ad Deum».

II. Quodsi in ipsa re contemplata argumentum inveniri non potest, tunc consideranda sunt ea, quae cum illa re sunt *coniuncta,* qualia sunt causa et effectus, sub lumine principii: *Qualis causa, talis ut plurimum est effectus — Qualis effectus, talis causa.* — Sic opus quoddam praestantissimum esse probatur ex causa efficienti, quod artifex sit peritus; ex causa materiali, quod opus sit ex auro confectum; ex causa finali, quod ad usum cultus divini destinatum sit; vel ex causa formali extrinseca, quod omnes artis regulae servatae fuerint in eius confectione. Item Deum esse sapientissimum probatur ex effectu, quod mundum tam eximio ordine nitentem creavit.

III. Si neque in illis, quae cum re sunt coniuncta, commode argumentum inveniri potest, tunc in illis, quae a re sunt *disiuncta,* medius terminus est quaerendus. Talia vero disiuncta sunt: similia, dissimilia, maiora, minora, paria. Qua in re inter alia haec valent principia: *Quod de uno similium valet, valet et de ceteris — Par parium*

est ratio — Si id, quod verisimilius dicitur, non est verum, neque id verum erit, quod minus videtur verisimile (argumenta probabilia). Sic:

1. *A simili* vel per analogiam argumentatur qui, ut probet animam nostram sanctam esse debere, argumentum sumit ex eius similitudine cum templis, in quibus Deus habitat.

2. *A maiori* vel, ut aiunt, a fortiori argumentatur qui dicit: Si in divitiis, adiunctis etiam honoribus et potestate, non est summum bonum, quomodo fieri potest, ut in divitiis hominis obscuri et privati situm sit?

3. *Ab aequali* vel, ut aiunt, *a pari* argumentatur qui dicit: Quae poena iusta est adversus parricidam, iusta est etiam adversus matricidam.

IV. Si propria denique experientia terminum medium invenire non possumus, relinquitur, ut ad aliorum experientiam vel scientiam confugiamus, qui quidem ultimus locus dicitur *auctoritas*. Est autem auctoritas vel divina vel humana, de qua uberius dicetur in criteriologia.

§ 2. Argumentorum ordinatio.

Et illae quidem sunt praecipuae regulae generales, quibus intellectus noster, dum medium terminum inquirit, non ligatur quidem, sed adiuvatur, ut in recta via, incertis quasi passibus vagans, retineatur, vel, si ab ipsa deflexerit, ad veritatem reducatur. Fieri autem potest, ut non nisi in uno ex his locis argumentum aptum inveniatur, et tunc hoc uno argumento contentis nulla alia nobis sunt cogenda. Quando autem pluribus e locis argumenta sumi possunt, tunc apte omnia inter se sunt ordinanda. Ordo vero ille potest esse vel *logicus* tantum vel *psychologicus*.

I. Quando enim agitur de *veritatibus pure speculativis*, in quibus scilicet admittendis abstrahi possit ab influxu voluntatis, unice attenditur ad *ordinem logicum*. Qui qui-

dem ordo consistit in eo, quod, attenta sola activitate mentis, omnia apte disponuntur secundum veram methodum scientificam. Cuius methodi leges praecipuas has esse scimus:

1. Primo loco semper ponenda sunt ea, quae aliis necessario praesupponuntur.

2. Salvo hoc priore principio, a facilioribus est incipiendum.

3. Omnia secundum disciplinas logicae recte dividantur, ut et *ratio,* quomodo omnia scientifice cohaereant, perspicere possit, et *memoria* in retinendis vel revocandis argumentis adiuvetur.

II. Quotiescumque autem propositio probanda de veritatibus est, quas ut certas admittere solemus non nisi sub *influxu voluntatis* assensum suadentis vel imperantis, maxime attendendum est ad *ordinem psychologicum.* Ordo vero ille consistit in eo, quod omnia apte disponuntur non solum secundum motum intellectus, sed etiam secundum motum voluntatis intellectum et passionem moderantis. Ita fit, ut nonnumquam, quidquid est de ordine logico, primo loco recte ponantur argumenta illa, in quibus voluntas possit invenire rationem, propter quam mentem, propositis deinde aliis rationibus, ad adhaerendum propositioni moveat. Cuius rei exempla non raro invenies apud praestantissimos praesertim *oratores* sive profanos sive sacros: *saepenumero enim in ordine illo psychologico recte instituto tota fundatur vis disputationis vel orationis.*

His omnibus denique expositis, declaratis, probatis, fit *responsio ad dubia:*

Id est, singula dubia singulis responsionibus removeantur. Qua in re sequi possumus S. Doctorem, cui mos erat post probatam thesim sic concludendi: Ad primum ergo dicendum . . . Ad secundum dicendum . . ., etc. Ordinario vero responsiones illae omnes ex statu quaestionis rite declarato ultro defluunt.

Et haec quidem est praeclara, a scholasticis nobis commendata methodus, quae ut uno conspectu perspici possit, sit sequens

SCHEMA GENERALE,

iuxta quod fit processus in quaestione aliqua dialectica solvenda.

I. Dubia exponantur.
II. Status quaestionis.
  1. Definiantur obscura.
  2. Quaestio iuxta illas definitiones determinetur, et ponatur thesis.
  3. Thesis historia.
III. Thesis probatio.
  1. Indirecta:
    a) argumento negativo (imprudentia dubii);
    b) retorsione;
    c) argumento per absurdum.
  2. Directa:
    a) Propria experientia vel ratione (evid. interna):
      α) A posteriori: ex effectu.
      β) A priori: ex causa.
        aa) ex causa remota;
        bb) ex causa immediata et propria.
    b) Ex aliorum experientia, i. e. auctoritate (evid. externa).
IV. Responsio ad dubia.

Articulus IV.

DE METHODO DISPUTANDI.

PRAENOTANDA.

Disputatio scholastica est «quaedam de aliqua quaestione ad illustrandam veritatem instituta concertatio inter duos, quorum alter veritatem exponat atque de-

fendat, alter eam impugnet, servata diligenter syllogismi forma» [1].

Conclusio in disputatione probanda dicitur *thesis.* Qui thesim tuetur, nominatur *defendens;* qui ipsam impugnat, *arguens* vel *obiciens* dicitur.

Cum, post datam a defendente solutionem alicuius difficultatis, argumentum ab arguente urgetur eo, quod ad novam ipse provocat propositionem contrariam vel contradictoriam, actus ille vocatur *instantia,* propositio vero, quae sic contra defendentem enuntiatur, *minor subsumpta* dicitur vel simpliciter *subsumptum.*

Praecepta defendenti et arguenti communia haec sunt:

1. «Uterque statum quaestionis bene noverit ac servet, hinc ne ad aliena a re proposita deducantur; digressi autem pro rei necessitate quam primum ad rem, de qua agitur, redeant.»

2. «Suam uterque sententiam breviter et clare proponat, ut quivis auditor facile disputantes intellegat. Quare tum a superflua verborum copia tum ab abbreviatione et mutilatione sententiarum aeque abstineant.»

3. «Alter alterius verba omnino fideliter, nullo modo immutata, repetat.»

4. «Debitus respectus titulique debiti serventur.» [2]

DISPUTATIONIS SCHOLASTICAE FORMA.

I. *Defendens* primo stans thesim probandam enuntiat his verbis: «*Thesis defendenda est. . . .*» Si disputatio sollemnis est, sic initium ducere potest: «*Si prius iusserit Reverendissimus Superior* (vel *Illustrissimus ac Reverendissimus D. Episcopus,* si episcopus praesit), *benigneque annuerint sapientissimi professores, et faverit ornatissima adstantium corona, thesim probabo sic institutam. . . .*» Thesim enuntiat, explicat atque certis argumentis probat. Quibus finitis addi solet: *Et his videtur thesis esse probata.*

---

[1] *Pesch,* Inst. log. I 223. [2] *Frick,* Logica [4] 101.

II. Tunc *arguens* assurgens thesim impugnat dicens: «*Aggredior thesim et dico* . . .» (statuat propositionem thesi contrariam vel contradictoriam). Quando sollemnis est disputatio, tunc arguens potest argumenta sua primo summatim et soluto sermone declarare, exhibitis prius adversario bonae de argumentatione eius existimationis signis, deinde *in forma* primum argumentum exponat dicendo: «*Unde sic brevius et in forma* . . .» Arguentis vero est eas rationes exquirere, quibus thesis efficacius impugnari possit. Formam vero quod attinet, enthymema, dilemma, syllogismus condicionalis non excluduntur quidem, sed minus frequenter sunt adhibenda. Suadendum imprimis est, ne semper versetur obiectio in syllogismis condicionalibus, «qui, cum haud raro in rerum superficie haereant, pulvinar sunt pigritiae».

Quantum vero fas est, usurpentur syllogismi categorici illique perfecti.

III. Audita arguentis prima assertione opposita vel prima argumentatione, defendens dicit: «*Sic argumentatur dilectissimus condiscipulus*», et totam obiectionem fideliter repetit. Tunc arguentem ipsum alloquens: «*Sic argumentaris, dilectissime condiscipule*. . . .» Singulis deinde argumentationis membris iterum repetitis responsum adiungit, et sic deinceps per totam disputationem.

«Potest autem vitium argumentationis reperiri vel in termino medio vel in alterutro extremorum. Si vitium latet in medio, distinguenda est maior secundum termini medii ambiguitatem dicendo: *Distinguo maiorem*. Deinde eodem sensu distinguenda est minor, dicendo: *Contradistinguo minorem*, ita ut negetur in minore ea pars, quae respondeat parti in maiore concessae. Tandem neganda consequentia his verbis: *Nego consequens et consequentiam, et explico*.»[1]

---

[1] *Pesch*, Inst. log. I 228.

Si vitium latet in extremo maiore vel minore, distinguenda erit praemissa, in qua inest extremum ambiguum, et concessa altera et concessa consequentia, distinguetur consequens dicendo simpliciter: «*Distinguo consequens*», cui distinctioni enuntiatae additur: «*et explico*».

Si remanet alicuius termini ambiguitas, addetur huius termini *subdistinctio.* — Si quid negandum est, dici potest: «*Nego*», vel moderatius: «*Non apparet*», vel: «*Peto probationem*», vel: «*Faveas probare minorem subsumptam*», etc. Maior, ut plurimum, negari non debet, cum saepenumero sit principium omnibus evidens. Unde fit, ut ex eius negatione aliquid iniuriae in arguentem redundare possit. Quare, si nihilominus neganda esset maior, usu invaluit, ut in disputationibus sollemnioribus defendens hac utatur formula: «*Nego maiorem, salva amicitia*» (vel *reverentia,* si arguens sit dignior).

Si alterutra praemissa simpliciter negatur, ulterius procedere opus non est, sed arguenti incumbit onus probandi negatam praemissam.

Quoties vero propositionem aliquam distinguit, defendenti leges servandae sunt, quae hoc versiculo continentur: *divide, defini, concede, negato, probato.*

Divide videlicet, vel distingue propositionis vim duplicem; *defini,* vel explica utrumque; *concede* propositionis partem veram; *negato* falsam; et *probato,* breviter adiungens rationem, cur negaveris.

Praeterea occurrere potest, ut negandum sit suppositum aliquod falsum, in enthymemate v. g. propositio animo retenta, tunc dicendum est: «*Nego suppositum.*» In argumento a pari neganda est interdum paritas: «*Nego paritatem.*»

Quodsi syllogismus careat consequentia, ad praemissas repetitas dicatur: «*Transeat maior, transeat minor*»; repetito deinde consequente, addatur: «*Nego consequens propter defectum consequentiae.*»

Demum si argumentum totum verum esset, tum materia tum forma, sed non probans quod est probandum, responderet defendens: «*Concedo totum, sed quid ad rem?*»

IV. Audita denique defendentis responsione ad difficultatem propositam, arguens videat, quid adiciat.

1. Si negata fuerit a defendente maior vel minor, vel dictum fuerit: Faveas probare maiorem, minorem, etc., ipse arguens dicat: «*Probo maiorem*» (vel *minorem subsumptam)*, et novo syllogismo illam probet.

2. Si simpliciter negata fuerit consequentia, ostendat, si potest, syllogismum esse legitimum.

3. Si distinctio adhibita fuerit, duplici modo poterit urgere, scilicet aut probando partem negatam, aut ex parte concessa ulterius arguendo. Perfectissima esset disputatio, in qua idem medium semper urgeretur contra defendentem; cavendum tamen est, ne cavillando ulterius urgeatur, sed postquam sufficienter soluta fuerit difficultas ex hac parte molita, alia obiectio proferatur, donec vel perfecte soluta fuerit quaestio, vel completus fuerit numerus argumentorum arguenti contra defendentem concessus [1].

Consuetudo ferre potest, ut post argumentationem *in forma* quae dicitur arguenti liceat quasdam obiectiones *extra formam* adicere, tunc et ipse defendens soluto, etsi brevi, sermone respondere poterit.

---

[1] Ita fere *Pesch,* Inst. log. I 228 sq. et *Frick,* Logica [4] 100 sqq.

CRITERIOLOGIA.

PRAENOTIONES.

I. **Criteriologiae definitio.** Criteriologia (a κριτήριον et λόγος) vel *critica* (a voce κρίνειν, discernere) definitur: *scientia verae certaeque cognitionis humanae.* Dicitur:

1. *scientia cognitionis humanae,* quibus verbis critica, quatenus agit de operationibus mentis, convenit cum logica. Critica enim, sicut logica, scientia est, quae versatur circa *cognitiones* mentis humanae (p. 15).

2. *verae certaeque cognitionis* humanae, ut indicetur differentia specifica, nota scilicet, qua critica distinguitur a logica. Logica enim formaliter respicit «**rectum ordinem** *ponendum in operationibus mentis humanae*» (p. 16 sq); criticae vero obiectum formale est ipsarum illarum operationum *veritas* et *certitudo* obtinenda. Aliis verbis: logica scientifice inquirit de regulis, quas mens sequi debet, ut operationes ipsius sint *rectae;* critica vero de regulis, quae servandae sunt, ut eaedem operationes sint *verae* et qua tales *certo* cognosci possint: ambae igitur, pro suo quaeque munere, mentem ad verum cognoscendum informant atque excolunt[1].

II. **Divisio.** Ex hoc speciali criteriologiae fine desumitur eius divisio. Ut enim mens nostra recte informetur secundum cognitionem scientificam regularum, quibus ad veritatem et certitudinem devenire possit, tria ipsi sunt praestanda: 1. *Generatim* ostendendum est intellectum humanum certitudinem acquirere posse, simul-

[1] Cf. supra p. 16 17 90 sq.

que declarandum, quanam ratione hoc fiat. 2. Sub lumine huius cognitionis quasi fundamentalis examinanda sunt *diversa media* (fontes, criteria), quibus ad certitudinem obtinendam utimur, idque, ut eorum valor declaretur et demonstretur. 3. Denique, ut cognitio illa perficiatur, praecipua quae circa veritatem, certitudinem, scientiam in logica et in critica analytice comperta fuerint elementa, *synthetice* erunt exponenda et clarius evolvenda.

Tribus proinde libris

1. Variae sententiae circa exsistentiam et fundamentum certitudinis generatim exponentur et examinabuntur.

2. Diversi certitudinis fontes examini subicientur.

3. Doctrina circa veritatem, certitudinem, scientiam synthetice exponetur et uberius evolvetur.

Liber I.

DE VARIIS QUAE CIRCA EXSISTENTIAM ET FUNDAMENTUM CERTITUDINIS LATAE SUNT SENTENTIIS.

PRAENOTIONES.

Duae sunt notiones, quae in hoc tractatu menti saepissime occurrunt: notio scilicet *veritatis* et notio *certitudinis*. Quarum notionum cognitio *reflexa* fructus erit ex ipsius huius criticae diligenti studio percipiendus. Interdum tamen maxime iuvabit *directam* illarum rationum notionem breviter hic declaravisse. Sit ergo

I. De notione veritatis.

Veritatem hic primario intellegimus *veritatem cognitionis,* quae dicitur etiam veritas *logica*. Vera autem est cognitio omnis, quae est conformis cum re, ad quam refertur. Proinde veritas logica in schola communiter

definitur ut sit: *conformitas vel adaequatio intellectus ad rem.* Voce autem *rei* hic significatur *res menti obiecta,* prout in ea apparent rationes quaedam obiectivae, de quibus intellectus enuntiare possit nexum quendam *logicum* [1] (enuntiabilia), sive res illa in nobis est sive extra nos, idque sive in ordine realiter exsistentium sive in ordine possibilium. «Intellectus» vero nomine significatur non potentia intellectiva, sed *actus* quo intellectus relationem illam obiectivam enuntiat; actus autem ille est *iudicium.* Unde veritas logica consistit in relatione conformitatis iudicii intellectus cum enuntiabili in re [2]. Hoc sensu vocem veritatis sumimus, quando loquimur de *veritate cognitionum nostrarum* vel cum dicimus: «*Mens humana potest assequi veritatem*», i. e. mens humana potest assequi conformitatem cognitionis suae cum re (iudicio directo), immo conformitatem illam cognitionis cum re potest percipere (iudicio reflexo).

Non raro tamen verae dicuntur non solum *cognitiones* sed etiam «*res*» eo sensu, quod rationes obiectivae rerum menti obiectae tamquam logice enuntiabiles relationem conformitatis habent cum «intellectu», i. e. cum iudicio. Unde ipsa *enuntiabilia* de rebus, priusquam intellectus humanus eas actu enuntiat, iam dicuntur veritates. Dicimus e. g.: «Deum exsistere» est veritas, quam omnes homines cognoscere possunt; «bis duo sunt quattuor» est veritas

---

[1] Cf. supra p. 54.

[2] «La vérité logique appartient au jugement, lorsque l'esprit prononce l'union ou la désunion de deux contenus de répresentation entre lesquels il existe, *a parte rei,* une convenance ou non convenance objective. . . . Lorsque l'esprit énonce tel qu'il se présente objectivement le rapport entre deux termes, ou affirme d'un sujet une nature qui lui convient en réalité, le jugement est vrai, doué de *vérité logique,* parce qu'il est conforme à la vérité objective» (*Mercier,* Traité élémentaire de philosophie I[4] 374).

evidens, alia eiusmodi; quod idem est ac: «Deum exsistere» est verum, «bis duo sunt quattuor» est verum. Neque tamen veritas *formaliter*[1] consistit in «rebus», in rationibus illis obiectivis, in enuntiabilibus illis, *ut talibus,* sed in *relatione* conformitatis rationum illarum cum intellectu. Res proinde verae dicuntur non nisi propter relationem cum intellectu quodam. Unde S. Doctor: «Etiam si intellectus humanus non esset», inquit, «adhuc res dicerentur verae in ordine ad intellectum divinum. Sed si uterque intellectus, quod est impossibile, intellegeretur auferri, nullo modo veritatis ratio remaneret.»[2] Haec veritas rerum dicitur veritas *obiectiva* vel *ontologica* et definitur: *adaequatio rei ad intellectum.* Hoc sensu vocem veritatis nonnumquam sumemus, ut cum dicemus: «Homo multas veritates cognoscere potest», vel «multae veritates ab intellegentia humana sunt remotae»[3].

---

[1] Dicitur «*formaliter*», i. e. si consideratur ratio qua veritas intellegitur esse veritas neque quicquam aliud; quae ratio est *relatio* quaedam. Voci vero «*formaliter*» opponitur vox «*fundamentaliter*». *Fundamentaliter* vero veritas intellegitur, si consideratur non ratio eius, sed *fundamentum* relationis qua constituitur, id quo nititur veritas. *Iam* vero *fundamentaliter* veritas consistit in *ipsa re.* Unde *Mercier* (Traité élémentaire de philosophie I[4] 373): «La chose, *considérée en elle-même,* peut être dite *fondamentalement* vraie, car elle est le fondement réel du rapport; mais la vérité *formelle* se trouve uniquement dans le rapport.»

[2] De Verit. q. 1, a. 1.

[3] «La définition traditionelle: *Veritas est adaequatio rei et intellectus,* est donc irréprochable, mais il faut bien l'entendre. Appliquée à la vérité objective, elle signifie: la conformité d'une chose perçue avec son type idéal. Appliquée à la vérité logique, elle signifie: «l'accord d'un jugement avec la convenance ou la répugnance objective des deux termes du rapport sur lequel porte le jugement» (*Mercier,* Critériologie générale[6] 30). — De veritate logica uberius dicemus infra, in huius tractatus libro III; de veritate ontologica fusius sermo erit in Ontologia. Interim non sine

II. De notione certitudinis.

Quid sit certitudo, iam aliquid colligere possumus ex iis, quae in Prolegomenis (p. 1) circa *cognitionem certam* diximus. Ex his enim elucet certitudinem recte definiri posse, ut sit: *firma mentis adhaesio ad veritatem cognitam.* Firma autem adhaesio illa est, quae fit sine errandi formidine, prout rem supra (p. 1) explicavimus.

De diversis certitudinis speciebus capite III ex professo dicturi sumus. Unam tamen ex his divisionibus hic referemus, cum eius cognitio multum valeat ad recte intellegendum, qualis sit status quaestionis hoc tractatu positae. Quae quidem divisio desumitur *ex parte perfectionis cognitionis motivorum adhaesionis.* Sub hoc enim respectu certitudo dividitur in vulgarem et philosophicam.

Certitudo *vulgaris* vel *naturalis* vel *directa* vel *spontanea* ea est, quae fit cum cognitione *directa* tantum motivorum adhaesionis. Id est, in tali certitudine mens reflexione non redit in suum actum adhaesionis, ut motiva maturius perspiciat, quibus ad adhaerendum adducitur; sed sub influxu illorum motivorum directe apprehensorum firmiter assentit. Talis est e. g. certitudo, quam habet vir indoctus vel rusticus de exsistentia mundi et de aliis veritatibus multis, quae, utpote humanae vitae necessariae, facile cognoscuntur.

Certitudo *philosophica* vel *scientifica* vel *reflexa* ea est, quae fit cum cognitione *reflexa* motivorum adhaesionis.

---

fructu legi potest disputatio, quam de hac re habuit *L. du Roussaux* in libello periodico «Revue néo-scolastique» 1911, quaeque inscribitur «Le néo-dogmatisme», 537 sqq, praesertim vero 546 sqq, ubi («La notion de la Vérité») de veritatis definitione iudicium facit; item controversia, quam de hac re cum ipso habuit *C. Sentroul* in eodem libello 1912, 216: «Encore le Néo-dogmatisme» et 287: «Observations sur la réplique de Mgr Sentroul».

In tali certitudine mens firmiter adhaeret, quia, reflexione circa motiva adhaesionis instituta, eorum valorem solidum esse scientifice perspexit. Talis est certitudo, quam philosophus e. g. de exsistentia mundi et Dei ex experientia et ex studio criteriologiae et theodiceae hausit [1].

His declaratis, de sententiis iam dicemus, quas circa exsistentiam et fundamentum certitudinis proferunt: non tamen de omnibus, sed de iis tantum, quarum cognitio pro tempore et pro re maxime est utilis.

Caput I.

DE SCEPTICISMO.

Articulus I.

SCEPTICISMUS EXPONITUR.

Notio. *Scepticismus* est sententia eorum, qui, *naturali* certitudine contempta, eo devenerunt, ut certitudinem omnem negandam esse affirmaverint.

Sceptici duplicis sunt speciei:

Rigidi enim, certitudine reiecta, ne *probabilem* quidem opinionem haberi posse contendunt. Tales sunt qui a *Pyrrhone* [2] magistro dicti sunt *Pyrrhonii*.

Moderatiores vero theoriam quandam *probabilitatis* admittunt. Tales sunt qui dicuntur «Academici». Academiam vero hic intellegimus *non primam* vel veterem,

---

[1] Cf. hanc certitudinis divisionem cum logicae divisione in naturalem et artificialem p. 16.

[2] *Pyrrho* Elide natus (fuit 360—270 a. Ch.) «dixisse fertur nihil honestum vel inhonestum neque iustum neque iniustum, neque verum neque falsum. Difficultatibus indissolubilibus irretiri eum, qui vel aliquid pro re certa asseverasset. Derisus a praesentibus, cum a cane territus post arborem recessisset, difficile esse dixit hominem penitus exuere» (*Pesch,* Inst. log. I 46).

quam Platonis esse scimus[1], sed *mediam*[2] vel secundam et *novam*[3] vel tertiam.

Verum numquam non fuerunt qui scepticismum aut aperte[4] aut implicite profiterentur; atque nostris temporibus multa sunt philosophorum inventa quae logice ad scepticismum ducere ostendemus.

Fundamentum. *Rationes* vero, quibus sceptici innituntur, *praecipuae* hae sunt:

---

[1] Cf. supra p. 19, n. 1.

[2] Academia *media* vel *secunda* *Arcesilaum* auctorem habuit. De «ignorantiae illo magistro» sic Tullius: «Arcesilaus» (316—240 a. Ch.), inquit, «negabat esse quicquam quod sciri posset, ne illud quidem ipsum, quod Socrates sibi reliquisset; sic omnia latere in occulto neque esse quicquam quod cerni aut intellegi posset. Quibus de causis nihil oportere neque profiteri neque affirmare quemquam, neque assensiones approbare, cohibereque semper et ab omni lapsu continere temeritatem, quae tum esset insignis, cum aut falsa aut incognita res approbaretur» (Academ. post. l. 1, c. 12).

[3] *Novam* vel *tertiam* academiam *Carneades* (215—130 a. Ch.) instituit. Is certitudinem omnem quidem reiecit, probabilitatem tamen simpliciter admisit. Huius scholae principia professus est *Philo* eiusque discipulus *Cicero* (106—43). A Carneadis tamen doctrina Tullius in eo recessit, quod admisit alias aliis opiniones esse posse *verisimiliores*.

[4] Saeculo III inter scepticos maxime enituit *Sextus Empiricus* (200—250 p. Ch.). Scripsit: «Pyrrhoniae hypotyposes».

Inter scepticos vero recentiorum temporum nominandi sunt:

Michael de Montaigne (1533—1592), cuius libellus: «Essais de morale».

Petrus Charron (1541—1603), cuius libellus: «De la sagesse».

Franciscus Sanchez (1552—1632), qui librum scripsit: «Quod nihil scitur».

Petrus Bayle (1647—1706), qui scepticismum suum in libro «Dictionnaire historique et critique» maxime professus est.

Quibus ipse *Pascal* (1623—1662) annumerari potest. Cuius libellum «Pensées sur la religion» omnes norunt (art. 4 et 6).

1. Omnes facultates nostrae veritatem cognoscendi, et sensitivae et rationales, inquiunt, saepe nos fallunt. Ergo ipsis non est fidendum.

2. Ratio nostra fortasse opus est numinis cuiusdam maligni, quod voluptati habeat perpetuo errore nos implicitos esse (ita *Pascal*, Pensées art. 6).

3. Argumentum vero eorum gravissimum et «inconcussum» hoc est: Ut haberetur certitudo de aliquo iudicio, criterium aliquod requireretur, quo veritas huius iudicii discerneretur. Sed criterii huius legitimitas non nisi novo quodam iudicio cognosci potest. Requireretur proinde aliud criterium ad veritatem huius iudicii dignoscendam, et consequenter novum etiam aliud iudicium, novum aliud criterium, et ita porro *per progressum in infinitum*, nisi circulus vitiosus induceretur. Sed neutrum, i. e. neque progressus in infinitum neque circulus vitiosus, ad veritatem ducit. Ergo certitudo haberi potest nulla.

Articulus II.

SCEPTICISMUS REFUTATUR.

Haec, quam suscipimus, argumentatio non eo spectat, ut scepticos ab errore reducat: cum eo enim, qui scepticismum universalem *serio* profitetur, nulla argumentatio institui potest, quia nulla principia admittit. Proinde, qui tali morbo est affectus, is sibi insaniaeque suae est relinquendus. Sed cum iis res agitatur, quorum mens scepticismi caligine nondum est offusa. — Quae quidem refutatio his fieri potest argumentis:

I. *Argumento negativo*[1]. Omnes enim homines, *vel ipsi sceptici*, naturali necessitate multas veritates pro certis habent. Hoc *factum* ipsi sceptici ultro admittunt ut factum. Sed *reflexione* circa certitudinem illam naturalem instituta, hic quaeritur, utrum haec certitudo sit legitima, utrum

[1] Vide p. 85 et 118.

scilicet fiat ex propensione quadam necessaria, quae tota ex sola subiecti cogitantis constitutione vel natura oriatur, an efficiatur sub influxu motivi alicuius *obiectivi*. Et ad hanc quaestionem sceptici respondent, neminem scire posse causam huius adhaesionis esse *extrasubiectivam*.

Hoc autem gratis asseritur. Argumenta enim, quibus innituntur, nihil valent. Et re quidem vera:

1. Concedendum quidem est facultates nostras *saepe* nos fallere. Sed ex hoc legitime non deducitur illis *numquam* fidem praestari posse. *Numquam* fidem mererentur, si nullum umquam haberemus criterium dignoscendi, quando nos fallerent et quando non fallerent. Sed tale criterium nobis revera deesse sceptici non ostendunt.

2. Conantur illi quidem hoc ostendere, arguendo de *progressu in infinitum* vel de *circulo vitioso* (p. 138); sed perperam hoc faciunt. *Gratis* enim supponunt novo semper iudicio criterium illud comparari debere, cum tamen experientia constet esse iudicia quaedam (puta principium contradictionis), in quibus uno et eodem actu et conexionem subiecti et praedicati et rationem *obiectivam* huius conexionis perspiciamus[1].

3. Hypothesis vero *numinis maligni* experientia nullo modo probatur, sed gratis ab ipsis ponitur modo illo interrogatorio «quis scit?»[2].

---

[1] «Cet argument (de progressu scilicet in infinitum) repose sur une équivoque. Il suppose que le critère de la vérité, ‚l'instrument judicatoire' dont parle Montaigne, est et doit être extrinsèque à la vérité même dont il s'agit de s'assurer. Si l'homme, doué du pouvoir de réfléchir sur sa propre pensée, est capable de prendre comme objet de connaissance *son jugement*, la connaissance certaine *se justifie elle-même*, et l'on évite à la fois le cercle vicieux et le progrès à l'infini» (*Mercier*, Critériol. gén.[6] 75).

[2] «Que sais-je si le Dieu qui peut tout et par qui j'ai été fait et créé tel que je suis . . ., ne m'a pas fait tel que je me trompasse toujours?» (*Descartes*, 1[re] Méditation.)

II. *Argumentis quibusdam per absurdum*[1]. Scepticus enim, *nisi de ipso suo dubio dubitet,* affirmat cum *certitudine* rationem humanam nihil certo scire posse, quod contradictionem manifeste involvit.

Item ipsa *sua ratione* demonstrat rationem nihil demonstrare posse et alia eiusmodi, alia aliis absurdiora.

Quae cum ita sint, concludendum est scepticismum ut systema omnino arbitrarium negandum, immo ut insaniam a philosopho veri nominis esse reiciendum.

Caput II.

DE CRITICISMO.

Articulus I.

DE CRITICISMO KANTIANO SIVE DE IDEALISMO TRANSCENDENTALI.

§ 1. Criticismus Kantianus exponitur.

Kantii consilium. *Kantius*[2] ad pariendam veram certitudinem omnino necessarium esse duxit, ut ipsius rationis humanae crisis instituatur, inquirendo ante omnia, num revera habeamus facultatem cognoscendi *ea, quae experientiam,* i. e. *naturam physicam,* transcendunt.

Duplex enim generatim distinguit cognitionis nostrae obiectum: phaenomena scilicet et noumena.

Phaenomena sunt rerum *apparentiae,* quae experientia sensuum cognoscuntur (Erscheinungen, Sinnenwesen)[3].

---

[1] Vide p. 118 et 85.

[2] Immanuel Kant, Regismontii (Königsberg) anno 1724 natus ibique philosophiae professor 1770—1796, mortuus 1804.

[3] «Die Wirkung eines Gegenstandes auf die Vorstellungsfähigkeit, sofern wir von demselben affiziert werden, ist *Empfindung.* Diejenige Anschauung, welche sich auf den Gegenstand durch Empfindung bezieht, heißt *empirisch.* Der unbestimmte Gegenstand einer empirischen Anschauung heißt *Erscheinung*» (Kritik der

Noumena vero sunt realia illa, quae his phaenomenis subsunt, et circa quae versatur activitas intellectus et rationis («das Ding an sich», Verstandeswesen)[1].

De his igitur noumenis Kantius, ut scepticismo sese efficaciter obiceret, quaestionem sibi ponendam esse duxit, num ratio humana illa attingere possit, aliis verbis, cum noumena sint res metaphysicae: *utrum metaphysica sit possibilis necne*[2].

Criticae explicatio. In solvenda illa quaestione ipse Kantius sic *dogmatizat*[3].

---

reinen Vernunft 31 [48]). «L'effet d'un objet sur la capacité de représentation, en tant que nous sommes affectés par lui, est la sensation. On nomme *empirique* toute intuition qui se rapporte à l'objet par le moyen de la sensation. L'objet indéterminé d'une intuition empirique s'appelle *phénomène*» (*Barni,* Critique de la Raison pure I 74). — *Nota.* In locis Kantii proferendis paginas duplici nota numeri indicabimus. Prior refertur ad edit. *Rosenkranz* [1838 sqq], altera ad edit. *Reclam.* Quae gallice reddita sunt, a *Barni* sunt conversa et ex opere eius «Critique de la Raison pure» (1869) et «Critique de la Raison pratique» (1848) referuntur.

[1] Kritik der reinen Vernunft 196 (221) 211 (235).

[2] Cf. Prolegomena zu einer jeden künftigen Metaphysik, die als Wissenschaft wird auftreten können 3 (29).

[3] Universam suam inquisitionem criticam in omnes facultates cognoscitivas Kantius quattuor potissimum libris absolvit:

«Kritik der reinen Vernunft» *(Critica rationis purae)* cui alterum opusculum, prioris explicativum, addidit, quod inscribitur:

«Prolegomena zu einer jeden künftigen Metaphysik, die als Wissenschaft wird auftreten können».

«Kritik der praktischen Vernunft» *(Critica rationis practicae).*

«Kritik der Urteilskraft» *(Critica rationis iudicativae).*

Rationem *puram* vocat Kantius activitatem animi nostri, *quatenus ab omni obiectiva realitate, quae ex experientia hausta esse possit, evacuata supponitur.* Rationem illam puram dividit in theoreticam et practicam: prior ea est, quae versatur in cognitionibus *speculativis* (quae manifestant, quid sit verum) ab experientia non

Triplicem primum distinguit facultatem cognoscitivam:

1. *Vim sentiendi* («Anschauungsvermögen»), quae est facultas exhibendi rerum repraesentationes, quae dicuntur intuitiones empiricae vel phaenomena.

2. *Intellectum* («Verstand») seu facultatem iudicandi, i. e. multiplicitatem intuitionum ad unitatem redigendi sub lumine quarundam regularum.

3. *Rationem* («Vernunft») seu facultatem ratiocinandi, i. e. multiplicitatem regularum intellectus ad unitatem redigendi, sub lumine principiorum [1].

In triplici deinde illa cognitione duplex distinguit elementum: materiale scilicet et formale.

---

provenientibus, cuius obiectum proinde est universale et necessarium, ut principium causalitatis («quidquid incipit, habet causam sui»); altera vero ea est, quae versatur in principiis *practicis* (quae indicant, quid sit faciendum vel quomodo sit agendum), quae ab experientia non proveniunt et voluntatem regunt; quorum, iuxta Kantium, prima sunt: *Fac quod tibi praescribit officium,* alterum: *Age semper secundum regulam, quae possit esse lex generalis pro omnibus causis liberis.* — Alia quae conscripsit opera sunt: «Die Religion innerhalb der Grenzen der bloßen Vernunft»; «Grundlegung zur Metaphysik der Sitten»; «Der Streit der Fakultäten»; «Zum ewigen Frieden»; «Anthropologie», alia.

[1] «Alle unsere Erkenntnis hebt von den Sinnen an, geht von da zum Verstand und endigt bei der Vernunft. . . . Der Verstand mag ein Vermögen der Einheit der Erscheinungen vermittelst der Regeln sein, so ist die Vernunft das Vermögen der Einheit der Verstandesregeln unter Prinzipien» (Kritik der reinen Vernunft 242 [264] 245 [267] 70 [88]).

«Toute notre connaissance commence par les sens, passe de là à l'entendement et finit par la raison. . . . L'entendement peut être défini la faculté de ramener les phénomènes à l'unité au moyen de certaines règles, et la raison, la faculté de ramener à l'unité les règles de l'entendement au moyen de certains principes» (*Barni* I 359 362).

Materiale elementum *in genere* est id, quo facultas forinsecus obiecto suo indeterminato movetur ad cognoscendum; elementum autem *formale* est id, quo fit, ut cognitio haec sit aut alia. Quod quidem elementum formale, iuxta Kantium, oritur *a priori*, ante omnem experientiam, ex activitate ipsa facultatis cognoscitivae [1].

In specie vero, diversarum cognitionum haec sunt elementa:

1. *Sensibilitatis* elementum *materiale* est impressio quaedam, quae causas habet extra mentem nescio quas; elementum autem *formale* sunt duae formae subiectivae (spatium et tempus), sensibilitati ante omnem experientiam

---

[1] «Indessen kann man von diesen Begriffen wie von allem Erkenntnis, wo nicht das Principium ihrer Möglichkeit, doch die Gelegenheitsursachen ihrer Erzeugung in der Erfahrung aufsuchen, wo alsdann die Eindrücke der Sinne den ersten Anlaß geben, die ganze Erkenntniskraft in Ansehung ihrer zu eröffnen und Erfahrung zustande zu bringen, die zwei sehr ungleichartige Elemente enthält, nämlich eine *Materie* zur Erkenntnis aus den Sinnen, und eine gewisse *Form*, sie zu ordnen, aus dem inneren Quell des reinen Anschauens und Denkens, die bei Gelegenheit der ersteren zuerst in Ausübung gebracht werden und Begriffe hervorbringen» (Kritik der reinen Vernunft 83 [104]).

«Cependant il est vrai de dire de ces concepts, comme de toute connaissance, que l'on peut trouver dans l'expérience, à défaut du principe de leur possibilité, les causes occasionnelles de leur production. Les impressions des sens nous fournissent, en effet, la première occasion de déployer, à leur sujet, toute notre faculté de connaître et de constituer l'expérience. Celle-ci contient deux éléments très différents, à savoir: une *matière* de connaissance fournie par les sens, et une certaine *forme* servant à ordonner cette matière et venant de la source intérieure de l'intuition et de la pensée pures, lesquelles n'entrent en jeu et ne produisent des concepts qu'à l'occasion de la première» (*Barni* I 148 149).

radicaliter innatae, quibus intuitiones nostrae omnes empiricae quasi vestiuntur et ordinantur [1].

Iam vero, cum formae illae, iuxta Kantium, sint subiectivae, i. e. *qualitates ipsius mentis,* sequitur, ut omnes nostrae intuitiones rerum externarum nihil aliud sint nisi repraesentationes phaenomenorum, quae nobis manifestant qualitates rerum, non prout sunt in se ipsis, sed prout finguntur ab activitate sensibilitatis sub influxu excitationis forinsecus acceptae. Repraesentationes proinde illae, iuxta ipsum, aliter sese haberent, si aliter constituta esset facultas nostra. Quia vero eadem est apud diversos homines huius facultatis constitutio, eadem semper erunt apud ipsos singularum rerum phaenomena, in qua unitate ultimo fundetur cognitionis nostrae «obiectivitas» [2].

---

[1] «In der Erscheinung nenne ich das, was der Empfindung korrespondiert, die Materie derselben (vide supra definitionem vocum ‚Erscheinung' et ‚Empfindung'), dasjenige aber, welches macht, daß das Mannigfaltige der Erscheinung in gewissen Verhältnissen geordnet angeschaut wird, nenne ich die Form der Erscheinung» (Kritik der reinen Vernunft 32 [42]).

«Ce qui, dans le phénomène, correspond à la sensation, je l'appelle la matière de ce phénomène; mais ce qui fait que ce qu'il y a en lui de divers peut être ordonné suivant certains rapports, je le nomme la forme du phénomène» (*Barni* I 74).

[2] «Der Raum stellt gar keine Eigenschaft irgend einiger Dinge an sich oder sie in ihrem Verhältnis aufeinander vor, d. i. keine Bestimmung derselben, die an Gegenständen selbst haftete, und welche bliebe, wenn man auch von allen subjektiven Bedingungen der Anschauung abstrahierte. . . . Der Raum ist nichts anderes als nur die Form aller Erscheinungen äußerer Sinne, d. i. die subjektive Bedingung der Sinnlichkeit, unter der allein uns äußere Anschauung möglich ist.

«Die Zeit ist nicht etwas, was für sich selbst bestünde oder den Dingen als objektive Bestimmung anhinge, mithin übrig bliebe, wenn man von allen subjektiven Bedingungen der Anschauung

2. Quoad *intellectum* vero, elementum *materiale* cognitionis eius invenitur in intuitionibus empiricis (quarum

---

derselben abstrahiert. . . . Die Zeit ist nichts anderes als die Form des inneren Sinnes, d. i. des Anschauens unser selbst und unseres inneren Zustandes» (Kritik der reinen Vernunft 36 [54] 42 [60]).

«L'Espace ne représente aucune propriété des choses, soit qu'on les considère en elles-mêmes ou dans leurs rapports entre elles. En d'autres termes, il ne représente aucune détermination qui soit inhérente aux objets mêmes, et qui subsiste abstraction faite de toutes les conditions subjectives de l'intuition. . . . L'Espace n'est autre chose que la forme de tous les phénomènes extérieurs, c'est à dire, la seule condition subjective de la sensibilité sous laquelle soit possible pour nous une intuition extérieure.

«Le temps n'est pas quelque chose qui existe par soi-même ou qui soit inhérent aux choses comme une propriété objective, et qui, par conséquent, subsiste, quand on fait abstraction de toutes les conditions subjectives de leur intuition. . . . Le temps n'est autre chose que la forme du sens interne, c'est à dire, l'intuition de nous-mêmes et de notre état intérieur» (*Barni* I 81 88 89).

Et alibi (l. c. 49 [66]) his verbis concludit: «Wir haben also sagen wollen, daß alle unsere Anschauung nichts als die Vorstellung von Erscheinung sei, daß die Dinge, die wir anschauen, nicht das an sich selbst sind, wofür wir sie anschauen, noch ihre Verhältnisse so an sich selbst beschaffen sind, als sie uns erscheinen, und daß, wenn wir unser Subjekt oder auch nur die subjektive Beschaffenheit der Sinne überhaupt aufheben, alle die Beschaffenheit, alle Verhältnisse der Objekte in Raum und Zeit, *ja selbst Raum und Zeit, verschwinden würden* und als Erscheinung nicht an sich selbst, sondern nur in uns existieren können. Was es für eine Bewandtnis mit den Gegenständen an sich und abgesondert von aller dieser Rezeptivität unserer Sinnlichkeit haben möge, bleibt uns gänzlich unbekannt. Wir kennen nichts als unsere Art, sie wahrzunehmen, die uns eigentümlich ist, die auch nicht notwendig jedem Wesen, obzwar jedem Menschen, zukommen muß.»

«Ce que nous avons voulu dire, c'est donc que toutes nos intuitions ne sont autre chose que des représentations de phéno-

definitionem vide supra) a sensibilitate allatis; elementum autem *formale* in duodecim praesertim formis primitivis («reine Verstandesbegriffe», «Stammbegriffe») ab intellectu *a priori* productis, quas vocat «*categorias*». Formae autem illae, *quas iudicia potius quam ideas dixeris,* nihil aliud sunt nisi leges quaedam, secundum quas mens nostra vi quadam necessaria et innata regitur in iudiciis suis formandis [1].

---

mènes; c'est que les choses que nous percevons ne sont pas en elles-mêmes telles que nous les percevons, et que leurs rapports ne sont pas non plus réellement ce qu'ils nous apparaissent; c'est que, si nous faisons abstraction de notre sujet ou seulement de la constitution subjective de nos sens en général, toutes les propriétés, tous les rapports des objets dans l'espace et dans le temps, *l'espace et le temps eux-mêmes s'évanouissent,* parceque rien de tout cela, comme phénomène, ne peut exister en soi, mais seulement en nous. Quant à la nature des objets considérés en eux-mêmes et indépendamment de toute cette réceptivité de notre sensibilité, elle nous demeure entièrement inconnue. Nous ne connaissons rien de ces objets que la manière dont nous les percevons; et cette manière qui nous est propre peut fort n'être pas nécessaire à tous les êtres, bien qu'elle le soit à tous les hommes» (*Barni* I 97).

[1] Sicut iudicia sua omnia, ita et categorias illas Kantius ex quadruplici parte dividit. En tabula ab ipso conscripta, quam latine reddimus:

Tabula categoriarum.

1. Quantitatis:	2. Qualitatis:
Unitas,	Realitas,
Pluralitas,	Negatio,
Totalitas.	Limitatio.

3. Relationis:

Inhaerentiae et subsistentiae (substantia et accidens),
Causalitatis et dependentiae (causa et effectus),
Communitatis (actio mutua inter ens agens et patiens).

Imprimis a formalitatibus illis subiectivis originem ducunt praeclara illa iudicia «synthetica a priori», in quibus totam suam doctrinam solidissima fundamenta habere Kantius arbitratus est. Quorum iudiciorum naturam ita explicat, ut in ipsis «necessaria praedicati cum subiecto conexio neque immediate ex perspecta utriusque convenientia cognoscatur, neque mediate per ratiocinia neque per ullam experientiam, sed ex caeca vi, quae rationi innata sit et antecedenter ad omnem experientiam secundum legem pure subiectivam haec iudicia formet» [1].

---

4. Modalitatis:

Possibilitas — Impossibilitas,
Exsistentia — Non-exsistentia,
Necessitas — Contingentia.

Quibus addit:

«Dieses ist nun die Verzeichnung aller ursprünglichen reinen Begriffe der Synthesis, die der Verstand a priori in sich enthält und um deren willen er auch nur ein reiner Verstand ist, indem er durch sie allein etwas bei dem Mannigfaltigen der Anschauung verstehen, d. i. ein Objekt derselben denken kann» (Kritik der reinen Vernunft 79 [96 f]).

«Telle est la liste de tous les concepts originairement purs de la synthèse, qui sont contenus à priori dans l'entendement et qui lui valent le nom d'entendement pur. C'est uniquement grâce à eux qu'il peut comprendre quelque chose à la diversité de l'intuition c'est à dire en penser l'objet» (*Barni* I 138).

Ex his duodecim formis primitivis Kantius (l. c. 79 [97]) alias formas, ipsas quoque puras (i. e. vacuas ab omni elemento, quod ex experientia haustum esse possit), deduci posse contendit, quas *formas deductas* («abgeleitete Begriffe») vocat «praedicabilia». Eiusmodi rationes, iuxta ipsum, sunt e. g. «praedicabilia» actionis et passionis, quae ex categoria causalitatis, et praedicabilia mutationis: fieri, desinere, quae ex categoria modalitatis «deducit». Quantum autem haec a Kantio tam abstruse excogitata praedicabilia et illae duodecim ab ipso inventae categoriae ab aristotelicis praedicamentis et praedicabilibus differant, nemo est, qui non videat.

[1] *Pesch,* Inst. log. II 356. Cf. etiam *Frick,* Logica[4] 219 sqq.

Iudicia enim sua omnia Kantius dividit:

a) in analytica et synthetica.

Analytica vocat ea omnia et sola, quorum praedicatum in subiecto ita continetur, ut ex sola subiecti analysi in ipso detegi possit. E. g.: «a = a»; vel etiam, iuxta ipsum: «omnia corpora sunt extensa».

Synthetica ea omnia, in quibus notio praedicati est extra notionem subiecti. E. g. «omnia corpora sunt gravia» [1].

---

[1] «In allen Urteilen, worinnen das Verhältnis eines Subjektes zum Prädikate gedacht wird, ist dieses Verhältnis auf zweierlei Art möglich: entweder das Prädikat B gehört zum Subjekt A als etwas, was in diesem Begriffe A (versteckterweise) enthalten ist; oder B liegt ganz außer dem Begriffe A, ob es zwar mit demselben in Verknüpfung steht. Im ersten Fall nenne ich das Urteil analytisch, im andern synthetisch. . . . Die ersteren könnte man auch Erläuterungs-, die andern Erweiterungsurteile heißen, weil jene durch das Prädikat nichts zum Begriffe des Subjekts hinzutun, sondern dieses nur durch Zergliederung in seine Teilbegriffe zerfällen, die im selbigen schon (obschon verworren) gedacht waren; dahingegen die letzteren zu dem Begriffe des Subjekts ein Prädikat hinzutun, welches in jenem gar nicht gedacht war und durch keine Zergliederung desselben hätte können herausgezogen werden» (Kritik der reinen Vernunft 21 [39]).

«Dans tous les jugements, où l'on conçoit le rapport d'un sujet à un prédicat, ce rapport est possible de deux manières. Ou bien le prédicat B appartient au sujet A comme quelque chose déjà contenu dans le concept A; ou bien B, quoique lié à ce concept, est placé tout à fait en dehors de lui. Dans le premier cas je nomme le jugement analytique; je l'appelle synthétique dans le second. . . . On pourrait aussi nommer les premiers des jugements explicatifs et les seconds des jugements extensifs. Les premiers en effet, n'ajoutent rien par le prédicat au concept du sujet, mais ne font que le décomposer par le moyen de l'analyse en ses divers éléments déjà conçus avec lui (quoique d'une manière confuse); les seconds au contraire ajoutent au concept du sujet un prédicat qui n'y était pas conçu et qu'aucune analyse n'aurait pu en faire sortir» (*Barni* I 54 55).

b) in iudicia a priori et iudicia a posteriori.

A posteriori sunt iudicia illa, in quibus *synthesis* subiecti et praedicati fit *experientia.* E. g. «Petrus currit».

A priori autem ea, in quibus *synthesis* illa fit ab *ipsa activitate mentis* independenter ab experientia, etsi ipsa notio subiecti vel praedicati ex experientia orta esse possit [1].

His declaratis, Kantius iudicia analytica omnia a priori esse dicit; ex iudiciis vero syntheticis multa item a priori esse omnino extra dubium ponit. Eiusmodi enim affirmat esse fere omnia iudicia scientiarum. Immo, iuxta ipsum, haec sola veram scientiam constituunt, quia in ipsis solis inveniatur duplex elementum requisitum ad iudicium scientificum; sunt enim necessaria, universalia, talia prae-

---

[1] «Wir werden also im Verfolg unter Erkenntnissen *a priori* nicht solche verstehen, die von dieser oder jener, sondern die schlechterdings von aller Erfahrung unabhängig stattfinden. Ihnen sind empirische Erkenntnisse oder solche, die nur *a posteriori,* d. i. durch Erfahrung, möglich sind, entgegengesetzt. Von den Erkenntnissen *a priori* heißen aber diejenigen *rein,* denen gar nichts Empirisches beigemischt ist. So ist z. B. der Satz: eine jede Veränderung hat ihre Ursache, ein Satz *a priori,* allein nicht rein, weil Veränderung ein Begriff ist, der nur aus Erfahrung gegeben werden kann» (Supplem. IV 696 [I 648]). Cf. etiam *Braig,* Vom Erkennen 115, in expositione huius systematis.

«Sous le nom de connaissance à priori, nous n'entendrons donc pas celles qui sont indépendantes de telle ou telle expérience, mais celles qui ne dépendent absolument d'aucune expérience. A ces connaissances sont opposées les connaissances empiriques, ou celles qui ne sont possibles qu'à posteriori, c'est à dire par le moyen d'expérience. Parmi les connaissances à priori, celles-là s'appellent pures, qui ne contiennent aucun mélange empirique. Ainsi, par exemple, cette proposition: tout changement a une cause, est une proposition à priori, mais non pas pure, parce que l'idée du changement ne peut venir que de l'expérience» (*Barni* I 46 47).

sertim ut nova cognitio ipsis acquiratur, cum praedicatum sit extra notionem subiecti. Iudicia autem analytica *novam* cognitionem non efformant, iudicia vero synthetica a posteriori sunt particularia et contingentia.

Ad confirmandam autem suam *affirmationem* Kantius nonnulla affert exempla ex mathematica ($7 + 5 = 12$), ex physica (in mutationibus corporis nulla perit materiae quantitas), ex metaphysica (mundus initium habuit, vel etiam: quidquid incipit, habet causam sui)[1].

Iam vero iudicia illa synthetica apud omnes homines, iuxta Kantium, eadem sunt, quia in omnibus eadem

---

[1] «Man sollte anfänglich zwar denken, daß der Satz $7 + 5 = 12$ ein bloß analytischer Satz sei, der aus dem Begriffe der Summe von Sieben und Fünf nach dem Satze des Widerspruches erfolge. Allein wenn man es näher betrachtet, so findet man, daß der Begriff der Summe von 7 und 5 nichts weiter enthalte als die Vereinigung beider Zahlen in eine einzige, wodurch ganz und gar nicht gedacht wird, welches diese einzige Zahl sei, die beide zusammenfaßt (!). Der Begriff von Zwölf ist keineswegs dadurch schon gedacht, daß ich mir bloß jene Vereinigung von 7 und 5 denke (!), und ich mag meinen Begriff von einer solchen möglichen Summe noch so lange zergliedern, so werde ich doch darin die Zwölf nicht antreffen.» (!)

«On est sans doute tenté de croire d'abord que cette proposition $7 + 5 = 12$ est une proposition purement analytique, qui résulte, suivant le principe de contradiction, du concept de la somme de sept et de cinq. Mais quand on y regarde de plus près, on trouve que le concept de la somme de 7 et de 5 ne contient rien de plus que la réunion de deux nombres en un seul, et qu'elle ne nous fait nullement connaître quel est ce nombre unique qui contient les deux autres. L'idée de douze n'est point du tout conçue par cela seul que je conçois cette réunion de cinq et de sept, et j'aurais beau analyser mon concept d'une telle somme possible, je n'y trouverai point le nombre douze» (*Barni* I 59 60). Haec et alia multa non minus inepte affirmata invenies p. 703 (651).

inveniatur necessitas cogitandi («Denknotwendigkeit»), immo in eorum uniformitate *fundatur ipsa uniformitas legum naturae*, quia natura rerum physica in phaenomenis sit, phaenomenorum autem legislator sit ipsa ratio humana [1].

Ex his omnibus Kantius concludit activitatem intellectus nostri non habere valorem obiectivum, nisi contineatur in ordine phaenomenorum cognoscendo; de noumenis vero, i. e. de rebus ut sunt in se, nihil nobis ab ipso manifestari [2].

---

[1] «Die Ordnung und Regelmäßigkeit also an den Erscheinungen, die wir *Natur* nennen, bringen wir selbst hinein und würden sie auch nicht darin finden können, hätten wir sie nicht oder die Natur unseres Gemütes hineingelegt. . . . So übertrieben, so widersinnig es also auch lautet, zu sagen: der Verstand ist selbst der Quell der Gesetze der Natur, und mithin der formellen Einheit der Natur, so richtig und dem Gegenstande, nämlich der Erfahrung, angemessen (!) ist gleichwohl eine solche Behauptung» (Kritik der reinen Vernunft 114 [134 sq]).

«C'est donc nous-mêmes qui introduisons l'ordre et la régularité dans les phénomènes que nous appelons nature, et nous ne pourrions les y trouver s'ils n'y avaient été mis originairement par nous ou par la nature de notre esprit. . . Si extravagant donc et si absurde qu'il paraisse de dire que l'entendement est la source des lois de la nature, et par conséquent de l'unité formelle de la nature, cette assertion n'en est pas moins parfaitement exacte et parfaitement conforme à l'objet, c'est à dire à l'expérience» (*Barni* II 431 433).

«*Kategorien* sind Begriffe, welche den Erscheinungen, mithin der Natur, als dem Inbegriffe der Erscheinungen (natura materialiter spectata), Gesetze a priori vorschreiben» (l. c. 754 [680].)

«Les catégories sont des concepts qui prescrivent à priori des lois aux phénomènes, par conséquent à la nature, considérée comme l'ensemble de tous les phénomènes (natura materialiter spectata)» (*Barni* I 188). Cf. *Braig*, Vom Erkennen 124 sq.

[2] «Hieraus nun fließt unwiderruflich, daß die reinen Verstandesbegriffe niemals von transzendentalem, sondern jederzeit nur

3. In *ratione* denique elementum materiale Kantius dicit esse conceptus vel iudicia ab intellectu formata et ad unitatem quandam ratione reducenda; elementum vero formale inveniri in tribus *normis* quibusdam *menti innatis,* quas *ideas*[1] vocat: idea scilicet ipsius *ego* psychologica, idea *mundi* cosmologica, idea *Dei* theologica.

Quemadmodum enim categoriae sunt normae quaedam, secundum quas formantur conceptus nostri et iudicia, ita «ideae» illae sunt normae et condiciones, secundum quas formantur *ratiocinia.*

«Iam triplex est secundum Kantium ratiocinandi modus:

---

von empirischem Gebrauch sein können, und daß die Grundsätze des reinen Verstandes nur in Beziehung auf die allgemeinen Bedingungen einer möglichen Erfahrung, auf Gegenstände der Sinne, niemals aber auf Dinge überhaupt bezogen werden können» (Kritik der reinen Vernunft 240 [229]).

«Il suit de là incontestablement que l'usage des concepts purs de l'entendement ne peut jamais être transcendental, mais qu'il est toujours empirique, que les principes de l'entendement pur ne peuvent jamais se rapporter aux choses en général, mais seulement aux objets des sens et suivant les conditions générales d'une expérience possible» (*Barni* I 312).

Item l. c. 235 (258): «Die Kritik des reinen Verstandes erlaubt es also nicht, sich ein neues Feld von Gegenständen, außer denen, die ihm als Erscheinungen vorkommen können, zu schaffen und in intelligible Welten, sogar nicht einmal in ihren Begriff, auszuschweifen.»

«La critique de cet entendement pur ne nous permet donc pas de nous créer un nouveau champ d'objets en dehors de ceux, qui peuvent se présenter à lui comme phénomènes et de nous aventurer dans des mondes intelligibles, ni même dans leur concept» (*Barni* I 350).

[1] Unde vides cur Kantii systema *idealismus* vocetur. Est enim *idealismus* in genere: *sententia eorum qui obiectum cognitionis humanae ad ideas restringunt.* Dicitur autem *transcendentalis,* quia non realitatem omnem negat, sed eam tantum quae est *ultra cognitionem empiricam.*

a) «Ratiocinium *categoricum,* innixum in categoria substantiae et accidentis, ducit ad aliquod subiectum absolutum, quod non iam possit de alio subiecto praedicari, et haec est *idea ego* seu *idea psychologica.*

b) «Ratiocinium *hypotheticum,* innixum in categoria causae et effectus, ducit ad ideam absolutae cuiusdam dependentiae omnium singularium a totalitate quadam, et haec est *idea mundi* seu *idea cosmologica.*

c) «Ratiocinium *disiunctivum,* innixum in categoria actionis mutuae, ducit ad ideam absolutae alicuius unitatis omnium realitatum et perfectionum (,Wesen aller Wesen'), et haec est *idea Dei* seu *idea theologica.*»[1]

Quae tres ideae, cum ex elementis pure subiectivis constituantur, nihil omnino exhibent, quod in rerum realitate *extra mentem* exsistat. Hoc unicum eorum munus est, *ut mentem in ratiocinando* **dirigant**: sunt *id quo* cognosci potest, ratiocinari potest, infra limites experientiae, non autem *id quod* cognosci possit et ad quod concludi possit, extra hos limites, in ordine transcendentium vel noumenorum.

Est quidem, secundum Kantium, in nobis naturalis quaedam et necessaria inclinatio, qua inevitabiliter («unhintertreiblich») adducimur ad adhibendas formas illas ultra limites experientiae circa noumena et in specie circa ipsam naturam animae, mundi, Dei cognoscendam. Sed tunc vana «apparentia transcendentali» («transzendentaler Schein») movemur et illusione transcendentali detinemur. Ex eo vero, quod sub influxu huius inclinationis usus illarum idearum ita immutatur, ut ex cognitionum nostrarum *regulativis* fiant cognitionis sui ipsius *constitutivae*[2], oriuntur «*paralogismi* psychologici» («falsae» conclusiones

---

[1] *Frick,* Logica[4] 222.

[2] Has voces adhibitas invenies in Kritik der reinen Vernunft 401 (413).

circa naturam animae), «*antinomiae* cosmologicae» (contradictiones, «theses et antitheses», quae, nisi Kantianae doctrinae fidas, nulla ratione solvi possunt, e. g. mundum in spatio et in tempore exsistentem simul esse finitum et infinitum; materiam in infinitum dividi posse et non posse), «*sophismata* theologica» (ratiocinia «falsa», quibus exsistentia Dei probatur argumento ontologico, cosmologico, teleologico).

Verae proinde philosophiae munus est, ut has rationis purae sophisticationes detegat, non quidem ut abiciantur — hoc enim fieri non potest, cum ex motu naturali et necessario rationis procedant —, sed ut deceptiones arceantur [1].

Ex tota denique illa disputatione has *summatim Kantius eruit conclusiones,* quibus fit responsum ad propositam sibi quaestionem: utrum revera habeamus facultatem cognoscendi ea quae experientiam transcendunt necne, utrum metaphysica sit possibilis annon:

1ª. Nos non cognoscimus nisi obiecta *sensibilia,* et de illis quidem non nisi *phaenomena:* ipsa autem realia obiectiva vel noumena («das Ding an sich») non negari quidem *possunt*, sed a cognitione nostra plane sunt remota.

2ª. *Metaphysica* vero, cum constet veritatibus, ad quas devenit ratio pura concludendo ad ordinem transcendentium, est omnino impossibilis, *ut scientia.*

---

[1] De his omnibus magna cum obscuritate et stupenda verborum cavillatione Kantius disputat in logicae transcendentalis altera parte, quae inscribitur: Dialectica transcendentalis: «Vom transzendentalen Schein» (l. c. 238 [260]); «Von den transzendentalen Ideen» (259 [279]); «Von den Paralogismen der reinen Vernunft» (275 [293]); «Die Antinomien der reinen Vernunft» (322 [439]); «Von den Beweisgründen der spekulativen Vernunft, auf das Dasein eines höchsten Wesens zu schließen» (446 [462]).

3ª. Quod nihilominus conceptibus nostris in hoc ordine valorem obiectivum tribuimus, non est nisi *illusio quaedam* naturalis.

4ª. Physica autem possibilis est, sed non nisi quatenus circa rerum *apparentias* versatur, idque ita, ut natura visibilis a sensibilitate et intellectu *construatur*.

Ut autem scepticismum effugiat, ad quem doctrina sua viam videt apertam, Kantius ad dictamina confugit rationis practicae, hoc modo *argumentando:* Homo vi rationis practicae conscientiam habet alicuius moralis obligationis ab ipso implendae. Quae obligatio a Kantio vocatur «imperativus categoricus». Sed talis obligatio moralis tres necessario praesupponit veritates: *libertatem* scilicet *arbitrii, immortalitatem animae, exsistentiam Dei.* Libertatem supponit, alioquin ad officium implendum homo teneri non potest; immortalitatem animae, ut habeatur legis sanctio, quae in hac vita non semper invenitur; exsistentia Dei, ut in altera vita merces vel poena locum habere possit [1].

[1] Cf. Kritik der praktischen Vernunft; inter alia 274 (158) «Über die Postulate der reinen praktischen Vernunft überhaupt» hoc habet: «Sie [die Postulate der reinen praktischen Vernunft] gehen alle vom Grundsatze der Moralität aus, der kein Postulat, sondern ein Gesetz ist, durch welches Vernunft unmittelbar den Willen bestimmt, welcher Wille aber dadurch, daß er so bestimmt ist, als reiner Wille, diese notwendigen Bedingungen der Befolgung seiner Vorschrift fordert; diese Postulate sind nicht theoretische Dogmata, sondern Voraussetzungen in notwendig praktischer Rücksicht, erweitern also zwar die spekulative Erkenntnis nicht, geben aber den Ideen der spekulativen Vernunft im allgemeinen (vermittelst ihrer Beziehungen aufs Praktische) objektive Realität und berechtigen sie zu Begriffen, deren Möglichkeit auch nur zu behaupten sie sich sonst nicht anmaßen könnte. Diese Postulate sind die der *Unsterblichkeit*, der *Freiheit*, positiv betrachtet, und des *Daseins Gottes*.»

«Ils dérivent tous du principe fondamental de la moralité. Ce principe n'est pas lui-même un postulat, mais une loi par laquelle

§ 2. Criticismus Kantianus refutatur.

Propositum nobis non est, ut omnia quae contra Kantium afferri possunt argumenta exponamus. Satis nobis erit, ut praecipua quae in eius systemate falsa occurrunt, breviter reprehendamus. Potest autem refelli:

I. Argumento *negativo* (ostendendo ea, quae a Kantio affirmantur vel negantur, sine ullo vel non nisi cum insufficienti fundamento affirmari vel negari).

1. Quoad *sensibilitatem*, gratis, i. e. sine ratione sufficienti, Kantius affirmat extensionem rerum in tempore et in spatio non esse nisi in subiecto cognoscente. Sed quod «gratis affirmatur, gratis negatur»: contra Kantium praesertim, qui omnia crisi subicienda esse contendit [1].

2. Quoad *intellectum*, sine ullo fundamento Kantius admittit exsistentiam iudiciorum *syntheticorum a priori.*

Nam, quo facilius sibi et aliis persuaderet iudicia synthetica a priori revera inveniri, notionem iudiciorum analyticorum et definitionem *ultra modum coarctavit.* Iudicia enim *analytica* ea sunt, ex quorum extremorum (sive subiecti sive attributi) analysi eruitur *ratio,* propter quam extrema necessario componenda vel dividenda sint; sive

---

la raison détermine immédiatement la volonté, et celle-ci, par cela même qu'elle est ainsi déterminée, comme volonté pure, réclame les conditions nécessaires à l'accomplissement de son précepte. Ces postulats ne sont pas des dogmes théoriques, mais des hypothèses nécessaires au point de vue pratique; ils n'étendent point, par conséquent, la connaissance spéculative, mais ils donnent en général de la réalité objective aux idées de la raison spéculative (au moyen de leur rapport avec la connaissance pratique) et en font des concepts légitimes, dont sans cela elle ne pourrait pas même s'arroger le droit d'affirmer la possibilité. Ces postulats sont ceux de l'*immortalité*, de la *liberté* considérée positivement et de l'*existence de Dieu*» (*Barni,* Critique de la Raison pratique 344 345).

[1] Cf. *Braig,* Vom Erkennen 141.

quia per analysim subiecti in ipso invenimus notitiam praedicati (e. g.: «homo est animal»), sive quia per illam analysim invenimus tantum *rationem*, propter quam attributum subiecto conveniat. Sic e. g. iudicium: «mundus a Deo creatus est», a scholasticis dicitur iudicium analyticum, quia per ipsam analysim subiecti mundi aperire possumus causam (e. g. contingentiam, limitationem, etc.), propter quam attributum «a Deo creatus» subiecto tribuatur. Iudicia autem *synthetica* illa sunt, in quorum extremis non inest ratio, cur componantur vel dividantur, ita ut ratio illa sit externa et ex experientia propria vel aliena (auctoritate) petita. E. g.: «homo est aegrotus», «corpus est rotundum».

Kantius proinde notionem iudiciorum analyticorum ad priorem speciem coarctat, alteram vero supponit esse speciem iudiciorum, quae in mente oriuntur a priori, ex vi quadam caeca et innata, et haec vocat *synthetica a priori*.

Sed nullibi *demonstrat* esse iudicia talia synthetica a priori.

Affirmat quidem eorum exsistentiam ut factum quoddam inconcussum et omnino indubium; sed affirmationes «dogmatismo» quidem convenire possunt, non autem «criticismo». Sola eius argumenta sunt exempla, sed

Exempla, quae affert, nihil probant in favorem eius sententiae. Exempla enim illa omnia aut continent iudicia, quae revera analytica sunt, aut, si sunt synthetica, sunt a posteriori. E. g.: $7 + 5 = 12$, si non *voces* sed *notiones* consideras, est iudicium analyticum alterius speciei [1].

Ex *experientia* denique nihil in favorem eius doctrinae desumi potest; immo reflectenti cuique in actus suos clare apparet iudicia talia efformari non ex synthesi quadam caeca intellectui innata, sed sub influxu *ipsius visibilitatis veritatis obiectivae menti sese manifestantis.*

---

[1] Cf. *Mercier,* Critériol. gén. [6] 258 sqq.

Et re quidem vera

a) Quotiescumque iudico e. g.: $7 + 5 = 12$, reflexione super hunc actum perfecta, clare video non solum me pronuntiare $7 + 5$ identicum esse cum 12, sed etiam pronuntiationem illam fieri, *quia video* rem ita esse nec posse esse aliter; quia video scilicet, analysi instituta, summam unitatum ex utraque parte esse eandem [1].

b) Supponamus e contra rem non ita esse, sed synthesim in eiusmodi iudiciis fieri propter innatam quandam necessitatem subiectivam, secundum placita Kantii, tunc, posita tali impressione passive in intellectu recepta, *tale* semper iudicium *necessario sequi deberet.* Revera tamen ita non evenit. Positis enim terminis «*mundus*» e. g. et «*initium habuit*», mens primo potest suspensa manere, deinde, maturius re perspecta, ad iudicandum inclinari, tertio denique firmiter pronuntiare «initium habere» mundo omnino convenire, nec posse non convenire. Qui quidem diversi status mentis optime explicantur, si admittimus assensum fieri sub influxu veritatis obiectivae. Primo enim reflexionis momento veritas obiectiva huius propositionis menti non apparet, alio vero eius visibilitas iam illucescit, tertio denique clare affulget [2].

---

[1] Cf. *Mercier,* Critériol. gén.[6] 238.

[2] «Cette *succession* d'états de doute, d'opinion, de certitude, par lesquels je passe, la matière du jugement restant la même, s'explique dans notre théorie objectiviste: Selon nous, en effet, il n'y a, au premier moment, aucune manifestation de ce que sont, l'un par rapport à l'autre, les termes du jugement; au second moment, la nature de leur rapport commence à se faire jour, jusqu'à ce que, à un troisième et dernier moment, le rapport se révèle pleinement tel qu'il est. Donc, si la loi de l'adhésion de l'intelligence est, comme nous le soutenons, la *révélation* du vrai ontologique, alors la succession de divers états intellectuels en face d'un même contenu s'explique; elle est même inévitable, l'adhésion étant proportionnée à la manifestation objective du vrai, comme

3. Quoad *rationem* denique:

a) *Gratis* supponit esse tres «ideas» quasdam in mente nostra operationum nostrarum regulativas.

b) *Gratis*, immo contra rationem, supponit illusionem illam naturalem, ortam ex motu naturali ad falsa ratiocinia efformanda.

c) *Gratis* et non nisi propter ignorantiam ponit e. g. antinomias cosmologicas, de quibus supra (p. 154) dictum est. Non satis enim distinguit inter infinitum reale et infinitum abstractum [1].

II. Argumento *per absurdum*.

1. Kantius in multis *sibi ipsi contradicit*. Ut alias enim omittamus contradictiones:

a) Ipsa ratione, de cuius *valore dubitat*, aggreditur explorare, in quantum idonea sit ad verum cum *certitudine* assequendum. Idem proinde, aptum scilicet esse ad cognoscendum, affirmat et negat de eodem; quod est absurdum [2]. Neque absurditas illa tegi potest eo quod dicunt Kantium in id solum inquisivisse, *quomodo* metaphysica sit possibilis, ipse enim apertis verbis docet consilium suum hoc esse, ut inquirat *utrum* metaphysica sit possibilis

---

l'effet est proportionné à sa cause: *variante causa variatur effectus*. Si au contraire, l'adhésion de l'intelligence, loin d'être subordonnée à la manifestation de la vérité, se produisait de par la constitution de la faculté, indépendamment de la manifestation de la vérité objective, cette *succession* d'états ne s'expliquerait pas. On comprendrait, sans doute, qu'en présence des termes d'*une* proposition l'intelligence demeurât en suspens, et qu'en présence des termes d'une *autre* proposition l'adhésion se produisît; mais on ne comprendrait pas que la *même* matière et la *même* catégorie déterminassent ici le doute, là, au contraire, la certitude. Donc la succession d'états intellectuels est inconciliable avec l'hypothèse Kantienne» (*Mercier* l. c. 240 sq).

[1] Cf. *Braig*, Vom Erkennen 143.

[2] Cf. *Lehmen*, Lehrbuch der Philosophie I³ 211.

(«ob auch so etwas, als Metaphysik, überall nur möglich sei»)[1].

b) Ex una parte docet *nullius rei naturam* vel noumenon a nobis cognosci posse, et ex altera tamen se noumenon quoddam cognoscere contendit, cum doceat intellectum humanum noumena cognoscere non posse, sed tantum phaenomena. Tali enim declaratione *naturam* intellectus explicat[2].

c) «Enti in se» (Ding an sich), quod phaenomenis subest, Kantius veram tribuit realitatem et *exsistentiam* propter influxum quem in nobis exercet. Sed eo ipso «formam illam» *principii causalitatis*[3] ultra limites experientiae ad noumena adhibet; docet enim aliquid de natura horum noumenorum, scilicet noumena illa esse entia exsistentia. Unde vel ipse hac in re «vana apparentia transcendentali movetur et illusione transcendentali detinetur»[4]; neque tamen vana se affirmare concedit.

2. Eius systema ducit ad *scepticismum.*

a) Probatur *ratione.* Admisso enim principio Kantii circa rationem puram theoreticam, ruit omnis valor obiectivus ratiocinationis eius relative ad rationem practicam. «Quidquid enim ab hac ratione practica concipitur, ab ipsa mentis constitutione pendet; si igitur mens alio modo constituta fuisset, ratio practica res aliter concepisset. Omnia deinde ratiocinia, quae adhibentur sive ad probandum obligationem moralem supponere libertatem voluntatis, sive ad probandum exercitium libertatis cum merito aut demerito coniunctum esse, innituntur in principiis quae, cum sint rationis theoreticae, secundum doctrinam

---

[1] Cf. *Lehmen,* Lehrbuch der Philosophie I[3] 212.
[2] Cf. ib. 217. [3] Cf. supra p. 150 et 153.
[4] Cf. *Lehmen* l. c. 218.

Kantianam nullam de ullis rebus certitudinem efficere possunt.» [1]

b) Probatur *experientia.* Kantii enim discipuli (Fichte e. g.) ex magistri principiis conclusiones logice deducendo inciderunt in idealismum absolutum, qui ad scepticismum universalem ineluctabiliter ducit. De quo iam plura sunt dicenda.

Articulus II.

De criticismo ad extrema aucto sive de idealismo absoluto.

§ 1. Idealismus absolutus exponitur.

Kantius idealismum transcendentalem [2] tantum professus est. Disciuli autem eius, *Fichte, Schelling, Hegel,*

---

[1] *Pesch,* Inst. log. II 364. Item *Mercier,* Critériologie générale [6] 368: «D'après la *Critique de la raison pure* je ne connais la réalité objective d'aucun noumène; ce qu'il y a de nécessaire et d'universel dans l'objet de la connaissance doit être attribué à une forme *a priori* de l'entendement. Or l'existence d'une obligation morale absolue, nécessaire et universelle, ne m'est révélée que par mes actes de volonté. Mais ceux-ci sont tous concrets et particuliers. Dès lors, la réalité objective du noumène qu'ils me font connaître, est douteuse à l'égal de la réalité objective de n'importe quel autre noumène. Et que l'on ne dise pas: La raison spéculative est conditionnée dans son exercice par l'expérience externe, la certitude morale par l'expérience interne. Kant ne distingue pas, au point de vue de leur valeur, ces deux sources d'expérience. L'une et l'autre sont entachées de la même subjectivité, aussi impuissante l'une que l'autre à nous faire dépasser le phénomène. Aussi bien, la notion d'obligation morale est complexe. Analysez-la: aussitôt vous y trouverez une relation nécessaire entre un acte libre et une fin qui s'impose absolument à la volonté. Analysez encore ce jugement de la raison pratique sur la relation entre un acte libre et une fin absolue: vous vous trouverez inévitablement en face des *catégories* de *cause finale* et de *principe de causalité.* Nous voici ressaisis sous l'étreinte de la raison spéculative.»

[2] Cf. supra p. 152, n. 1.

ex principiis a magistro positis logice concludentes ad idealismum *absolutum* devenerunt. His enim principiis admissis ratione effici docent, ut realitates omnes, tum in ordine physico tum in ordine metaphysico, negandae sint praeter subiectum cogitans, repraesentationes autem nostrae sensiles quas corporibus in nobis effici putemus a *solo* subiecto *cogitante* produci censeantur. Unde secundum ipsos nullum est certitudinis nostrae fundamentum externum vel obiectivum («Subjektivismus»).

Et *Fichte* quidem [1] omnia quae nobis repraesentamus meras τοῦ «ego» positiones esse docet. «Ens in se», cui Kantius exsistentiam tribuit tamquam ignoto x, iuxta Fichte non exsistit [2], sed realitas omnis ab ipso illo «ego» efficitur per *evolutionem pure idealem,* secundum legem tribus elementis scientiae fundamentalibus expressam, per *thesim,* qua «ego se ponit», se ipsum tamquam exsistens, sibi identicum, percipit (Ich = Ich); per *antithesim,* qua sibi se opponit, tamquam non ego, ut efficiat naturam vel mundum; per *synthesim,* qua se positum et sibi oppositum in superiore unitate iterum componit, ita ut ego

---

[1] *Fichte,* natus 1762 Rammenau (Oberlausitz), Berolini 1814 mortuus est. Fuit Kantii discipulus, postea ipse Ienae, Erlangen, Berolini philosophiam docuit. Eius praecipua opera sunt: Grundlage der gesamten Wissenschaftslehre; Grundlage des Naturrechts nach den Prinzipien der Wissenschaftslehre; System der Sittenlehre nach den Prinzipien der Wissenschaftslehre; Die Bestimmung des Menschen; Anweisung zum seligen Leben, alia. Cf. Herders Konversations-Lexikon, art. Fichte, III 550 sq.

[2] «Fichte . . . ‚rem in se' prorsus incognitam magistri sui reicit (vocat ‚eine Grille', ‚ein Unding'), et Ego quoddam absolutum, infinitum tamquam ens universale constituit, quia illud ‚Ego' omni cognitioni subesset tamquam subiectum absolutum. Quare Kant eum stultissimum (‚tölpelhaften') vocat suorum discipulorum, Fichte vero magistrum vocat capite quasi diminutum (‚Dreiviertelskopf').» Cf. *Willems,* Inst. philos. I 293.

absolutum revera per evolutionem intellectus omnem realitatem producat [1].

[1] En quomodo Mercier (Crit. gén. [6] 372 sq) hanc Fichtei sententiam explicat: «A la racine de nos facultés cognitives, Fichte pose un principe unique, doué d'une *tendance nécessaire* à agir. Ce principe unique — le moi, un moi panthéistique, embrassant l'universalité de l'être, *tend nécessairement à la conscience de soi.* L'activité doit, en effet, avoir un but; or, en dehors du moi il n'y a rien; l'activité du moi doit donc inévitablement revenir au moi. Mais l'agir vers soi (zum Sich) est, par définition même, conscience et réflexion. Donc, l'activité du moi tend nécessairement à la conscience. Le moi considéré comme autoconscient s'appelle chez Fichte le Moi absolu (das absolute Ich). — A l'origine, l'activité du moi est inconsciente, elle l'est de nécessité car la conscience implique un acte de retour sur un acte antérieur; le premier acte d'un sujet ne peut donc être conscient. Mais d'où vient la mise en branle de l'activité du moi? Comment l'activité du moi engendre-t-elle le non-moi? La mise en branle de l'activité du moi s'explique, suivant Fichte, par ce fait que le moi a besoin d'agir; il n'est pas, en effet, l'infini, mais une tendance à être infini; il est donc essentiellement une tendance à agir toujours, à agir pour agir (das Tun des Tuns). Sous cet aspect le moi s'appelle le moi *pratique:* il est le fondement et le principe du moi théorique. Le moi n'agirait pas, si rien ne lui faisait obstacle. Aussi, par un processus évolutif inconscient, il s'oppose à lui-même une sorte de résistance en produisant le non-moi au sein du moi. Le moi intelligent a trois opérations fondamentales: la *thèse, l'antithèse* et la *synthèse.* Par la *thèse,* ‚le moi se pose', il se conçoit comme existant, identique à lui-même (Ich = Ich). Mais tout concept positif est corrélatif d'un concept négatif; en ce sens, le moi pose le non-moi, comme sa contradictoire: c'est *l'antithèse.* Il est à noter que le non-moi de Fichte n'a pas d'existence indépendante de la pensée; le non-moi est le monde représenté par le moi représentatif. Enfin, l'union du moi et du non-moi dans une dépendance réciproque est le fruit de la troisième opération du moi absolu, de la *synthèse.* En résumé, il n'y a pas de choses en soi, ni de matière expérimentale antérieure à l'activité du moi absolu; celui-ci crée de toutes pièces, par

Schelling[1] vero Fichteo contradicens distinctionem inter Ego et Non-ego ab illo suppositam reicit atque omnia ad «*identitatem*» huius Ego et Non-ego trahenda esse voluit. Illa «identitas» est aliquid in se prorsus indifferens, quaedam pura potentia, quae se ipsa ab aeterno ponit, et est ipse Deus. Videt autem mens hanc absolutam identitatem per «intuitionem quandam intellectualem», eo quod ab omni subiecto cogitante et ab omni re cogitabili abstrahit, et «absolutam rationem» illam, quae est media et indifferens inter subiectum et obiectum, contemplatur. Ab aeterno haec absoluta identitas in hoc phaenomenali mundo duplici serie «potentiarum» sese evolvit atque dirimit in naturam et spiritum, quae tamen non realiter inter se distinguuntur, sed in «identitate» illa vel Deo unum sunt[2].

Hegel[3] denique «obiectivam illam realitatem, quam Kant tenuerat ut ignotum x, hanc, simili fere qua Fichte

---

le processus évolutif de son intelligence, le monde représenté, ainsi que les diverses formes *a priori* inhérentes, selon Kant, à la raison théorique.»

[1] *Schelling,* Leonberg 1775 natus, Ragaz 1854 mortuus est. 1798 fuit professor Ienae, 1803/1806 Herbipoli (Würzburg); ab anno 1806 Monaci academiae scientiarum et academiae artium interfuit; 1827/1841 ibidem novae universitatis professor exstitit; 1841 tandem a Friderico Guilelmo IV Berolinum vocatus de mythologia et revelatione ibidem lectiones habuit. Eius praecipua opera sunt: Ideen zu einer Philosophie der Natur; Von der Weltseele; Erster Entwurf eines Systems der Naturphilosophie; System des transzendentalen Idealismus, alia. Cf. Herders Konversations-Lexikon, art. Schelling, VII 1144 sq.

[2] Cf. *Pesch,* Inst. log. I 82; *Lehmen,* Lehrb. der Philosophie I[3] 178; *Willems,* Inst. philos. I 294.

[3] *Hegel,* Stuttgart 1770 natus, mortuus est 1831 Berolini. Ienae, Heidelbergae, Berolini philosophiam professus est. Eius schola, contentione orta de «Vita Iesu» a D. Fr. Strauß conscripta, in duas partes discessit, in dexteram («Althegelianer») et

ductus ratione, penitus negavit, et *ipsam cogitationem logicam* duxit esse omnium rerum essentiam et realitatem»[1]. Ut primam realitatem ponit ideam abstractissimam entis, ex qua processu quodam logico, «vita quadam dialectica» additione scilicet differentiarum et determinationum successiva universalitas rerum oritur.

Fichtei illum, Schellingii, Hegelii idealismum nonnulli ex recentioribus ita deformant atque effingunt, ut *realitatem omnem* negent[2] neque ullam admittant distinctionem inter ens reale et ens «logicum». Cum Hume, Kantius, Fichte *realitatem conscientiae actuum* admiserint, recentes isti idealistae ne illis quidem factis veritatem tribuunt[3]; idealismus eorum vocatur *logicus*.

---

sinistram. Hegelii praecipua opera sunt: Differenz des Fichteschen und Schellingschen Systems; Phänomenologie des Geistes; Die Wissenschaft der Logik; Enzyklopädie der philosophischen Wissenschaften; Naturrecht und Staatswissenschaft. Cf. Herders Konversations-Lexikon, art. Hegel, IV 253 sqq.

[1] *Pesch,* Inst. log. I 83.

[2] «Quelques jeunes écrivains de la *Revue de Métaphysique et de Morale* ont résolument nié que l'esprit humain connaisse une réalité quelconque. L'un d'eux, M. Remacle, avait écrit que ‚connaître un état de conscience c'est une expression contradictoire, car le connaître, c'est évidemment ne pas le connaître *tel qu'il est*'; néanmoins, il opposait la connaissance à la conscience et maintenait l'existence en nous d'états de conscience. ‚L'état de conscience, écrivait-il, est une existence en soi, un absolu.' M. Weber renchérit sur son aîné et nie résolument qu'il y ait une distinction quelconque entre l'être réel et l'être logique» (*Mercier,* Crit. gén.[6] 374).

[3] «On a toujours cru appréhender une réalité ultime, existant en soi et par soi, et la distinguer d'une existence extra-logique, c. à d. extérieure aux jugements dans lesquels elle s'affirmait comme sujet logique du verbe être. . . . Or, le réel extra-logique n'est qu'un mot recouvrant un concept contradictoire. . . . Dire que le réel est inconcevable, innommable ou ineffable, c'est encore trop dire, car

§ 2. Idealismus absolutus refutatur.

In idealismo absoluto refutando non est, cur tempus teramus: eius enim doctrina sensui communi tam aperte contradicit, ut nemo sit qui absurditates eius facile non detegat.

Sint ergo haec breviter:

1. Idealismus ille, quocumque modo exponitur, *evidenti conscientiae testimonio* adversatur. Intime enim et clare sentimus sensationes non pendere unice a nobis, sed ipsas *a nobis recipi*: in multis sentimus nos esse *passivos*; experimur enim nos sensationes saepe habere, quando nolumus, non habere e contra saepe, quando maxime eas volumus.

2. Systema eorum *apertam involvit contradictionem*. Secundum Fichte enim e. g. nulla praeter intellectum exsistit realitas, cuius unicum principium efficiens est intellectus. Primum proinde ens, illud ego absolutum, cognoscendo se produxit, *egit priusquam fuit,* quod est absurdum [1]. Idem dicendum est de idealismo logico; neque enim «exsistentiam logicam» cognitionum suarum quisquam affirmare potest, nisi *realitatem* actuum illorum conscientiae admittat, quibus «exsistentia logica» illa fundatur [2].

---

en le déterminant ainsi d'une façon, il est vrai, toute négative, on l'affirme encore positivement et on le rend participant de l'être. Le réel ne devrait jamais être posé comme objet» (ita *Weber* in periodico libello «Revue de Métaphysique et de Morale», Novembre 1897, 682).

[1] «Il y a au cœur de l'idéalisme transcendental une contradiction profonde: Suivant Fichte, en effet, la seule existence réelle est l'intelligence et seule l'activité cognitive de l'intelligence est le principe efficient de la réalité. Mais alors le premier être, le Moi absolu, a donc dû se connaître pour pouvoir se produire, agir avant d'exister: inévitable contradiction» (*Mercier,* Crit. gén.[6] 373).

[2] «L'idéalisme logique ne peut donc s'énoncer, sans se détruire. Il affirme la concevabilité de l'être logique seul, et nie la con-

3. Idealistae omnes, dum systema suum stabilire conantur, *petitionem principii* committunt. Dicunt principium illud absolutum «inveniri per abstractionem: ‚Ego purum' (Fichte) per abstractionem ab omni conscientia propriae exsistentiae et aliorum obiectorum; «identitatem absolutam' (Schelling) haberi per abstractionem ab omni differentia in esse; ‚conceptum logicum' (Hegel) per abstractionem ab omnibus differentiis logicis. Atqui illud principium prorsus vacuum, in se nihil, quomodo potest 1° cognosci, si nihil continet? 2° quomodo sese evolvere? Unde illa tendentia se ponendi, illud obstaculum Non-ego? unde illa facultas se dirimendi in naturam et spiritum? unde illa vita interna dialectica conceptus, qua conceptus, impletur, ut fiat idea concreta? 3° Si per abstractionem pervenimus ad illud principium absolutum, ea quae abstrahuntur, debent praecedere absolutum»[1].

4. Idealismus *logice inducit scepticismum universalem,* quia destruit aptitudinem mentis ad verum cognoscendum. Sed principium, ex quo logice deducitur conclusio falsa, ipsum falsum sit oportet[2].

Scholion. (Idealismi notio uberius declaratur.) 1. Idealismus absolutus, qui dicitur etiam idealismus *subiectivus,* non est confundendus cum idealismo *obiectivo Berkeleyi*[3], qui repraesentationes, quibus corpora esse cognoscimus,

---

cevabilité du réel; or, la concevabilité de l'être logique n'est intelligible que, subordonnément à la conception du réel, attendu qu'il en est la négation; il en résulte que la formule de l'idéalisme logique n'est pas susceptible d'être mise en discussion, c'est une logomachie qui n'offre aucun sens intelligible» (*Mercier,* Crit. gén.[6] 375). Item: Les origines de la psychol. contemporaine[2] 343 sq.

[1] *Willems,* Inst. philos. I 296.

[2] Cf. p. 91. — Huius rei uberiorem explanationem invenies apud *Frick,* Logica[4] 191 sqq; *Mercier* l. c. 371; *Willems* l. c. 293 sqq.

[3] *Georgius Berkeley* (1684—1753) Cloynensis (Irland) fuit episcopus anglicanus.

a Deo immediate in animo nostro produci contendit. Secundum placita enim eius mundus sensibilis non est nisi subiectiva successio idearum nostrarum, quarum et causa efficiens et fundamentum Deus sit[1]. Quae sententia naturae Dei, qualis a nobis cognoscitur, repugnat. Repugnat enim Deum, veritatis amantem et infinite bonum, creaturam suam rationalem in errore invincibili his in terris perpetuo velle detinere. Evidenter enim experimur sensationes ope organorum in nobis effici; de actione Dei immediata in nobis nihil omnino conscientia refert.

2. Quibus declaratis sequitur ut idealismus, qui universe definitur *sententia eorum qui obiectum cognitionis humanae ad ideas restringunt,* ex duplici capite dividi possit. Etenim:

a) Si *causam* consideras, qua ideae illae produci dicuntur, duplex distingui potest idealismus, obiectivus et subiectivus.

α) *Obiectivus* ille est qui causam illam extra mentem reponit (Berkeley).

β) *Subiectivus* vero ideas illas a mente humana effici docet (Kant, Fichte, alii).

b) Si *vim negationis* atque *extensionem rerum* consideras, quarum realitatem negat, quadruplex distinguitur:

α) «Idealismus *acosmisticus,* qui negat tantum exsistentiam corporum i. e. mundi visibilis. Ita neoplatonici, Berkeley etc., de quo supra.

---

[1] Ab hac Berkeleyi sententia, qui exsistentiam corporum negat, distinguenda sunt etiam placita *Malebranchii.* Malebranche enim corpora exsistere quidem admittit, sed eorum repraesentationes docet immediate a Deo in nobis produci (Occasionalismus). De hoc errore dicemus in Cosmologia, ubi de activitate corporum sermo erit. Neque confundenda est haec doctrina cum idealismo obiectivo *platonico,* secundum quem ideae universales exsistunt extra mentem, extra res singulares, extra Deum. De quo infra, ubi de realismo exaggerato dicemus.

β) «Idealismus *transcendentalis*, qui admittit mundum visibilem seu ordinem physicum, sed negat omnem realitatem, quae est ultra cognitionem empiricam, seu negat ordinem metaphysicum. Ita Kant et qui eum sequuntur.

γ) «Idealismus *absolutus*, qui negat omnem realitatem tum physicam tum metaphysicam, praeter subiectum cogitans, quod est aliquid absolutum et infinitum. Ita Fichte, Schelling, Hegel.»[1]

δ) Idealismus *logicus*, qui ipsi actui conscientiae subiecti cogitantis entitatem realem denegat atque illud subiectum ens logicum esse docet. Ita Weber et qui cum eo sentiunt.

Articulus III.

DE NEO-CRITICISMO.

§ 1. Neo-criticismus exponitur.

Criticismum ad mentem Kantii plus minusve nostris temporibus professi sunt *Herbart, Schopenhauer, E. de Hartmann, Lotze,* ipse *Frid. Paulsen*[2]. Neque defuerunt qui

---

[1] *Frick,* Logica[4] 215 sq.

[2] *Io. Frid. Herbart,* 1776 Oldenburg natus, philosophiae professor exstitit in urbibus Königsberg et Göttingen, ubi est mortuus anno 1841. Scripsit inter alia: Lehrbuch zur Einleitung in die Philosophie; Lehrbuch zur Psychologie; Psychologie als Wissenschaft; Allgemeine praktische Philosophie; Über die Möglichkeit und Notwendigkeit, Mathematik auf Psychologie anzuwenden; Allgemeine Metaphysik. In explicanda cognitione Herbart «supponit impressiones subiectivas (Empfindungen) tamquam materiam cognitionis nostrae; non enim ipsas res apprehendimus, sed earum apparentiam obiectivam (objektiver Schein), cui tamen res aliqua debet subesse, licet nobis prorsus incognita. Ex hac autem perceptione apparentiae obiectivae nascuntur conceptus fundamentales tum experientiae tum scientiarum in se repugnantes, praesertim conceptus entis, substantiae et inhaerentiae, materiae et extensionis, mutationis, proprii ‚Ego'. Logicae igitur est et metaphysicae illos conceptus cor-

Kantii systema Fichtei, Schellingii, Hegelii deliramentis quasi ad absurdum deductum restaurare conati sint atque «*Neo-Kantiani*» vel «*Neo-critici*» vel etiam, cum Kantii sententias ex parte sequantur, «*Semi-Kantiani*» vocentur; in Germania: F. A. Lange, Cohen, Natorp, Krause, Windelband, alii; in Anglia: Hodgson, Th. Green, Adamson, alii; in Italia: Testa, Cantoni, Chiapelli, Faggi, alii; in Gallia: *Renouvier*, inter «Neo-criticos» praecipuus[1]. Eius doctrinam maxime excoluit *Bergson*[2].

Hic Kantio duce metaphysicam illam quidem ut scientiam reiecit, de rebus tamen metaphysicis quibusdam probabilitatem quandam nos habere posse docuit, nullam

---

rigere» (*Willems,* Inst. philos. I 297). — *Arthur Schopenhauer* (1788 ad 1860) scripsit: Die Welt als Wille und Vorstellung; Über den Willen in der Natur; Die beiden Grundprobleme der Ethik. Cf. Herders Konversations-Lexikon, art. Schopenhauer, VII 1303 sq. — De *Hartmann,* pessimista, alio loco sermo erit. — *Herimannus Lotze* (1817—1881) scripsit: Mikrokosmus; System der Philosophie, alia. — *Frid. Paulsen,* natus 1846 Langenborn in Slesvico, mortuus est 14. Aug. 1908 Berolini, ubi philosophiae et paedagogiae operam dedit. Eius praecipua opera sunt: Geschichte des gelehrten Unterrichts seit Ausgang des Mittelalters; System der Ethik; Einleitung in die Philosophie; Kant; Philosophia militans. Cf. Herders Konversations-Lexikon, art. Paulsen, VI 1325.

[1] *Carolus Renouvier,* natus Montpellier 1815, Prades 1903 mortuus est. Eius praecipua opera sunt: Manuel de philosophie moderne; Manuel de philosophie ancienne; Essais de critique générale; Science de la morale; Métaphysique pure; Personnalisme, alia. Doctrinam suam tradidit atque propugnavit in libello periodico «La critique philosophique».

[2] *Henricus Bergson,* natus Parisiis 1859, hisce temporibus professor exstitit in Schola, quae «Collège de France» nuncupatur. Scripsit inter alia: Essais sur les données immédiates de la conscience; Matière et Mémoire; L'évolution créatrice, alia. — Cf. *Mercier,* Les Origines de la psychologie contemporaine [2] 257 sq.

vero certitudinem[1]; quae probabilitas acquiritur motu quodam fidei[2], sensu atque instinctu morali orto[3], ita ut haec probabilitas sit effectus voluntatis atque liberi arbitrii, quod certitudinis fundamentum ponat[4]. Ratio autem propter quam eo deveniendum sit, iuxta neo-criticos illos, in eo est quod neque sceptici neque dogmatistae ullam certitudinem stabilire potuerint, cum in *sola rerum contemplatione* versarentur, neque ulla sit veritas quamvis evidens cui voluntas resistere non possit, ne mens acquiescat[5].

---

[1] «A proprement parler, il n'y a pas de certitude; il y a seulement des hommes certains. Ce devrait être une maxime universellement reçue que tout ce qui est dans la conscience est relatif à la conscience» (*Renouvier,* Essais . . . 2e Essai II 152).

[2] «Il est de la nature de l'homme d'exiger quelque chose au delà (ultra fines a criticismo positos) et de vouloir à toute force *croire,* là où il n'aurait point la juste confiance de savoir maintenant ni peut-être jamais» (*Renouvier,* Essais . . . 1er Essai VIII).

[3] «Renouvier fut, en France, l'initiateur d'une École où les idées essentielles des deux *Critiques* de Kant acquirent droit de cité. Avec le philosophe allemand, Renouvier déclare la métaphysique impossible; il ne croit pas ‚à la science rêvée par les philosophes, à la science universelle qui ne s'arrêterait qu'aux premiers principes et à la fin dernière des choses'; ‚la science totale ne peut être, dit-il, que la synthèse totale et unique des phénomènes donnés'. Mais d'autre part, la vie morale a des exigences qu'il faut écouter. Le sentiment et l'instinct qui nous guideront dans ce domaine ne nous conduiront pas à des conclusions scientifiques, mais nous donneront néanmoins des probabilités, la vraisemblance» (*Mercier,* Crit. gén.[6] 168).

[4] «C'est à la liberté qu'il appartient de poser le fondement de la certitude» (*Renouvier,* Essais de critique général: IIe Essai, Traité de psychologie rationelle d'après le criticisme II[2] 322).

[5] «L'évidence soi-disant objective n'a jamais une énergie telle qu'on ne puisse, à force de vouloir, lui résister victorieusement» (cf. *Dauriac,* Bulletin de la Société française de philosophie, février 1904, 31).

Unde sequi, ut ratione practica certitudinis fundamentum ponendum sit[1].

Similia docent «*pragmatismi*»[2] quem vocant fautores: *William James*[3], *F. C. Schiller* (Oxford), *Blondel*, alii in Gallia; secundum quos ex indigentiis quibusdam internis oritur quasi expansio voluntatis in obiectum seu *actio*[4] (unde nomen pragmatismi), sine qua nulla sit cognitio certa, cum voluntas seu amor boni moralis et religiosi praecedat cognitionem certam ipsamque efficiat[5].

---

[1] «La vérité est en nous œuvre de la raison pratique, œuvre de volonté et de bonne volonté» (*Renouvier*, La critique philosophique I 8).

[2] A voce πρᾶγμα, actio; pragmatismum *G. Sortais* declarat ut sit: «la doctrine ou plutôt la méthode qui consiste à juger de la valeur des idées morales et religieuses, non d'après la vérité ou la fausseté que présente la systématisation doctrinale des expériences morales et religieuses, mais d'après les resultats auxquels elles aboutissent. *W. James* l'a appliqué à la religion» (Traité de philosophie II[4] 384).

[3] *William James*, natus New York 1842, anatomiam et physiologiam primo docuit Cambridge (Americae) in «Harvard-Schola» ab anno 1872 ad annum 1880. Deinde in eadem Schola psychologiae et philosophiae professor exstitit. Multa conscripsit opera in quibus praecipue nominandum est «The Principles of Psychology». Obiit 1910.

[4] «La jeune école *néo-kantiste* ou *néo-criticiste*, dont Renouvier fut le principal initiateur, prétend résoudre le problème de la connaissance en affirmant ,la primauté de la raison pratique sur la raison spéculative'. Nous admettons les vérités métaphysiques parce que notre volonté nous force à les admettre: nous les ,croyons'. Suivant les *pragmatistes*, nous les *vivons*, nous les *créons* par l'agir» (Traité élémentaire de philosophie [Louvain] I[4] 392 sq).

[5] «Quand on a la foi, quand on pratique ce qu'on croit, quand on recouvre par la réflexion tout le sens de sa croyance et de son action, le cercle est clos, il n'y a point de place au doute, la preuve est faite» (*Blondel* in periodico libello «Annales de philosophie chrétienne» 1896, 471).

Systemata illa non raro uno termino communi vocantur *intuitionismus*[1].

§ 2. Neo-criticismus refutatur.

1. Neo-critici falsis nituntur principiis. Neque enim verum est nullum esse principium de quo non dubitaverint homines, cum vel ipsi sceptici certitudinem principii causalitatis e. g. practice saltem admiserint. Neque recte supponunt intellectum non necessario ad assentiendum moveri evidentia obiectiva sese manifestante. Experientia enim clare constat voluntatem posse amovere quidem intellectum a consideratione veritatis, non autem inducere posse intellectum, ut dubitet de veritate quae evidenter ipsi appareat[2].

2. Neo-critici circuitu quo utuntur salutem sibi non reperiunt; neque enim ultimum certitudinis motivum hac via inveniunt. Instinctus enim ille aut caecus est aut ratione illuminatus: si prius, ne probabilitatem illam quidem afferre potest, cum motivum assensus fidei ad motum illum contineat nullum; sin alterum, iam ratio motum intellectus praecedit, atque ultimum certitudinis motivum praebet ipsa. Unde fit ut tamquam ultimum certitudinis

---

[1] Magno cum fructu leges quae de hac re egregie scripserunt *Clod. Piat* in libro qui inscribitur «Insuffisance des philosophies de l'intuition» (Paris 1908) et in libello periodico «Revue néo-scolastique» 1908, 345 sqq; item ibidem 278 sqq *L. Noël:* «Encore le Pragmatisme» et 1911, 28 sqq: «*William James.*» Cf. etiam *Lucien Roure,* Doctrines et Problèmes (Paris 1900) 124: «M. Renouvier et le Criticisme»; 185: «Léon Ollé-Laprune.» Cf. etiam *J. Henry* in libello periodico «Revue néo-scolastique» 1912, 264 sqq: «Pragmatisme anglo-américain et Philosophie nouvelle», item in «Annales de l'Institut supérieur de Philosophie» I (1912) a *P. Nêve* commentatam disputationem, quae inscribitur «Le Pragmatisme et la Philosophie de M. Bergson».

[2] Cf. *G. Sortais,* Traité de philosophie II[4] 391 sqq.

criterium instinctus ille vel sensus nullo modo admitti possit[1]. Neque *libertas* illud motivum ultimum praebere potest vel «bona voluntas», cum voluntas libera, qua libera, ab intellectu pendeat neque bona dici possit, nisi quatenus illud eligit, quod ab intellectu tamquam bonum proponitur[2].

3. Neo-criticismus *ducit ad scepticismum.* Fatentur enim ipsi critici ex motu illo voluntatis non oriri nisi probabilitatem: manet ergo dubium, neque ut probabilitas illa *firmiter* teneatur, voluntas efficere potest, cum motus eius non sit intellectu illuminatus[3].

4. Idem valet in specie de *pragmatismo.* Expansio enim illa voluntatis in bonum influere quidem potest in certitudinem indirecte, *efficere* autem illam minime valet, cum *perceptio veritatis* sit solius intellectus, cuius ad veritatem adhaesio *in rebus scientificis* eo firmior est, quo clarior est veritatis perceptio. Unde vel in ipsis rebus

---

[1] Cf. *Mercier,* Crit. gén.[6] 179 sqq; item Traité élémentaire de philosophie I[4] 393: «Les sceptiques eux-mêmes admettent cette impulsion plus ou moins nécessaire de notre nature à adhérer à certaines vérités. Toute la question est de savoir si cette impulsion est aveugle ou si elle est justifiée. Si on prétend la justifier, il faut nécessairement recourir en dernière analyse à un motif autre que la nature du sujet et dont *l'intelligence* aperçoive le bien-fondé, à un critère objectif.»

[2] Cf. *Mercier* l. c. 187 sq.

[3] «L'adhésion scientifique échappe à l'empire de la volonté. L'évidence objective est irrésistiblement décisive, tandisque la perception de l'inévidence de l'objet entraine, bon gré mal gré, l'incertitude du sujet. Aussi les néo-criticistes tombent-ils volontiers d'accord que la certitude, dont ils gardent le nom ou l'apparence, n'est plus au fond qu'une sorte de probabilisme fort semblable à celui qui fut jadis en honneur à la Nouvelle Académie, dans la philosophie de Carnéade, et que Cicéron traduisait pour son compte en ces termes: ‚Defendat quod quisque sentit: sunt enim indicia libera; nos . . . quid sit in quaque re maxime probabile semper requiremus.' ‚Ego vero ipse et magnus quidem sum opinator, non enim sum sapiens'» (*Mercier* l. c. 199 sq).

fidei, cuius obiectum non est visum, cum ad assentiendum intellectus a voluntate libera movetur, ipsa illa voluntatis motio fit sub influxu intellectus [1]. Neque enim facultas ulla appetitiva certitudinis esse potest fons, talis enim adhaesio non esset certitudo, sed furor atque libido [2].

Caput III.

DE POSITIVISMO.

Articulus I.

POSITIVISMUS EXPONITUR.

Notio. *Positivismus* est sententia eorum, qui, cum nullum aliud cognoscendi medium admittant nisi *experientiam sensilem*, entia spiritualia, si quae sint, a nobis cognosci posse negant, dictamina vero omnia conscientiae circa operationes nostras spirituales *vanas illusiones* esse contendunt.

Hanc sententiam in Gallia maxime excoluit *Aug. Comte* [3],

---

[1] Ad rem S. Doctor (2, 2, q. 1, a. 4 ad 2): «Ea», inquit, «quae subsunt fidei, aliquis non crederet, nisi videret ea esse credenda.»

[2] Cf. *Mercier,* Crit. gén. [6] 193. — Pragmatistarum sententiae iam prius affinis erat *Reidii* (1710—1796) et *Iacobii* (1743 ad 1819), *sentimentalistarum,* doctrina. Reid enim iudicia quaedam instinctiva in homine posuit, Iacobi vero praeter intellegendi facultatem («Verstand»), qua ratiocinamur, alium ponit in nobis *intellectum quendam superiorem* («Vernunft»), cuius tactu («Gefühl») intellectus inferior quasi ducatur et ab errore arceatur. Sed de his alio loco, in Theologia naturali praesertim, dicemus.

[3] *Aug. Comte,* in urbe Montpellier a. 1798 natus, Parisiis mortuus est a. 1857. Doctrinam ipsius expositam invenies in libro, cui titulus «Cours de philosophie positive». — «Tres periodos in historia distinguit: *theologicam* (sub forma fetischismi, polytheismi, monotheismi), in qua homines phantasiis sensu pio inditis ducti fuerint; *metaphysicam,* in qua homines non quidem ficticia, sed vires tamen occultas sectantes, vana speculantis rationis simulacra maximi fecerint; *positivam,* in qua homines ea tantum magni habeant, quae

quem secuti sunt, inter alios, *Littré* et *Taine*[1] in Gallia, *Spencer* et *Stuart Mill* in Anglia («Agnostici»). Motivum proinde omnis certitudinis, iuxta illos, sola est *cognitio sensitiva.* Quaecumque vero extra ambitum huius cognitionis forte inveniuntur, non neganda quidem sunt, sed neglegenda omnino. Talis enim agendi ratio philosophos apprime decet «positivos», qui de rebus «realibus, utilibus, certis» tantum inquirant, non autem de «inutilibus» vel «fictis» vane et inepte «theologorum» vel «metaphysicorum» more disserant.

Fundamentum. Quodsi de *rationibus* quaesieris, quibus tam ponderosa verba firment, haec inter alia habebis:

Ut principium primum, inconcussum, hoc ponunt effatum, cui axiomatis vim tribuunt: «*Sensibilia sola cognosci possunt; quaecumque vero experientiam sensuum transcendunt, agnosci nullo modo possunt.*»

---

per experientiam sensuum ut vera et positiva praebeantur, quae trutina et mensura examinari calculoque mathematico subici possint. Religionem construxit Comte, in qua tria adoranda sint: le *Grand Milieu,* sive spatium infinitum; le *Grand Fétiche,* sive orbis terrestris; et magnum illud ens, quod intellexit esse *humanitatem* universe acceptam» (*Pesch,* Inst. log. I 99). — Positivismus non est nisi evolutio quaedam unius et eiusdem erroris, qui saeculis XVI et XVII *empirismus* (Baco, Hobbes, Locke), saeculo vero XVIII *sensualismus* (Condillac) dictus est. Cf. *Luc. Roure,* Doctrines et Problèmes 20 sqq: «Auguste Comte et le Positivisme.»

[1] *Hippolyt. Adolphus Taine,* Vouziers in Gallia 1828 natus, Parisiis 1893 mortuus est. Positivismum suum in libro maxime professus est qui inscribitur «De l'intelligence». Ex aliis eius operibus haec digna sunt quae imprimis numerentur: Philosophie de l'art; Histoire de la littérature anglaise; Les philosophes classiques du XIXe siècle en France; Les origines de la France contemporaine. — De decretis eius atque inventis diserte iudicium fecit nuper (1908) *P. Nêve* in libro cui titulus «La philosophie de Taine».

Observatione deinde perperam instituta, ostendere conantur omnes nostras cognitiones, experientia teste, non esse nisi cognitiones sensiles: «*ideas universales esse nomina* tantum, quibus res similes designamus, quaeque cum illis ita sunt conexa, ut nomen imagines rerum similium in mente evocet, et imago vicissim nomen» [1], iudicia vero omnia esse iudicia experimentalia: «*des vérités d'expérience*», ut aiunt.

Ad ipsum denique *historiae testimonium* recurrunt. Tres enim illae a Comte excogitatae periodi lege quadam necessaria sibi succedentes, iuxta ipsos, a posteriori evidenter probant perfectam intellectus evolutionem fieri ex eo, quod mens, reiectis omnibus «theologorum» phantasmatibus et metaphysicorum subtilitatibus, «positivae» philosophiae unice addicta sit [2].

Articulus II.

POSITIVISMUS REFUTATUR.

1. Positivistarum principium: «*Sola sensibilia humana ratione sunt cognoscibilia*», axiomatis vim non habet. Sensibilia enim talia esse, ut totam intellectus humani vim

---

[1] «*Une idée générale n'est qu'un nom* pourvu des deux caractères du signe. Premier caractère, la propriété d'être évoqué par la perception de tout individu de la classe. Second caractère, la propriété d'évoquer en nous les images des individus de cette classe, et de cette classe seulement» (*Taine,* De l'intelligence I 29).

[2] A. Comte (Cours de philos. positive t. I, lect. 1, p. 15 16) de lege gravitationis more positivistarum loquens: «Quant à déterminer», inquit, «ce que sont en elles-mêmes cette attraction et cette pesanteur, quelles en sont les causes, ce sont des questions que nous regardons tous comme insolubles, qui ne sont plus du domaine de la philosophie positive, et que nous abandonnons avec raison à l'imagination des théologiens, ou aux subtilités des métaphysiciens.» — De periodis illis vide supra p. 175, not. 3.

exhauriant, ita ut evidenter appareat immaterialia cognosci non posse, ex idea entis corporei perspecta nullo modo elucet. Unde *quod gratis affirmatur, gratis negatur.*

2. Immo positive constat, experientia conscientiae nos multa cognoscere quae sunt supra sensibilia posita, sicut ipsum illud τὸ ego quod «phaenomenis» in nobis subest [1].

3. Falsum omnino est id, quod Taine affirmat, ideam universalem non esse nisi nomen et quasi signum plurium imaginum sensibilium, item falsum est omnia nostra iudicia esse experimentalia. Et re quidem vera:

a) Clare distinguimus in cognitionibus nostris *ideam proprie dictam* ab imagine vel *phantasmate* in phantasia producto. Alia enim est idea hominis ab intellectu concepta, alia imago hominis phantasia repraesentata. Imago enim Petri e. g. in phantasia exsistens repraesentat exteriora *huius* hominis corporalia, qualia hic et nunc in ipso exsistunt *materialiter*. Sic Petri vel huius hominis phantasmate repraesentatur talis figura, talis color etc., idea vero hominis manifestatur ipsa *quidditas* hominis, quid sit homo, illud scilicet, quod omnibus hominibus commune est [2].

b) Quae docet Taine de nomine ut signo imagines rerum evocante, vera sunt, si ad associationem materialem vel physicam imaginum sensibilium phantasiae attendimus. Revera enim talis vox, propter nexum physicum saepenumero arbitrario institutum, talem evocare potest imaginem, quae deinde propter *analogiam sensibilem* multas

---

[1] «Les substances et les causes du monde physique sont assurément en dehors de la portée des sens. Mais par la conscience je ne perçois pas seulement mes phénomènes, car je me saisis sentant, pensant, voulant. Voilà donc une substance et une cause senties directement par la conscience» (*G. Sortais,* Traité de philosophie II [4] 375 sq).

[2] Vide supra p. 26 sq.

alias similes imagines similiter evocet. Quam quidem associationem fieri experimur non solum in homine sed etiam in animalibus brutis. Sed, praeter illam imperfectam et materialem phantasiae et aestimativae operationem, homo vim habet aliam, eamque omnino diversam, exserendi. Ex praeviis enim illis imaginibus, *ope abstractionis*, sibi in intellectu notionem efformat, quae non collectionem entium, sed *unam rationem omnibus individuis communem* unica repraesentatione manifestat [1]. Haec ratio nomine exprimi potest, ita tamen, ut ab ipso nullo modo necessario dependeat [2].

c) Falsum denique est *omnia* nostra iudicia esse *experimentalia*. Sunt enim iudicia multa (propositiones scilicet omnes quas vocamus «ideales»), quorum *veritas* nullo modo ab experientia pendet. Talia sunt inter alia iudicia: $7 + 5 = 12$, vel «inter duo puncta linea recta minor est quam curva»; «idem non potest simul esse et non esse», alia eiusmodi.

Concedimus quidem talia iudicia dici posse experimentalia eo sensu, quod ope experientiae mens sibi efformat

---

[1] «L'erreur de Taine consiste à confondre deux opérations de nature différente: *l'analogie sensible* et *l'abstraction*. Encore que la première précède ordinairement la seconde, elles n'en demeurent pas moins irréductibles l'une à l'autre. L'animal est capable de la première, au moins dans une certaine mesure, l'homme seul possède la seconde. . . . Le procédé qui met les images au service de l'expérience, est *l'analogie sensible;* il va du semblable au semblable, d'où son nom *d'analogie;* il va du particulier perçu ou imaginé au particulier perçu ou imaginé, de là son qualificatif de *sensible*. Le procédé abstractif, au contraire, crée un objet dépourvu de caractères individualisateurs et le rend apte à être appliqué, *en son unité et identité* à des sujets particuliers en nombre indéfini» (*Mercier*, Crit. gén. [6] 274 et 278).

[2] Huius rei uberiorem explanationem invenies apud *Mercier* l. c. 273 sq: «Théorie ingénieuse de Taine sur les idées générales.»

ideas, circa quas fiat pronuntiatio: «*nihil in intellectu*», docemus enim nos ipsi, «*nisi prius fuerit in sensu*»; item concedi potest experientiam requiri, ut mens in iudiciis particularibus habeat *quasi specimen*, ex quo, vi abstractionis, iudicium universale et ideale efformet. Haec omnia ultro concedimus; sed negamus omnino *motivum certitudinis horum iudiciorum ex experientia desumi.*

Quotiescumque enim talia iudicia efformamus, experimur assensum mentis, *secundum universalitatem et necessitatem*, fieri, non quia talem casum experientia compertum habeamus, sed quia necessaria habitudo praedicati ad subiectum *ex perspecta horum terminorum notione evidenter nobis apparet.*

Neque vero motivum eiusmodi assensus experientia praestare potest, quia ipsa sola docet tantum, quid in *tali casu* fiat, non autem quid in *omni casu* fieri *debeat*[1].

Neque necessitas illa secundum quam fit assensus mentis ad veritates eiusmodi, *mere subiectiva* dici potest (Stuart Mill), i. e. a propriis uniuscuiusque hominis dispositionibus dependens. Clare enim videmus necessitatem componendi, iudicio nostro, diversas notas, oriri ex *unitate essentiae* pluribus conceptibus manifestatae: mens clare videt conceptus illos esse necessario componendos, *ut repraesentatio intellectualis sit rei conformis.* Unde fit ut contradictoria evidenter appareat ut impossibilis, neque vero, ut Stuart Mill rem perperam explicat, axioma videtur necessarium, quia eius negatio concipi non possit[2].

---

[1] «Le rôle de l'expérience n'est donc pas de nous fournir la *preuve*, ni totale ni partielle, des vérités nécessaires, mais de mettre à notre portée les matériaux et les spécimens exemplatifs voulus, afin que l'intelligence puisse, par un travail d'abstraction et de réflexion, en extraire des lois supérieures aux conditions particulières et contingentes que la matière impose aux faits observables» (*Mercier*, Crit. gén.[6] 289).

[2] Cf. *Mercier* l. c. 291.

4. Argumentum denique ab A. Comte ex tribus «historiae» periodis desumptum non minus incaute est excogitatum.

Verum quidem est diversos diversis temporibus saepenumero fuisse animorum cursus ingeniique formam. Tempus revera fuit cum disciplinis theologicis mens apprime esset addicta, item fuit cum metaphysicam maiore cum studio colerent homines, quam nostris temporibus multi id faciunt: haec omnia historice certa sunt. Diversas autem illas animi indoles evolutione quadam necessaria intellectus ita sibi successisse, ut singulae singulis historiae periodis exclusive fuerint propriae, ipsa historia factis apertis negat. Omnes enim norunt Aristotelem e. g., Albertum Magnum, Sanctum Doctorem, alios rerum metaphysicarum amantissimos, aliarum scientiarum non minus fuisse peritissimos. Item e converso scimus Cartesium, Leibnizium, Pascal, Pasteur illum, alios non paucos viros, in positivis quas vocant scientiis perfectissimos, rebus metaphysicis cum amore studuisse. Idem dici potest de affectu religioso [1].

---

[1] «N'a-t-on pas vu la glorieuse école d'Alexandrie, si remarquable par sa foi, réagir fortement contre les exagérations antiscientifiques de l'école africaine, et unir brillamment, en la personne de ses maîtres Clément et Origène, la science la plus analytique des choses aux conceptions les plus abstraites? . . . Aug. Comte considère la découverte de la loi de la gravitation universelle comme le triomphe de la méthode positive: le génie qui la découvrit, n'était-il pas profondément croyant? — Lorsque Kepler, après dix-sept années de travail, arriva à la connaissance des lois sur lesquelles Newton devait fonder ensuite la loi de la gravitation, fut-il tenté de déserter sa foi pour embrasser une philosophie agnostique? Au contraire, la science inclinant son génie devant Dieu, lui dicta cette humble prière: ,Grâces vous soient rendues, ô Maître des créatures, du bonheur que vous m'avez procuré. J'ai enfin terminé mon œuvre. J'y ai mis toutes les forces de mon âme. Autant qu'il

Quae cum ita sint, positivismum ut sententiam inscitam et erroneam reicimus.

Scholion. *(De Relativismo.)* I. In disputationibus Criticorum omnium atque Positivistarum id praesertim in contentione ponitur, *utrum intellectus nihil nisi relativa cognoscat an etiam res ut sunt absolute in se ipsis.* — Et *Kantium* quidem scimus rem in se ipsa a nobis cognosci posse apertis verbis negavisse. Quam sententiam secuti sunt in Germania *Hegel*, in Anglia *Hamilton, Herbert Spencer,* alii, in Gallia inter Positivistas *Comte* [1], inter «Neo-

---

a dépendu de ma faiblesse, j'ai tâché de manifester votre gloire aux yeux des hommes. Je me suis toujours efforcé de raisonner avec sagesse; mais si quelque chose d'indigne de vous m'est échappé, à moi qui ne suis qu'un ver de terre, né et nourri dans la fange du péché; si la beauté admirable de vos œuvres m'a enorgueilli; si j'ai cherché la gloire qui vient des hommes: éclairez-moi, ô mon Dieu, afin que je me corrige. Pendant que j'élabore une œuvre destinée à vous glorifier, pardonnez-moi, Seigneur bon et miséricordieux, et accordez-moi que mon travail soit profitable pour votre gloire et pour le salut des âmes'» (Kepleri opera omnia, ed. *Frisch* 1884, V 322). *Mercier,* Crit. gén. [6] 304 sq. Cf. etiam *G. Sortais,* Traité de philosophie II [4] 373 sq.

[1] Cf. supra p. 175. «Pour Auguste Comte le ‚relatif' c'est le ‚positif'. Dans ‚l'état théologique' l'homme dirige essentiellement ses recherches vers la nature intime des êtres, les causes premières et finales de tous les effets qui le frappent, en un mot, vers les connaissances absolues. ‚L'état métaphysique' ne diffère pas essentiellement de l'état théologique; seulement, dans cet état intermédiare, l'esprit humain remplace les divinités par des forces et des entités distinctes des corps, mais qui leur sont inhérentes. Enfin, á ‚l'état positif', l'esprit renonce définitivement à rechercher l'absolu ou les causes dernières, imperceptibles à l'observation; il se contente de rechercher les ‚lois positives', c'est-à-dire les rapports de similitude et de succession que l'expérience permet de découvrir. L'idéal de la connaissance positive serait atteint, sui-

criticos» maximo cum studio *Renouvier* [1]. Hi omnes in eo conveniunt, quod contendunt *nos non nisi relativum cognoscere,* et propterea «*Relativistae*» vocantur; sua vero quisque philosophandi ratione hanc sententiam explicat.

Cuius doctrinae falsitas ex decretis dignoscitur, quibus ipsa innititur. Quae decreta vel inventa, inter alia, haec sunt: «Res in se cognosci non potest» (Kantiani); «Sensibilia sola cognosci possunt; quaecumque vero experientiam sensuum transcendunt, agnosci nullo modo possunt» (Positivistae). Inventa autem illa falsa esse supra (p. 156 sqq et 177 sqq) iam declaravimus.

---

vant Comte, ‚si tous les phénomènes pouvaient être rattachés à une seule loi positive générale, telle, par exemple, la gravitation universelle. Ce sont les mathématiques qui nous enseignent, suivant Comte, cette première règle de la méthode: *Tout est relatif.* Les mathématiques ont, en effet, pour objet de ‚déterminer les grandeurs les unes par les autres, d'après les relations qui existent entre elles'. En résumé, la doctrine de la relativité n'est, chez Comte, qu'une expression de son positivisme» (*Mercier,* Métaphys. gén.[5] 353 sq. Cf. etiam supra p. 176 sq).

[1] «Personne n'a poussé le principe de la relativité plus loin et avec plus de vigueur que Renouvier; le néo-criticiste français trouve Kant trop réaliste, il répudie sa distinction fameuse entre le phénomène et la chose en soi. ‚En prouvant, écrit-il, que la représentation n'implique rien qu'elle-même et ses propres éléments, liés comme elle les lie, j'ai prouvé aussi que ce qu'on croit pouvoir poser à part de toute représentation, n'est encore posé que représentativement; j'ai donc prouvé que les représentations seules sont données et que dès lors les choses en soi n'existent pas, si ce n'est que les représentations se nomment ainsi. Quand je dis ‚n'existent pas', j'entends pour la connaissance au moins possible. S'il est une autre existence, en la négligeant que négligeons-nous? Quand je dis ‚les choses en soi', je parle aussi bien de celles qu'il a plu aux philosophes d'appeler des idées, que de celles qu'il leur a convenu de nommer des atomes. La pensée en soi, la matière en soi n'ont rien de représentable'» (*Mercier* l. c. 354 sqq).

Praeterea inania sunt quae ab adversariis ad thesim suam firmandam afferuntur argumenta. Ex eo enim quod de Deo, Ente absoluto atque infinito, ideam propriam positive nobis efformare non possumus, sed tantum analogam per negationem vel remotionem, non sequitur, ut entia finita et creata absolute et in se cognoscere non possimus.

Neque nos negamus multarum rerum cognitionem distinctam intellectum non nisi comparatione et proinde cognitione relatorum acquirere, sed haec ipsa relatorum comparatio supponit cognitionem relatorum, *ut sunt in se absolute constituta.* Conscientia vero clare nobis testatur nos, reflexione instituta, relata non solum ut relata sed etiam ut sunt in se ipsis cognoscere. Quodsi dictamen illud conscientiae, ad exemplum categoriarum, motu quodam subiectivo efformari contendunt («Immanentismus»), ipso illo relativismo tota ruit certitudo [1].

---

[1] «Dès qu'on introduit dans la raison le venin du relativisme, tout s'effrite, tout se disloque, et si bien que l'intuition elle-même n'échappe pas à cette ruine générale. Que se proposent, en effet, la plupart des immanentistes? Leur effort est de trouver dans l'intuition l'être que la raison ne donne pas. Mais le malheur veut qu'attaquer celle-ci, c'est également attaquer celle-là. Si ma conscience renferme des catégories, elle transforme nécessairement tout ce qu'elle touche; par suite, elle altère mes données intuitives aussi bien que mes raisonnements. De quelque côté que je me tourne, je ne trouve jamais l'être, je n'obtiens toujours que des apparences. Encore ces apparences n'ont-elles que les rapports mutuels que j'y découvre au moment même où je les vois. Car, auparavant, elles étaient encore de l'au-delà; après, elles seront aussi de l'au-delà. Or c'est un principe arrêté chez les intuitionnistes: de ce monde qui ne peut être que conclu, l'esprit de l'homme ne saura jamais rien. Il n'y a plus de lois qui englobent à la fois le passé et l'avenir; il ne reste que des groupes éphémères de phénomènes plus ou moins mobiles. L'intuition piquée de relativisme c'est la banqueroute de l'esprit humain» (*Clod. Piat,* In-

II. Relativismus Criticorum illorum et Positivistarum sub influxu theoriae *evolutionis* ad *transformismum logicum* deductus est, cum doceant illi philosophi, quod verum sit relative ad statum mentis talis hominis tali tempore viventis vel talis gentis, id decursu temporis fieri posse falsum, ita ut magis evolutis contrarium verum sit. Talem evolutionem iam Comte [1] per tres illas «periodos» scimus excogitasse; maxime vero hanc doctrinam excoluerunt *Stuart Mill* et *Spencer*. Quemadmodum enim secundum placita Darwiniana omnia viventia continuo evolvantur atque perpetuo ad perfectionem progrediantur, ita nullam esse immutabilem veritatem sentiebant, sed omnem cognitionem esse mutabilem atque fluentem. Idem docuit *Paulsen;* qui cogitandi formas «categorias historicas» esse dicit, quae semper fluunt cum tempore sicut realitas omnis, ita ut nullae sint cogitandi formae absolutae neque absolutam veritatem invenire possint moderni illi philosophi, qui historico-geneticum illum cogitandi modum («die moderne historisch-genetische Denkweise») adhibuerint [2]. Eadem fere censuit *Ostwald* [3]. Neque ipse *Wundt* relativismi illius immunis est, quippe qui cognitionem ex voluntate oriri doceat, quae continuo sese evolvat atque immutetur.

Transformismum falsum esse [4] dignoscitur 1° ex *falsitate suppositorum* eius: Supponunt enim Relativistae illi

suffisance des philosophies de l'intuition 242). Cf. etiam apud eundem p. 50: «Relativisme de H. Spencer»; item *Mercier*, Métaphys. gén. [5] 353 sqq.

[1] Cf. supra p. 175.

[2] Quam sententiam explicat in libro qui inscribitur «Immanuel Kant. Sein Leben und seine Lehre» [2] (1899) 399.

[3] In libro «Vorlesungen über Naturphilosophie» [2] (1902) 317.

[4] In Syllabo Pii Papae X «Lamentabili» inter alias haec propositio reicitur: «Veritas non est immutabilis plus quam ipse homo, quippe quae cum ipso, in ipso et per ipsum evolvitur.»

a) mentem humanam primo et immediate non cognoscere nisi ideas suas, b) naturam nostram atque naturam rerum modo Darwinistico continuo immutari. Iam vero prius falsum esse supra vidimus, alterum vero verae scientiae placitis atque factis ipsis repugnat, ut alibi uberius ostendemus. Dignoscitur 2° haec falsitas *ex absurdis*, quae sequuntur. Admissis enim evolutionistarum placitis, *ipsas veritates fundamentales* immutari posse tenendum est. Quo fieri posset, a) ut is qui cogitaret, simul non cogitaret, ut homines actu exsistentes simul non exsisterent, alia eiusmodi vera essent et simul falsa. Sed haec affirmare furoris est atque insaniae. Unde b) fit ut sibi ipsi relativistae illi contradicant, cum valorem absolutum veritatum fundamentalium in suis disputationibus saltem implicite admittant; immo universalem inducunt scepticismum, si quidem ipsa relativismi placita relativa sint oportet [1].

---

[1] Plura de hac re invenies apud *Lehmen*, Lehrbuch der Philosophie I³ 274 sqq, et *Willems*, Instit. philos. I 369 sq. Cf. etiam ea quae de hac re dilucide explanavit *Aug. Deneffe* in libello periodico «Stimmen aus Maria-Laach» LXXVIII (1910) 1 (p. 56 sqq) commentatione quae inscribitur «Relative Wahrheit». Relativismus ibi distinguitur quadruplex, nimirum: 1° *Psychologismus*, qui veritatem diversam esse docet secundum diversas intellegentias, ita ut e. g. bis bina quae pro nostro intellegendi modo sunt quattuor, pro alia (angelica vel divina) mente quinque esse possint (ita Benno Erdmann); 2° *Transformismus* ille logicus, qui evolutionem veritatum admittit, ut supra ostendimus; 3° *Relativismus* quem *temporis* et *loci* vocant, secundum quem veritates a tempore vel a loco pendent, ita ut e. g. bis bina non ubique (non in omnibus planetis v. g.) neque semper sint quattuor; 4° *Pragmatismus*, qui veritatem ab utilitate dependere contendit. — Magno cum fructu etiam legi possunt quas de moderna hac philosophia in eodem libello periodico scripsit commentationes *K. Kempf*: «Bankrott der modernen Erkenntniskritik» (p. 146) et «Endstationen der modernen Philosophie» (p. 268).

Transformismus quatenus docet veritatem perpetuo immutari atque *in infinitum* augeri, ita ut mens humana cum ipsa perpetuo evolvatur, dicitur etiam *progressismus* logicus [1], qui proinde iisdem argumentis refutatur quibus transformismum reiciendum esse ostendimus [2].

CAPUT IV.

DE TRADITIONALISMO.

ARTICULUS I.

TRADITIONALISMUS EXPONITUR.

Traditionalismus est sententia eorum, qui vim rationis humanae nimium deprimentes motivum certitudinis ex *auctoritate* desumendum esse docent. Cuius sententiae diversae distingui possunt species pro diversis modis quibus rem explicant. Est enim:

I. *Fideismus,* cuius parentem nominant *Huetium* [3].

Hic rationem humanam lumine naturali veram et proprie dictam certitudinem acquirere posse negat. Pro-

---

[1] De progressismo *morali,* eoque sociali vel privato, sermo erit in Ethica.

[2] Cf. *Hagemann-Dyroff,* Logik und Noetik [8] 231 sqq.

[3] *Huetius,* episcopus abrincensis (Avranches), a. 1630 natus, 1721 decessit. Fideismum suum in libro exposuit, cui titulus «De imbecillitate mentis humanae». Inter alia ab ipso satis obscure conscripta haec habes: «Dixi exstare in rebus speciem veri quam sequamur. . . . At species veri non est certa nota veri, qua visa sciamus verum id esse, cui illa inhaeret: sed externa aliqua significatio, quam cum alicubi deprehendimus, illuc inesse dicimus non veritatem, cum in rebus falsis eadem occurrat nonnumquam species, sed *verisimilitudinem* et *probabilitatem*. . . . Ex quibus liquido constat rationem, dum circa prima versatur principia, licet summam obtineat *humanam certitudinem,* aliquid tamen ei ad *perfectam certitudinem* deesse, quod *suppletur* per fidem. Nec his solum axiomatis

priis enim viribus nonnisi ad *verisimilitudinem* quandam vel *probabilitatem* assurgere potest. Perfectam autem certitudinem fides comparat supplendo ea, quae ex parte virium naturalium desint.

II. *Traditionalismus proprie dictus*, qui auctoritatem illam immediate in hominibus, praesertim vero in societate, inquirendam esse docet. Est enim, iuxta hanc sententiam, societas a natura instituta, ut veritates omnes, quas Deus primis hominibus revelaverit, et morales et metaphysicas, posteris tradat.

Traditionalistas vero distinguunt rigidos et moderatiores.

1. *Rigidi* Traditionalistae auctoritatem illam tam necessariam esse contendunt, ut *nulla* omnino certitudo sine fide esse possit. Cuius sententiae fautores sunt *de Lamennais* (Mennesius) et *de Bonald*, qui tamen *differunt in modo*, quo doctrinam suam explicare vel firmare conantur.

Iuxta *de Lamennais* enim († 1854) duplex distinguenda est ratio: individualis scilicet et generalis («la raison générale»). Individualem rationem docet solum ad dubitandum esse idoneam, certitudinis autem omnis fundamentum vel motivum esse fidem, cuius «ratio generalis» vel consensus generis humani sit unica eaque infallibilis regula [1].

---

primisque principiis, sed et reliquis enuntiatis, quae minus late patent minusque facilem ab humanis mentibus extorquent assensum, certitudinem vimque conciliat fides» (De imbecillitate mentis hum. l. 3, c. 11 et 15).

[1] En nonnullae ex propositionibus, quas conscriptas invenies in libro, cui titulus «Essai sur l'indifférence en matière de religion» II, c. 13: «Rien ne nous est aujourd'hui si évident que nous puissions nous promettre de ne le pas trouver demain ou obscur ou erroné.» — «C'en est assez, comme on l'a vu, pour ne pouvoir rigoureusement affirmer quoi que ce soit, pas même notre propre existence.» — «Le premier acte de la raison est nécessairement un acte de foi, et aucun être créé, s'il ne commençait par dire: *je crois*, ne pourrait jamais dire: *je suis*.» — «L'intelligence n'a

De Bonald vero (1754—1840) eandem fere doctrinam iam antea speciali quodam argumento *ex locutione* desumpto firmare conatus erat. En eius argumentatio: Ad cogitandum homo *necessario indiget locutione*[1]. Locutio autem sine cogitatione excogitari non potest nec proinde ab hominibus potuit inveniri. Consequenter a Creatore suo homo una cum natura locutionem accepit. Sed si locutionem accepit, et ipsae cogitationes, quarum locutio non est nisi sensibilis expressio, a Deo cum sermone inditae sunt. Deus ergo ipse docuit primos homines, simul cum sermone, veritates primarias, quae deinde per locutionem ad omnes posteros simul cum sermone transierunt.

2. *Moderatiores* autem Traditionalistae (*Bautain*[2], *Bonnetty*[3], *Ventura*) sententiam rigidorum eatenus mitigant, ut auctoritatem *in ordine acquisitionis* ad certitudinem necessariam esse doceant, non autem *in ordine demonstrationis*. Id est, iuxta ipsos, veritates de Deo, de spiritualitate et immortalitate animae, de vita morali instituenda, solo rationis lumine inveniri quidem non possunt; postquam autem fide sunt inventae, ratio sola ipsas veras esse cum certitudine probare potest.

---

point d'autres fondements, la certitude n'a point, ne saurait avoir d'autres bases que le grand témoignage originairement rendu par Dieu même, raison universelle, immuable, infinie.» Cf. etiam Défense de l'Essai sur l'indifférence (Œuvres complètes I, c. 8).

[1] «L'homme a besoin de signes ou mots, pour penser comme pour parler; c'est-à dire, *l'homme pense sa parole avant de parler sa pensée,* et c'est ce qui fait qu'il s'énonce avec peine, toutes les fois qu'il veut rendre dans une langue étrangère ce qu'il pense dans sa langue maternelle . . .» (*de Bonald,* La Législation primitive I, c. 2, p. 28 29).

[2] *Bautain,* natus 1796, 1819 professor philosophiae Argentorati, 1867 mortuus est. Scripsit «Philosophie du christianisme».

[3] *Bonnetty* (1798—1879) doctrinam suam exposuit in libello periodico «Annales de Philosophie chrétienne».

ARTICULUS II.

FIDEISMUS ET TRADITIONALISMUS REFUTANTUR.

I. *Argumento generali.* — Fides non potest esse motivum ultimum omnis certitudinis nostrae. Fides enim omnis, sive divina sive humana, multa ut certo cognita *praesupponit*, quae ipsa fides praestare non potest.

Priusquam enim Deo revelanti vel humanae traditioni fidem quis tribuat, iam certus sit oportet: a) Deum exsistere, b) Deum revera locutum esse, c) Deo credendum esse, d) homines ipsos vel traditionem ipsam exsistere, e) traditione revelationem divinam fideliter transmissam esse, multa alia huiusmodi ordinis.

Sed haec omnia fide ipsa cognosci non possunt, sed actu rationis, qui fidem praecedat, comparari debent. Quodsi nihilominus ad fidem quis timide confugere conetur, secundus ille actus fidei alium denique rationis actum praesupponet, nisi progressum in infinitum instituere velit; tunc autem nullam umquam certitudinem habebit.

II. *Argumentis quibusdam specialibus.* — 1. Contra *Lamennais.*

a) *Argumento negativo.* Ratio praecipua, propter quam Lamennais ad consensum universalem vel rationem generalem confugiendum esse putavit, hac propositione enuntiatur: «Nihil est, quamvis hodie sit evidens, quin cras sit obscurum nobis aut erroneum.» — Sed nemo est qui non videat, quam falsum sit illud fundamentum, cum eiusmodi dictum et conscientiae et experientiae testimonio aperte contradicat.

b) *Argumento per absurdum.*

Ratione individuali, iuxta Lamennais, nihil, ne propria quidem exsistentia, affirmari potest. Sed systema suum Lamennais *ratione sua individuali* excogitavit et affirmavit!

Si ratio individualis ad certitudinem acquirendam nihil valet, quia per se essentialiter sit fallibilis, nec ratio gene-

ralis quicquam valere potest. Ratio enim illa generalis nihil aliud est nisi rationum individualium collectio. — Sed *interna rei natura* per additionem entium eiusdem naturae non mutatur: *plus et minus non mutant speciem.*

2. Contra *de Bonald.* — Primos homines expeditam loquendi facultatem a Deo creatore accepisse *historice* certum est. Utrum vero sermonem ipse homo invenire potuerit necne, libere potest controverti. Sed quidquid hac de re dicitur, profecto falsa est *ratio,* propter quam de Bonald homines sermonem invenire non potuisse ostendere conatur. Etenim si vim nativam attendas, non verba scientiam, sed scientia verba praecedat necesse est [1].

3. Contra *moderatiores Traditionalistas.*

a) *Sibi ipsi contradicunt.* Nam operatio, quam elicimus, cum demonstramus veritatem aliquam metaphysicam, puta cum exsistentiam Dei ex ordine mundi demonstramus, omnino eadem est, praesupposita revelatione et ipsa revelatione non supposita. Admittere vero talem operationem ex sua natura post revelationem gignere certitudinem in mente, cum ante revelationem talem effectum producere non potuerit, idem est ac dicere aliquam operationem mentis ex sua natura esse probantem simul et non probantem. Quod est negatio ipsius principii contradictionis [2].

b) Quodsi contendunt differentiam illam in vi probandi non oriri ex natura operationis, quam elicimus in diversis his casibus, sed ex eo quod, revelatione habita, ex auctoritate sciamus demonstrationem nostram *rectam* esse, cum ante revelationem certitudinem hac de re habere non potuerimus, tunc incidunt in scepticismum et ipsa sua fundamenta evertunt.

---

[1] Cf. *Kleutgen,* Inst. theol. n. 116; *Pesch,* Inst. log. II 291.

[2] Cf. *Stöckl,* Lehrbuch der Philosophie II 462.

Confirmatur haec refutatio ex *auctoritate Ecclesiae,* quam fautores huius sententiae erroneae generatim admittunt.

Concilium enim *Vaticanum,* sess. 3, c. 4: De fide et ratione, inter alia declarat: *rectam rationem fidei fundamenta demonstrare,* et circa doctrinam illam hunc statuit canonem: «*Si quis dixerit Deum unum et verum, creatorem et dominum nostrum, per ea, quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine* **certo** cognosci non posse: A. S.»

Sacra vero Congregatio Indicis, approbante Pio IX, anno 1855, Bonnetty sequentes propositiones subscribendas proposuit:

1. Ratiocinatio Dei exsistentiam, animae spiritualitatem, hominis libertatem cum certitudine probare potest.

2. Fides posterior est revelatione, proindeque ad probandam Dei exsistentiam contra atheos, ad probandam animae rationalis spiritualitatem et libertatem contra naturalismi ac fatalismi sectatores allegari convenienter non potest.

3. Rationis usus fidem praecedit, et ad eam, ope revelationis et gratiae, conducit.

Caput V.

DE DOGMATISMO[1].

Dogmatistae quos vocant quaestionem de exsistentia et de fundamento certitudinis sic ponunt atque solvunt.

Status quaestionis. — 1. Sunt veritates complures, de quibus omnes homines naturali quadam necessitate moti certitudinem habent *directam* vel *spontaneam* (p. 135). Hoc

---

[1] Dogmatismus est sententia Scholae. Dogmatistae autem a «dogmatizando» dicimur, quia scepticismi et falsi criticismi placita improbantes certitudinem naturalem neque reicimus neque positive in dubium revocamus, sed eius dogmata ante omnem scientificam inquisitionem *directe* admittimus.

factum ab omnibus, vel ab ipsis scepticis et criticis admittitur. Tales enim sunt, *inter alias*, tres illae veritates, quae a nonnullis dicuntur veritates primitivae [1], nimirum: *factum primum:* «Ego exsisto»; *principium primum:* «Idem non potest esse simul et non esse»; *condicio prima:* «Ratio cognoscendi capax est.» Eiusmodi propositiones omnes *sine ulla reflexione* directe ut certae admittuntur, immo nonnullae ex ipsis talis sunt naturae, ut ipsa sua negatione explicita implicite affirmentur. Tales sunt e. g. principium contradictionis et factum primum. Sed haec certitudinis exsistentia, cum ab ipsis scepticis admittatur, in contentione non est ponenda. Quaeritur autem hic, *utrum, reflexione circa cognitionem nostram instituta, possit ostendi certitudines illas et generatim certitudines nostras omnes esse legitimas, utpote obiective fundatas,* necne [2].

2. In principio vero huius inquisitionis *ipsa aptitudo mentis* ad veritatem cognoscendam neque est a priori reicienda — hoc enim arbitrario et absurde fieri iam supra

---

[1] De his veritatibus primitivis vide *Tongiorgi,* Inst. phil. vol. I, p. II, c. 3, n. 425 426; *Mercier,* Crit. gén.[6] 92—103; ib. 386 sqq; item Traité élémentaire de philosophie (Louvain) I[4] 383.

[2] «La vraie question entre les premiers et les seconds [inter scepticos et dogmaticos] n'est pas de savoir si l'âme humaine trouve en elle des assentiments certains, c.-à-d. *spontanément* irrésistibles: c'est chose accordée, et si quelqu'un s'avisait de le nier, il supprimerait le débat, faute d'objet à débattre; la question est de savoir si, oui ou non, l'intelligence peut justifier, *dans le domaine de la réflexion,* la certitude de nos adhésions spontanées. Dans l'affirmative, le dogmatisme a raison, et la certitude, qui n'était que spontanée jusqu'alors, revêt le caractère d'une certitude réfléchie, scientifique; dans la négative, il y a désaccord entre l'activité spontanée et l'activité réfléchie de l'esprit, et il n'y a qu'une conclusion désespérante à tirer de là, c'est que la machine humaine est mal faite» (*Mercier* l. c 104 sq). Cf. etiam «Revue néo-scolastique» II 7 sq; IV 56 sq.

ostendimus (p. 138 sq) —, neque a priori in dubio ponenda, sicut Kantius rem perperam instituit (p. 156 sq), neque a priori est affirmanda. Etsi enim omnis homo huius aptitudinis cognitionem claram habet, propter claram ipsius fundamenti cognitionem *directam*, tamen, cum in initio huius inquisitionis motivum, propter quod hanc aptitudinem admittit, *reflexe* non habeat perspectum neque demonstratum, ipsi non licet contra adversarium ponere ut principium: «Facultas ad cognoscendum est apta.» Status mentis proinde relative ad cognitionem *reflexam* huius principii est *ignorantia*. **Non potest quidem intellectus ipsum non admittere in ordine cognitionis directae, quoties certo aliquid cognoscit, sed in ordine cognitionis reflexae ipsum primo omnino ignorat**[1].

Quaeritur proinde:

a) Quotiescumque de veritate aliqua certitudinem habemus, quodnam est huius certitudinis motivum ultimum? estne tale, ut ex ipso certitudo nostra sit obiective fundata?

---

[1] «Au premier moment de ce travail de réflexion qu'entreprend le philosophe, à l'effet d'apprécier la nature de la connaissance certaine, il n'a pas le droit de *nier* ou de *déclarer sujette à caution*, pas plus qu'il n'a le droit de *l'affirmer*, *l'aptitude des facultés cognitives* à la connaissance certaine de la vérité. Avant d'avoir réfléchi sur ses *actes* et d'en avoir scruté la nature, la raison humaine ne sait pas, elle ne peut savoir, si l'emploi de ses facultés la mènera ou ne la mènera pas à la vérité. Par conséquent, l'état initial de la *raison réfléchissante*, en ce qui concerne le *pouvoir* de nos *facultés* cognitives, doit être *l'ignorance voulue*, *l'abstention*. . . . Manifestement, entre l'état d'esprit, tout *négatif*, de celui qui *s'abstient de préjuger* si les facultés de connaître peuvent ou ne peuvent pas le mener à la vérité, et l'état d'esprit de celui qui *juge positivement* que la sincérité des facultés cognitives *est douteuse*, il y a un abîme» (*Mercier*, Crit. gén.[6] 105 106). — Cf. etiam Traité élémentaire de philosophie (Louvain) I[4] 385: «La vraie position initiale de l'esprit.»

b) Quando vero in errorem inducimur, quaenam est huius erroris causa? Inveniturne in ipso intellectus nostri motu naturali, an per accidens hoc contingit?

Prioris quaestionis solutio. — Reflexione debito modo instituta circa certitudinis nostrae motivum, haec ultro apparent:

1. Multa efformamus iudicia certa — ut cum enuntiamus: $7 + 5 = 12$ —, in quibus assensus noster firmus fit, non propter auctoritatem aliquam nobis extrinsecam, Dei puta vel hominum, sed propter motivum, quod in ipso obiecto (enuntiabili) invenitur simul et in intellectu. Assensus enim noster fit non ex synthesi quadam caeca intellectui innata, sed *sub influxu visibilitatis ipsius veritatis obiectivae* menti *sese* manifestantis, sicut rem iam supra (p. 158 sq) declaravimus.

Veritatis obiectivae visibilitas dicitur etiam *evidentia obiectiva*, ut distinguatur ab *evidentia subiectiva*, quae est: *ipsa evidentiae obiectivae clara perceptio.* Est enim evidentia illa obiectiva respectu intellectus id, quod luminositas rerum externarum est respectu oculorum. Distinguitur autem multiplex, pro diversis modis, secundum quos haec visibilitas sese manifestat. Quando vero, ut in exemplo allato, haec manifestatio talis est, ut ipsa veritas *per se* menti appareat, evidentia obiectiva dicitur *interna.* Recte proinde testimonium illud conscientiae sic enuntiari potest: *Multae sunt veritates, quas admittimus ut certas propter evidentiam earum obiectivam internam menti sese manifestantem.*

Sed non eodem semper modo haec evidentia interna sese manifestat. Quandoque enim, ut in exemplo $7 + 5 = 12$, haec visibilitas *primo intuitu* affulget; quandoque vero, ut in multis conclusionibus geometricis, non nisi *ratiocinio* sese manifestat. Sed quidquid est de modo, quo haec visibilitas apparet, reflexione peracta super assensum, clare semper videmus, his in casibus omnibus,

firmum assensum a nobis praestari propter evidentiam obiectivam internam menti sese manifestantem.

2. Sunt tamen veritates non paucae, quibus firmiter adhaeremus, quin earum evidentia *interna* menti sese manifestet, ut cum fide aliquid tenemus. Neque inanis tunc vel caecus assensus noster dicendus est. Cuius rei veritas ex reflexione in eiusmodi assensum item apparebit. Duplici enim modo talis assensus firmus generatim fieri potest:

a) Saepenumero fit, ut intellectus sola testis alicuius auctoritate moveatur ad firmiter adhaerendum enuntiabili, cuius evidentia interna non affulget. Tunc autem, reflexione in actum suum reversus, clare videt hunc actum fieri, non sub caeca vel violenta auctoritatis motione, sed *propter evidentiam obiectivam ipsius huius auctoritatis menti manifestatam*[1].

---

[1] Non loquimur hic de actu fidei supernaturalis, ad quem semper motio quaedam gratiae requiritur; sed naturalis fidei explicamus actum, cui tamen actus supernaturalis analogus est. — Egregie hac de re S. Doctor (2, 2, a. 4): «Assentit autem intellectus», inquit, «alicui dupliciter: uno modo quia ad hoc movetur ab ipso obiecto, quod est vel per seipsum cognitum, sicut patet in principiis primis, quorum est intellectus; vel per aliud cognitum, sicut patet de conclusionibus, quarum est scientia. Alio modo intellectus assentit alicui, non quia sufficienter moveatur ab obiecto proprio, sed per quandam electionem voluntarie declinans in unam partem magis quam in aliam; et si quidem hoc sit cum dubitatione et formidine alterius partis, erit opinio; si autem sit cum certitudine absque tali formidine, erit fides . . .» et infra, ad 2: «Ea quae subsunt fidei . . . considerari possunt . . . sub communi ratione credibilis; et sic sunt visa ab eo qui credit. Non enim crederet, nisi videret ea esse credenda vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid eiusmodi»; item q. 2 ad 1: «Fides non habet inquisitionem rationis naturalis demonstrantis id quod creditur: habet tamen inquisitionem quandam eorum per quae inducitur homo ad credendum, puta quia sunt dicta a Deo, et miraculis confirmata».

b) Non raro etiam fit, ut intellectus, evidentia interna alicuius veritatis, puta alicuius enuntiabilis vel ipsius testimonii, imperfecte tantum manifestata, firmiter nihilominus adhaereat. Cuius assensus motivum tunc reflexione item cognoscimus evidentiam esse aliquam obiectivam. In hoc enim casu ratio *firmitatis* assensus invenitur in *evidentia obiectiva imprudentiae* dubitationis menti apparente, i. e. mens clare videt imprudenter se acturam esse, si in tali casu formidinem errandi non excuteret.

Haec duplex evidentia obiectiva cum non sit ipsius veritatis cui assensus praestatur, sed rationum huic veritati externarum, dicitur *evidentia obiectiva externa.*

Quibus omnibus perpensis, reflexione compertum habemus motivum *ultimum* omnis certitudinis nostrae esse semper *evidentiam obiectivam* (sive internam sive externam) *menti sese manifestantem.* Quamdiu haec evidentia obiectiva non manifestatur, mens irrequieta manet; quotiescumque vero affulget, intellectus in possessione sui obiecti *quiescit.* Quae omnia clare ostendunt certitudinem oriri, neque ex caeca quadam et inani synthesi menti innata, neque ex vi externa ad inanem motum intellectum cogente; sed ex ipsa *veritate obiectiva,* manifestatione sui, facultatem ad se ut ad obiectum suum apprehendendum alliciente. Quod quidem tam manifestum est, ut *ipsi sceptici* hanc veritatem in omnibus suis assertionibus practice admittant. Si enim ab ipsis quaesieris, cur suam sententiam sine errandi formidine admittant, profecto semper respondebunt: «Admitto, quia hoc verum esse clare mihi apparet.»

Stat ergo conclusio: **Reflexione ostendi potest certitudines nostras esse legitimas, utpote obiective fundatas.**

Alterius quaestionis solutio. — Fieri tamen potest, et revera nonnumquam fit, ut evidentiae illius claram perceptionem habere nos *putemus,* cum revera ipsa non ap-

pareat, ita ut in *errorem inducamur.* Criticae proinde sanae erit huius erroris causam detegere, ut ipsius errandi periculum vitari possit. Iam vero causa illa:

1. Non est in ipsa facultatis *natura* ponenda, aliis verbis: non potest admitti facultatem cognoscendi hominis motu suo naturali tendere non ad verum, sed ad falsum: «facultas cognoscendi *per se* non inducit in errorem» vel *naturalis inclinatio hominis est ad veritatem.*

Duae enim sunt notae, quibus apprime inclinationem naturalem, ut naturalem, cognoscimus: *necessitas* scilicet in motu et *delectatio* ex possessione obiecti oriunda. Omnis enim motus naturalis, quasi ineluctabili fit conatu: impediri quidem potest actus, manet tamen tendentia vel inclinatio inquieta, donec deveniat in obiecti sui possessionem, in qua demum delectatur. «Quando res constituuntur in propria operatione conaturali», ait S. Doctor, «et non impedita, sequitur delectatio, quae consistit in perfectum esse.» [1]

Iamvero «omnis homo naturaliter scire desiderat». Veritate enim et certitudine mens revera *indiget.* Ad ipsam possidendam, etsi crebro in errorem incidimus, semper tamen erigimur et anhelamus: ad ipsam tendimus ut ad veram mentis beatitudinem.

Et re quidem vera in difficultatibus et dubiis veritas *invenienda* nobis quasi *arridet,* nos incitat et allicit; *inventa* autem et certo cognita gaudio implet et delectatione. — Haec omnia, reflexione super actus nostros habita, clare cuique apparent.

Facultates proinde naturaliter ad veritatem sunt inclinatae, aliis verbis: *per se* non inducunt in errorem.

2. Causa proinde illa non est nisi in iis, quae naturae accidere possunt, allis verbis: facultas non in errorem ducit nisi *per accidens.*

---

[1] S. theol. 1, 2, q. 31, a. 1 ad 1.

Quod duplici modo fieri potest: vel ex eo, quod versatur circa obiectum, ad quod apprehendendum non est nata («obiectum per accidens»); vel ex eo, quod in motu suo naturali ad obiectum suum, ratione quadam ab extrinseco adveniente, impediatur vel perturbetur. Ad has duas errandi occasiones sedulo proinde attendendum est. *Obiectum vero, ad quod apprehendendum facultas aliqua est nata, dicitur obiectum proprium.*

Stat ergo conclusio: **Nulla facultas per se in errorem ducit, quoties versatur circa obiectum suum proprium.**

Liber II.

DIVERSI CERTITUDINIS FONTES EXAMINI SUBICIUNTUR.

PRAENOTIONES.

Certitudinis *fontes* vel *criteria*[1] sunt *diversa media vel principia, quibus mens humana utitur ad veras certasque cognitiones sibi comparandas.*

Quinque communiter enumerantur:

I. *Conscientia* vel experientia interna.
II. *Experientia externa* ope *sensuum* habita.
III. *Intellegentia.*
IV. *Ratio.*
V. *Auctoritas.*

Criteria illa omnia iam examini subicienda sunt: non ut eorum valorem in dubium revocemus, scimus enim ea per se ipsa in errorem non inducere (p. 198 et 199); sed ut, *reflexione super ipsa habita,* diiudicare possimus, quodnam

[1] Fontes et criteria *re* sunt idem; *fontes* tamen dicuntur media illa, quatenus ex ipsis novae cognitiones *hauriuntur, criteria* vero, quatenus inserviunt ad verum et falsum *discernendum.*

sit uniuscuiusque obiectum proprium, et quaenam sint rationes, propter quas per accidens in errorem inducere possint.

CAPUT I.

DE CONSCIENTIA.

ARTICULUS I.

NOTIO CONSCIENTIAE EVOLVITUR.

Reflectentibus nobis in actus nostros clare apparet nos non solum videre colores e. g., audire sonos, corporum resistentiam vel alias proprietates tangendo percipere, sed etiam apparet *nos sentire ipsas illas sensationes,* quibus colores, sonos, alias qualitates corporeas percipimus, immo omnes affectiones nostras internas *ut praesentes et nostras* a nobis apprehendi. Sic etiam non solum intellegimus, sed etiam *intellegimus nos hic et nunc intellegere.* Facultas, qua talia percipimus, dicitur *conscientia psychologica* et generatim definitur: *facultas, qua operationes et affectiones nostras internas ut praesentes et nostras apprehendimus.*

Duplex vero distinguitur:

1. Conscientia sensitiva vel *sensus intimus:* facultas, qua sentiens (animal) sensationes suas omnes, immo omnes affectiones suas sensiles internas, ut praesentes et suas apprehendit.

2. Conscientia *intellectiva,* quae est ipse intellectus, quatenus operationes *suas* intellectuales cognoscit *ut praesentes.*

De hac duplici conscientia *psychologica* hic agitur [1].

---

[1] Praeter conscientiam *psychologicam* distinguunt conscientiam *moralem,* quae est intellectus quatenus pronuntiat circa convenientiam vel disconvenientiam actuum nostrorum cum lege morali, vel ipse actus intellectus de his pronuntiantis. — De hac conscientia specialius sermo erit in Ethica.

Articulus II.
REFLEXIO CIRCA VALOREM CONSCIENTIAE INSTITUITUR.

§ 1. Obiectum proprium conscientiae declaratur.

Conscientiae obiectum proprium sunt:

1. Affectiones nostrae internae, ut *facta,* non autem *natura* earum intima vel *origo.* Refert enim nobis e. g. nos *intellegere* (factum), non autem docet, qualis sit naturae ille actus intellegendi, utrum scilicet sit spiritualis an materialis.

2. Facta tamen illa non in abstracto, sed *in concreto* manifestat, i. e. non solum nobis renuntiat nos generatim affici, sed quomodo afficiamur ostendit, utrum *videamus* e. g. an *audiamus,* utrum *dolorem* sentiamus an *delectationem* etc. *Differentiam* proinde inter diversas affectiones declarat, naturam earum concretam manifestando.

3. Affectiones illas omnes manifestat ut *nostras.* Proinde ipsum *ego* apprehendit sub his diversis modificationibus ut aliquid unum, idem semper subsistens. De natura vero intima huius *ego* nihil dicit.

4. Facta nostra refert *interna* quidem, sed *non omnia.* Operationes enim vitae vegetativae e. g. *ut tales* nullo modo apprehendit, multae praeterea sunt affectiones vitae sensitivae, quas conscientia non semper refert.

5. Facta denique refert *praesentia,* non autem praeterita vel futura.

Quotiescumque proinde conscientia circa haec obiecta propria versatur, in errorem per se numquam inducit (p. 199).

§ 2. Rationes deteguntur, propter quas error fieri potest per accidens.

1. Periculum errandi adest, quotiescumque, *solo conscientiae testimonio* nixi, de natura intima vel origine affec-

tionum iudicamus, ut quando aliquis dolorem, quem in pectore sentit, ex pulmonibus oriri iudicat.

2. Frequentius tamen periculum errandi oritur ex *influxu phantasiae* in motum ipsius conscientiae. Fieri enim potest, ut phantasia *per se ipsa* in cerebro affectiones excitet, quae cum affectionibus realibus (a rebus productis) ita conveniunt, ut natura concreta diversarum illarum impressionum sit in multis eadem. Tunc *ex defectu attentionis sufficientis* error irrepere potest.

In statu tamen normali hic error facile vitari potest. Licet enim impressiones reales et earum repraesentationes sint inter se *similes,* nihilominus *claritate* et *variabilitate* multum differunt, ita ut mens attendens sine ullo negotio eas distinguere possit.

«Licet voluntas etiam in phantasiam non habeat absolutum dominium et saepe ipsa reluctante oriantur vel remotae redeant phantasiae imagines, nihilominus essentialis est differentia inter realium affectionum perceptionem et meras phantasiae repraesentationes in eo, quod in priorem voluntas facultate adhibita nullam habet potestatem, in alteras vero dominium habet. Sic, qui vere videt, qui vere sentit dolorem in pede, potest quidem claudere oculos, potest etiam, si dolor non fuerit nimis vehemens, attentione ad alia directa ab actuali doloris perceptione cessare, sed non potest cum attentione ad oculum apertum vel ad pedem dolentem non percipere visionem vel dolorem. Contra, qui ex imaginatione iudicat se dolere in manu, manus usu attento imaginationem doloris statim expellet; qui autem verum ibi dolorem experitur, manus usu doloris perceptionem auctam vel clariorem experietur.» [1]

---

[1] Cf. *Frick,* Logica ^{4} 186. Cf. etiam *Störing,* Vorlesungen über Psychopathologie, Leipzig 1900, 62 sqq.

In *statu autem anormali*, qui dicitur *allucinatio* [1], natura concreta impressionum realium et repraesentationum phantasticarum tam similis est, ut conscientia differentiam detegere non possit. Tunc error est ineluctabilis quidem, sed non quia conscientia *per se* ad cognoscendum non sit capax, sed quia per accidens, phantasia aegrotante, in motu suo naturali perturbatur [2]. Remedium autem, si adest, tunc non in Criteriologia, sed in *Medicina* est quaerendum.

Caput II.
DE EXPERIENTIA EXTERNA VEL SENSUUM.

Articulus I.
NOTIONES EVOLVUNTUR.

Conscientia nostra, cum affectiones internas in sua natura concreta nobis manifestat, eo ipso de *exsistentia corporis* et sensuum *organis* nos certiores facit.

Non solum enim nobis renuntiat nos e. g. dolore vel delectatione affici, sed etiam dolorem vel delectationem illam esse *extensam*, i. e. in diversis huius unius «ego» partibus collocari, quae sint aliae extra alias. Extensum vero illud, quod in «ego» nostro sic apprehendimus, vocamus *corpus*.

---

[1] «L'hallucination est un état morbide dans lequel on perçoit clairement une sensation sans la présence d'un objet apte à la provoquer. Autrement dit, l'hallucination est la *perception réelle d'objets imaginaires*, c.-à-d. qu'on voit, qu'on entend réellement ce qui n'existe pas en réalité. Cette définition la distingue de *l'illusion*, qui est la *perception fausse d'un objet réel;* c.-à-d. qu'on ne voit pas l'objet tel qu'il est» (*Vigouroux*, Médecine pratique III 145). Cf. *Störing* l. c. 30 sqq et 92 sqq.

[2] Ex influxu item phantasiae explicatur error eorum, qui dolorem sentiunt in crure vel brachio *amputato*. Cf. *Lehmen*, Lehrbuch der Philosophie I[3] 172.

Praeterea clare nobis conscientia manifestat sensationes nostras effici, non solum *in* determinatis corporis partibus, sed etiam *ope* illarum partium, quae ad hoc sunt naturaliter instructae et quae dicuntur *organa.* Sic colores sentimus nos apprehendere oculis, sonum auribus, alia aliis organis. Conscientia enim nobis renuntiat ab ipsa organorum illorum dispositione, attentione, directione perceptiones illas semper dependere.

Quae omnia, cum a conscientia evidenter apprehendantur ut eius obiecta propria, cum certitudine ut obiective vera sunt admittenda (p. 198 et 199).

Facultates, quae his organis exercentur, dicuntur *sensus* externi et obiecta eorum *sensilia.*

Quinque vulgo numerantur sensus externi, *visus* scilicet, *auditus, gustus, odoratus, tactus.*

Sensilia autem videmus nihil aliud esse nisi proprietates, *qualitates* scilicet *corporales:* colorem e. g., sonum, sapores, odores, vim resistendi, magnitudinem, motum, alia eiusmodi, quae *exterius* in corporibus apparent. *Id autem, quod quasi intra corpus latens his qualitatibus substat* (substantia), *ut earum principium* (natura), *sensibus in se ipso nullo modo apparet.*

Sed qualitates illae corporeae non omnes ab unoquoque sensu apprehenduntur. Ad diversos enim actus attendentes videmus:

1. Esse obiecta, ad quae apprehendenda specialis quidam sensus *exclusive est natus,* et quae proinde primo et per se apprehenduntur. Haec obiecta dicuntur *sensilia propria.* Sic color est obiectum proprium visus, sonus obiectum proprium auditus, etc.

2. Esse obiecta alia, quae per se quidem sensibus apprehenduntur, *non autem primo, sed cum obiecto proprio, et illo quidem mediante,* ita ut pluribus sensibus simul apprehendi possint, neque sint tali vel tali sensui propria.

Talis est: magnitudo, numerus, figura, motus, quies. Haec obiecta dicuntur *sensilia communia.*

3. Denique experientia scimus fieri, ut sensile quoddam tali speciali sensui proprium, dulcedo e. g., quae est gustui propria, alio sensu, e. g. visu, percipiatur, *non quidem per se, sed per obiectum huic alii sensui* (visui) *proprium,* quia cum ipso de facto coniunctum ab ipso quasi a signo ut praesens manifestatur. Sic felis **videt** *lac esse dulce.* Tale sensile dicitur *sensile per accidens.* Sic etiam ipsa corporum *substantia* sensibus ut praesens percipitur per accidens, in sensilibus scilicet propriis, cum quibus conectitur, sicut causa cum effectu.

Articulus II.

REFLEXIO CIRCA VALOREM EXPERIENTIAE SENSUUM INSTITUITUR.

Quotiescumque sensus versantur circa obiecta propria, intellectus admittere debet ipsos per se non inducere in errorem. Unde, ubi primum evidentia obiectiva eorum testimonii menti apparet, certitudo naturalis, quam excitant, ut legitima habenda est.

Potest tamen ex multiplici capite error oriri.

1. Periculum adest errandi, quotiescumque non versantur circa obiectum proprium. *Magnitudo* e. g. vel motus solis est obiectum *commune.* Si quis igitur *solo* visus testimonio fretus de magnitudine vel motu solis iudicare voluerit, errandi periculo ipse sese exponet. Unde factum est, ut totum genus humanum de motu solis quondam erraverit.

Idem a fortiori de obiecto per accidens dicendum est. Sic e. g. in SS. Eucharistia mens, *nisi fide moneatur,* sensibus decipitur circa naturam substantiae, quae adest sub accidentibus *panis* vel *vini.* Sed pericula illa omnia vitari possunt ab intellectu, si in singulis casibus facul-

tates adhibet, quae secundum naturam obiectorum sunt adhibendae.

2. Item periculum errandi adest relative ad ipsum obiectum proprium, quotiescumque sensuum operatio non exercetur *sub debitis condicionibus,* i. e. sub condicionibus a natura ipsa requisitis. Sunt autem hae condiciones debitae:

Ex parte ipsius sensus requiritur, ut sit *sanus* et *apte dispositus,* manus e. g. nimis frigidae ad obiectum palpandum non sunt aptae.

Ex parte obiecti vero requiritur, ut sit *organo proportionatum,* ita ut vis proprietatum corporalium, coloris e. g., nec nimis sit vivida nec nimis remissa.

Ex parte medii denique requiritur, ut medium sit *normale,* pro visu e. g. diaphanum.

Ad conscientiam vero et ad intellectum pertinet de exsistentia harum condicionum iudicium ferre. Evidenter autem constare posse condiciones requisitas esse impletas, omnes multoties iam experti sumus.

Unde, etsi nonnumquam sensibus decipimur, firmiter tamen stat experientiam externam *per se* fontem certitudinis, non erroris, esse.

Caput III.

DE INTELLEGENTIA.

Articulus I.

NOTIONES EXPLANANTUR.

Intellegentia dicitur intellectus, quatenus principia per se et immediate nota percipit.

Haec facultas proinde versatur circa ideas proprie dictas, ut circa convenientiam vel disconvenientiam earum pronuntiet. Intellegentia e. g. iudicamus *idem non posse simul esse et non esse, totum maius esse sua parte, quidquid movetur ab alio moveri,* etc.

Intellegentia non est confundenda cum *intellectu*. Intellectus enim est nomen genericum unius et eiusdem facultatis rationalis, quae *pro diversitate operationum*, quas elicit, diversis insignitur nominibus, ita ut dicatur intellegentia, ratio, memoria, conscientia.

Articulus II.

DOCTRINA CIRCA VALOREM INTELLEGENTIAE EXPONITUR.

Contra *Positivistas* iam ostendimus (p. 178) ideas, circa quas versatur intellegentia, quatenus sunt universales, non esse nomina tantum, item iudicia ex ipsis efformata non esse experimentalia (p. 179), sed assensum mentis in eiusmodi iudiciis secundum *universalitatem et necessitatem* fieri, non quia talem casum experientia compertum habeamus, sed quia necessaria habitudo praedicati ad subiectum ex perspecta horum terminorum notione evidenter nobis apparet (p. 180).

Item contra *Kantianos* omnes statuimus non nisi *arbitrario* et *absurde* contendi pronuntiationes illas intellegentiae caeca quadam synthesi fieri (p. 157 sq). Reflexione enim sine studio partis instituta, clare vidimus necessitatem assensus firmi oriri in mente sub influxu evidentiae obiectivae menti sese manifestantis (p. 158 sq).

Iam vero ad cognitionem illam de valore horum iudiciorum perficiendam superest, ut, reflexione item instituta, inquiramus, *qualis* sit realitas illa, quam ideis universalibus tribuimus.

Breviter tamen de hac re dicturi sumus, singulas sententias paucis referendo et diiudicando [1].

---

[1] Controversiam circa universalia, qualis medio aevo viguit, historice expositam invenies apud *M. de Wulf*, Histoire de la philosophie médiévale [4] 169 sqq, ubi non sine fructu leges quae de «sententia vocum et nominalium» disserit (p. 179 sqq). Cf. etiam *Brück*,

Sententiae illae omnes ad duas revocari possunt: *nominalismum* et *realismum*. Nominalismus autem est vel nominalismus *purus* vel nominalismus *moderatior*, qui dicitur etiam conceptualismus. Realismus vero est vel *exaggeratus* vel *moderatior*. Sit ergo:

§ 1. De nominalismo.

Nominalismus est sententia eorum qui universalia *voces* esse dixerunt.

Et recentioribus quidem temporibus scimus Empiristas, Sensualistas, Positivistas (p. 175 sq) hanc sententiam propugnasse, ut cognitionem omnem intellectualem vel metaphysicam reicerent.

Medio vero aevo qui «Nominalistae» *dicti* sunt (*Roscellinus*, saeculo XI; *Occam*, † 1347), non eodem motivo ducti universalia «voces» esse dixerunt. *Hoc enim imprimis intendebant, ut realismum exaggeratum refellerent*, qui universalia, formaliter ut universalia, extra mentem exsistere docuit. Contra fautores vero huius sententiae contendebant universalia non subsistere in rerum natura. Unde adducti sunt, ut ipsa «in nudis intellectibus posita» vel «flatus vocis» esse contenderint vel saltem hoc contendisse viderentur [1].

Lehrbuch der Kirchengeschichte[7] § 139 (p. 506). Qui plura de hac re desiderat, inter alios adire potest: *Mercier*, Crit. gén.[6] 315 sqq; Pesch, Inst. log. II 1, 177 sqq; *Frick*, Logica[4] 234 sqq.

[1] «Roscelin, moine de Compiègne, qui vécut sur la fin du XI[e] siècle, nie que les genres et les espèces soient des réalités subsistantes dans la nature (subsistentia); on s'est trop hâté de lui faire dire qu'ils ne sont que des mots, *flatus vocis*. Sa doctrine est négative, elle est plutôt *antiréaliste* que *nominaliste* — quant aux prétendus nominalistes du XIV[e] et du XV[e] siècle, Occam, Grégoire de Rimini, Biel, ils accordent aux genres et aux espèces une valeur conceptuelle. Occam dit expressément que l'universel est un objet pensé affirmable de multiples sujets» (*Mercier* l. c. 316).

Sed quidquid est de modo rem explicandi, ideas universales non esse voces tantum ex dictis contra Positivistas (p. 178 sq) satis compertum habemus.

§ 2. De conceptualismo.

Conceptualistae in eo conveniunt, quod universalia non tantum voces esse dixerunt, sed etiam *conceptus,* qui tamen conceptus *nulla realitate extra mentem* fundentur.

Et *Kantium* quidem scimus (p. 145 sq) docuisse universalia non esse nisi typos quosdam vel *formas menti a priori innatas* («formalismus Kantii»).

Neque tamen haec fuit sententia moderatiorum medii aevi Nominalistarum, qui «Conceptualistae» dicti sunt *(Occam).* Hi enim non negaverunt intellectum humanum sibi efformare posse conceptus realitati obiectivae conformes. Sed hoc imprimis intendebant, ut ad quaestionem responderent tunc temporis maxime agitatam: *utrum* scilicet *gradus metaphysici, quos in una eademque re distinguimus, sint realitates necne.*

Gradus autem metaphysici vocantur attributa essentialia, quibus ens aliquod individuum et realiter unum constituitur. In Socrate e. g. eiusmodi attributa sunt: corporeum, vivens, sentiens, rationale, quo fit, ut in ipso distinguamus, quasi per gradus ascendentes ad magis universalia, hominem, animal, vivens, corpus, substantiam.

Gradus proinde vocantur illa attributa, quia per ipsa ab inferioribus idearum [1] quasi per gradus quosdam ad superiora genera ascendimus.

Metaphysici autem dicuntur, quia in ente uno, physice spectato (prout scilicet exsistit actualiter in rerum natura), ponit multiplicitatem in ordine metaphysico vel ideali (prout scilicet obicitur cognitioni intellectivae, in-

---

[1] Cf. p. 32.

dependenter ab actuali sua exsistentia, in ordine possibilium consideratum).

Quo sensu proposita quaestione, Nominalistae medii aevi responderunt: Gradus metaphysici non sunt nisi diversi *conceptus*, distincti inter se, non propter fundamentum desumptum ex rebus, quas repraesentent, sed *unice quia alii aliis sint clariores*, vel propter *diversam denominationem* («distinctio nominalis»).

Iam vero quid de formalismo Kantii sentiendum sit, supra (p. 156 sq) declaratum est; gradus autem metaphysicos distingui cum fundamento in re ostendemus, cum de realismo moderatiore sermo erit.

§ 3. De realismo exaggerato.

Realismus exaggeratus universalia docet *formaliter ut universalia* exsistere extra mentem in rerum natura. Diverso tamen modo rem explicant:

Plato[1] enim posuit «ideas seu communes rerum naturas» (essentias), essentiam hominis e. g. vel equi, propria entitate, ut res aeternas et incorruptibiles, exsistere extra mentem, extra res singulares, extra Deum[2].

Medio vero aevo qui *Realistae exaggerati* dicebantur (Guillaume de Champeaux), docuerunt essentias rerum universales *ut universales* exsistere in rerum natura, ita ut individua quoad essentiam sint *identica* neque differant inter se nisi accidentibus.

Sed haec omnia perabsurde sunt dicta.

---

[1] Cf. supra p. 19, n. 1.

[2] Hanc Platonis sententiam expositam invenies apud S. Doctorem (S. theol. 1, q. 84, a. 4). Plurimi tamen ex SS. Patribus (S. Augustinus e. g.) docent hanc esse non Platonis, sed Platonicorum sententiam, ipsum vero Platonem docuisse universalia esse ideas exemplares in mente divina.

Universalia enim illa, extra mentem et extra res singulares in se ipsis exsistentia, involvunt repugnantiam: universale enim id est, quod pluribus et singulis inest [1].

Quodsi pluribus et singulis rebus revera ut universalia inesse dicuntur, non minor recurrit absurditas. Etenim:

Vel in pluribus una et indivisa haec universalitas essentiae inesse supponitur, et tunc omnes homines e. g. non sunt nisi unus homo.

Vel in pluribus divisa reperitur, et tunc universale «unum quod pluribus inest» est divisum, i. e. simul ipsum et aliud: quod repugnat.

§ 4. De realismo moderatiore.

Aristoteles denique, Albertus Magnus, S. Bonaventura, *tota Schola, communiter* realismum moderatiorem professi sunt.

Realistae hi omnes duplex distinguunt universale: directum scilicet et reflexum [2].

Universale *directum* vel *metaphysicum* est *quidditas alicuius rei considerata quidem ut a condicionibus individuantibus abstracta, non autem* ut *pluribus rebus revera communis.*

Reflexum vero vel *logicum* est quidditas illa abstracta et pluribus rebus communis *considerata* ut vel quatenus *pluribus rebus convenit* vel convenire potest. Sic quidditas hominis, cum ab ipsa condiciones individuantes sunt abstractae, universale directum est, quoties ad notas tantum attendis, quibus eius ideae comprehensio constituitur; fit autem reflexa, ubi primum ad extensionem eius attendens vides hanc notionem multis individuis convenire posse.

---

[1] Repugnantia illa clarior apparebit ex iis, quae circa naturam Dei in Theodicea dicturi sumus. Sententia enim, quae docet universalia aeterno et incorruptibiliter exsistere *propria exsistentia,* logice inducit *pantheismum.*

[2] Cf. p. 30 sqq.

Quibus declaratis haec docent:

1. Universale *directum,* quoad naturam sive *quoad id quod concipitur,* in ipsis rebus exsistit; non autem exsistit in ipsis quoad *statum,* id est quoad modum quo concipitur, neque formaliter ut universale.

2. Universale *reflexum* ut tale, i. e. formaliter ut universale et ut reflexum, *ab intellectu constituitur, cum fundamento tamen in re,* i. e. non arbitrario vel propter rationem ab intellectu solo provenientem, sed propter rationem ex ipsis rebus desumptam.

Cuius doctrinae veritas iam elucet ex dictis circa falsitatem sententiarum oppositarum; per partes autem sic ostenditur:

1. *Universale directum* in rebus exsistit *quoad naturam.* Quotiescumque enim idea universalis in nobis efformatur, evidenter experimur repraesentationem universalis directi, *quoad naturam* spectati, fieri in nobis, non propter activitatem mentis formas ex se ipsa quasi producentis, sed per modum *impressionis forinsecus acceptae,* a rebus scilicet extra nos exsistentibus. Est proinde universale illud in rebus.

2. Neque tamen universale directum in rebus exsistit *quoad statum,* i. e. non eodem modo exsistit in rebus, quo concipitur a mente. Universale enim directum, homo e. g., concipitur a mente ut abstractum a condicionibus individuantibus et proinde ut universale: taliter enim humanitas apprehenditur, *ut possit* considerari a mente ut humanitas in genere; in rebus autem humanitas semper est cum notis individuantibus concreta, ita ut sit humanitas Petri, humanitas Pauli, haec humanitas.

3. *Universale reflexum,* ut tale, ab intellectu constituitur. Universale enim, *ut universale,* est aliquod unum pluribus communicabile, sed tale ens extra mentem in rebus singularibus exsistere non posse supra ostendimus (p. 211). Efficitur proinde ab intellectu notas individuantes abstrahente.

4. Fit tamen haec operatio *cum fundamento in re,* i. e. propter rationem ex ipsis rebus desumptam.

Non negamus quidem huius operationis rationem ullam inveniri in ipso intellectu: fundamentum enim subiectivum huiusmodi operationis est ipsa imperfectio intellectus, qui rem unam uno conceptu adaequato exprimere non valeat. Sed contra Conceptualistas, qui universalibus omnem rationem obiectivam adimunt, contendimus universalia reflexa ut talia habere fundamentum in rebus ipsis.

Quod quidem fundamentum revera invenitur in ipsa rerum creatarum *natura finita.* Res enim creatae, eo ipso quod sunt finitae, in suo esse singulae non omne esse continent, sed unam tantum vel aliam perfectionem, ita ut superiores habeant id, quod habent inferiores, et aliquid aliud superadditum. Planta e. g. habet perfectionem mineralium et insuper perfectiones vitae vegetativae; animal vero his essendi rationibus aliam perfectionem adiectam habet, perfectionem scilicet vitae sensitivae; homo denique in se continet perfectiones vitae vegetativae et sensitivae et rationalis. Ita fit, ut in ipsis rebus intellectus rationem inveniat, propter quam unam perfectionem sibi repraesentare possit sine alia, et consequenter *quidditatem* rerum, sine notis individuantibus (fundamentum obiectivum universalitatis); ita etiam fit, ut in ipsis rebus rationem detegat, propter quam de re physica una (homine) quattuor e. g. conceptus sibi efformare possit, quorum rationes obiectivae apparent ut genera, species, differentia specifica (corpus, vivens, sentiens, rationale): aliud ut perfectibile et in potentia (genus), aliud (differentia specifica) ut determinans et perficiens (fundamentum universalitatis reflexae ut talis).

Ergo universale reflexum ut tale ab intellectu constituitur cum fundamento in re [1].

---

[1] «Tria universalia distingui possunt: universale *fundamentale,* quod in naturis individuis similibus repertum est, et universale

Caput IV.

DE RATIONE.

Articulus I.

NOTIO DEDUCTIONIS ET INDUCTIONIS EVOLVITUR.

Ratio dicitur intellectus, quatenus ex notis ad ignota per *ratiocinium* discurrit.

Ratiocinium generatim esse legitimum criterium veri supra (p. 87) sub lumine principii contradictionis cognovimus. Conclusio enim syllogismi cuiuscumque recti nihil aliud est nisi *explicita* assertio eius, quod in praemissis *implicite* assertum est.

Iam vero ad *materiam* harum assertionum attendentes duos in ratiocinando progrediendi modos distinguere solent.

I. Vel enim in conclusione explicite asseritur de aliquo inferiore (parte logica), quod de ipso iam implicite dictum est in praemissis, cum de huius inferioris idea universali (toto logico) explicite dictum est, et tunc ratiocinium dicitur deductivum vel *deductio*. E. g.: «Omnis homo est rationalis. Atqui Petrus est homo. Ergo Petrus est rationalis.» In eiusmodi syllogismo medius terminus est «totum logicum».

II. Vel in conclusione explicite asseritur de idea universali (toto logico), quod de ipsa iam implicite dictum est in praemissis, cum de huius universalis inferioribus (partibus logicis) explicite dictum est, et tunc ratiocinium dicitur inductivum vel *inductio*. E. g.: «Petrus, Paulus, Ioannes, Philippus, ceteri homines singuli, sunt rationales.

---

formale, quod obiective in mente exsistit, et duplex est: universale formale *directum,* quae est ipsa natura ab individualitate praecisa; et universale formale *reflexum,* in quo ad universale directum additur cognitio reflexa universalitatis» (*Pesch,* Inst. log. II 1, 211). Ad hanc distinctionem attendentes non raro dicunt: Universale *fundamentaliter* est in rebus, *formaliter* in intellectu.

Atqui Petrus, Paulus, Ioannes, Philippus, ceteri homines, sunt omnes homines. Ergo omnes homines sunt rationales.»

In inductione proinde medius terminus sunt singula inferiora, et minor terminus est universale, cum in deductione generatim medius terminus sit universale, et minor unum vel plura ex eius inferioribus. — Sed inductio duplex distinguitur, nimirum: completa et incompleta.

Completa inductio est *argumentatio, qua concludimus summatim de toto universali id, quod de* omnibus *inferioribus eius singillatim experiendo cognovimus.* Cuiusmodi inductionis valor evidenter apparet: potius enim est illatio immediata quam proprie dictum ratiocinium. Neque vero *universale* vel totum *logicum proprie* dici potest totum illud, ad quod concludimus, *omnibus* partibus enumeratis: proprie enim est totum quoddam *physicum* [1], quod idea *collectiva* [2] ut unum quid nobis repraesentamus. Universale enim proprie dictum non solum de inferioribus actu exsistentibus vel actu cognitis, sed de omnibus etiam possibilibus praedicatur. Cum autem scientia sit de universalibus et necessariis, inductio completa in rebus *scientifice* inquirendis nullius est momenti [3].

Incompleta inductio est *argumentatio, qua concludimus de toto universali id, quod de* aliquibus *inferioribus eius affirmandum vel negandum esse cognovimus.* Qua argumentandi ratione utitur e. g. ille, qui, observatione instituta, cum expertus est hoc corpus, illud corpus, aliud corpus, omnia corpora observata, sibi ipsis derelicta, centrum terrae petiisse, concludit *omnia omnino* corpora (observata et non observata) iisdem in circumstantiis centrum terrae petere.

De hac vero incompleta inductione, cum speciales implicare possit difficultates, speciatim iam est dicendum.

---

[1] Cf. supra p. 47. [2] Cf. supra p. 29.

[3] Cf. *Mercier,* Logique [5] 292.

Articulus II.

DE VALORE INDUCTIONIS INCOMPLETAE SPECIATIM.

Inductio incompleta revera nihil aliud est nisi complexio quaedam syllogismorum, argumentationem constituens a *deductione* realiter non distinctam. Etenim, ut exemplo utamur, de quo supra iam diximus, ille qui, corporibus satis multis observatis, inducit omnia corpora esse gravia, sic revera ratiocinatur:

Quidquid, variatis utcumque adiunctis externis, rei alicui constanter convenit, id rationem sufficientem sui nullam aliam habere potest nisi ipsam *naturam huius rei* vel *inclinationem huius rei naturalem.*

Sed corpora esse gravia (petere centrum terrae) ipsis constanter . . . convenit. Ergo corpora esse gravia ad naturam corporum pertinet.

Sed quidquid ad naturam alicuius rei pertinet, id convenire debet omnibus individuis, quae hanc naturam habent. Ergo omnia corpora sunt gravia.

Quae cum ita sint, cumque ipsa syllogismi principia *generaliora* iam in tuto sint posita, neque dubitemus quin experientia criterium sit certitudinis: ad valorem inductionis incompletae perspiciendum requiritur et sufficit, ut veritas principii, quod inductionis fundamentum est speciale, menti clare innotescat. Quod quidem *principium inductionis* supra habemus declaratum: *Quidquid,* scilicet, *variatis utcumque adiunctis externis, rei alicui constanter convenit, rationem sufficientem sui nullam habere potest aliam nisi* naturalem *huius rei* inclinationem vel naturam. — Idem non raro ita enuntiatur, ut dicatur: *Natura est determinata ad unum* vel *natura uno et eodem modo operatur, nisi impediatur.* Ad hoc unum principium attendimus; aliud enim: «quidquid ad naturam alicuius rei pertinet, convenire debet omnibus individuis, quae hanc naturam habent», per se patet.

Veritas autem principii inductionis sic declaratur:

Ratio sufficiens constantiae huius eventus non invenitur in condicionibus *medii,* in quo versantur res, quibus haec conveniunt. Observatione enim rite instituta, constat, mutatis saepenumero his condicionibus vel rei adiunctis, in eadem re eandem servari constantiam eventus. Item videmus, in iisdem medii alicuius condicionibus, diversas esse diversarum rerum constantes affectiones vel actiones. Est proinde in ipsa re haec ratio quaerenda.

Ratio autem haec intrinseca non potest esse status seu condicio quaedam *accidentalis;* haec enim, utpote *variabilis, constantiam* eventus non explicat. Est proinde haec ratio vel in ipsa natura immediate quaerenda vel in *proprio,* quod rationem suam in natura ipsa habere iam scimus. — Ergo ratio sufficiens huius constantiae invenitur in ipsa natura. Neque concipi potest haec «natura» ut agglomeratio quaedam elementorum ex se indifferentium, quae *casu* quodam ad talem constantem agendi modum determinentur; casus enim nihil explicat, cum sit vox inanis, quae vel nihil exprimat vel ignorantiam causae declaret [1].

APPENDIX: DE MEMORIA.

Memoria duplex distinguitur in homine:

1. Memoria *sensitiva:* est facultas, qua sentiens in imaginibus phantasia revocatis percipit respectum *temporis* [2].

2. Memoria *intellectiva:* est ipse intellectus, quatenus cognitiones suas conservat et, per reflexionem in suum actum, ut quondam habitas recognoscit.

---

[1] Huius rei uberiorem explanationem habebimus in Cosmologia et in Anthropologia. Cf. etiam *Mercier,* Logique [5] 287 sqq; Métaphysique gén. [5] 501 sqq.

[2] De natura huius facultatis necnon de eius distinctione ab aliis sensibus ex professo sermo erit in Anthropologia.

Agitur hic praesertim de memoria intellectiva. Circa valorem huius facultatis haec sunt notanda:

1. *Memoria* **per se positive** *in errorem non inducit.* Dicitur *positive,* i. e. in iis, quae refert. Hoc sequitur ex principio supra stabilito: nullius enim facultatis cognoscitivae motus naturalis est ad falsitatem.

2. Potest tamen memoria in errorem inducere *negative,* i. e. non repraesentando rem iam cognitam ut iam cognitam. Potest enim memoria *deficere,* sicut omnis facultas finita, sicut oculi e. g. defatigati possunt non videre. Hoc sensu saepenumero dicimus: «memoria me fallit», sunt «lapsus memoriae».

3. Item potest memoria in errorem inducere *per accidens,* i. e. sub *influxu phantasiae* et propter *voluntatis temeritatem.* Hi errores proinde in praxi prudenti attentione et vigilantia praecavendi sunt.

Caput V.

DE AUCTORITATE.

Articulus I.

NOTIONES EVOLVUNTUR.

I. *Auctoritas* generatim definitur: *idoneitas alicui inhaerens ad conciliandum ipsi assensum mentis vel voluntatis obnoxietatem.* Duplex distinguitur:

1. Auctoritas *iurisdictionis* vel moralis, quae est: *idoneitas alicui inhaerens ad conciliandum ipsi voluntatis obnoxietatem.* Consistit autem haec idoneitas in iure, quod alicui competit, dirigendi voluntatem liberam in finem communem, et proinde lucidius definitur: *ius obligandi membra societatis, ut ad bonum commune suis actibus cooperentur.*

De auctoritate hoc sensu intellecta sermo erit in Ethica.

2. Auctoritas *testis* vel logica, quae est: *idoneitas alicui inhaerens ad conciliandum ipsi mentis assensum.* Quae quidem idoneitas in duobus consistit, in scientia scilicet et veracitate eius, qui cognitionem suam alteri manifestat.

II. Ille, qui propriam suam cognitionem ut veram alteri manifestat, generatim dicitur *testis*. Duplex speciatim distinguitur: oculatus et auritus.

1. Testis *oculatus* vel *immediatus* ille est, qui id, quod testatur, non ab aliis accepit, sed suis ipse sensibus vel intellectu cognovit.

2. *Auritus* vel *mediatus* est ille testis, qui id, quod testatur, non ipse cognovit, sed ab alio teste accepit.

III. *Assensus* mentis praestitus *propter auctoritatem* testantis dicitur *fides*. Rationes vero, quibus constat testem locutum esse et ipsum esse scientem et veracem (habere auctoritatem), dicuntur *motiva credibilitatis*.

Motiva credibilitatis non sunt confundenda cum *motivo fidei*. Motivum enim fidei est id, propter quod assensus mentis praestatur: est ipsa testis *auctoritas*, scientia scilicet eius et veracitas. Motivum fidei dicitur etiam *obiectum formale* fidei, ut distinguatur a fidei obiecto *materiali*, quod est *id quod* creditur.

IV. Actus denique ille, quo testis cognitionem suam alteri ut veram manifestat, dicitur *testimonium*.

1. Testimonium Dei proprie dicitur *revelatio*.

2. Testimonium hominum simpliciter dicitur *testimonium humanum*.

Quae omnia exemplo illustrantur. Sit propositio: Anima humana est immortalis.

Si intellectus veritati huic assentit propter sapientiam et veracitatem Dei rem ita esse nobis revelantis, assensus propter tale motivum praestitus dicitur *fides*. Veritas ipsa immortalitatis animae est huius fidei *obiectum materiale*. Sapientia vero et veracitas Dei dicuntur *motivum fidei*: sunt enim id, quod movet intellectum ad assentiendum. Vocantur etiam obiectum formale, quia ipsis fit, ut assensus ille sit *formaliter* fides et non scientia. Rationes vero (puta, philosophicae), quibus demonstratum habemus Deum revera esse sapientem et veracem, item rationes, quibus

compertum habemus Deum hanc veritatem manifestasse (in Christo e. g.), sunt *motiva credibilitatis*. Testimonium denique illud Dei, puta, Christi Domini dicentis: «Et ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in perpetuum vivent», proprie dicitur *revelatio*.

Non agitur hic de revelatione, sed tantum de testimonio humano, quod duplex distinguitur ex parte *obiecti*.

1. Vel enim versatur circa *dogmata*, i. e. circa veritates, sive theoreticas sive practicas, quas intellectus sive immediate (ex praevia duarum idearum comparatione) sive mediate (ratiocinando) cognoscit; et tunc testimonium dicitur *doctrinale*[1].

2. Vel circa *facta* versatur, i. e. circa eventus contingentes, qui visu vel alio sensu cognosci possunt; et tunc vocatur testimonium *historicum*.

Dogmata vero illa et facta vel immediate, i. e. sine testium successione, credenti manifestantur vel per testium seriem successivam transmittuntur. Rei autem narratio per testium seriem successivam transmissa dicitur *traditio*, quae est oralis vel scripta.

Oralis est rei narratio per testium seriem *voce* transmissa.

Scripta est rei narratio per testium seriem *scripto* transmissa.

Historia vero generatim definitur: *eventuum series scripto narrata*.

Articulus II.

AUCTORITATIS VALOR DECLARATUR.

§ 1. Valor auctoritatis generatim ostenditur.

Certitudo criterii auctoritatis tota innititur hoc principio fundamentali: *Homo naturalem habet inclinationem*

[1] Veritates theoreticas hic vocamus enuntiabilia (p. 133), quibus intellegitur, *quid sit verum*, e. g.: Deus exsistit; practicas vero, *quid sit faciendum*, e. g.: Deus colendus est.

ad veritatem cognoscendam ipsamque, prout eam noverit, aliis tradendam[1].

1. Prior huius principii pars, hominem scilicet habere inclinationem naturalem ad veritatem cognoscendam, supra (p. 198 sq) declarata est.

2. Alterius vero partis veritas *experientia omnium temporum omniumque populorum* comprobata est. Semper enim experimur homines veritatis et veracitatis esse amantes, mentiri ipsis turpe videri, ita ut numquam decipiant nisi sub influxu cupiditatis aliusve passionis, naturalem motum ad veritatem perturbantis.

Unde si, cognita testium indole rerumque adiunctis, evidenter apparere poterit occasiones *errandi* vel *decipiendi per accidens*, in casu quodam particulari, non adfuisse, mens ex auctoritate humana certitudinem circa veritatem traditam haurire poterit. Quae quidem certitudo, cum innitatur lege quadam morali, certitudo dicitur moralis[2].

Talem autem evidentiam revera haberi posse, negari nequit nisi ab eo, qui valorem experientiae aliorumque criteriorum, de quibus iam diximus, reicere velit.

Admissa enim horum criteriorum legitimitate, ex perspectis rerum adiunctis, testium praesertim indole vel numero, tam clare apparere potest impeditum non fuisse vel perturbatum naturalem mentis et voluntatis motum, *ut ne imprudens quidem dubium circa scientiam vel veracitatem testium exoriri valeat*[3]. Sic ne imprudens quidem

---

[1] «L'homme a une inclination naturelle à reconnaître et à affirmer la vérité, et il ne se laissera aller à l'erreur, et surtout à l'imposture, que lorsqu'il y sera poussé par des affections ou des intérêts assez puissants pour entraîner la volonté libre en sens contraire» (*De Smedt*, Principes de la critique historique, Leodii 1883, 61).

[2] Cf. supra p. 59.

[3] «Chaque fois donc qu'on aura sur un fait donné un ensemble de témoignages conformes tellement nombreux, et fournis par des

dubium oriri potest apud nos de exsistentia Americae, in mente hominis sani, etsi Americam numquam vidit.

Perfecta tamen haec evidentia non nisi *raro* obtinetur [1]. Ordinario enim contingit, ut mens, omnibus rite perpensis, *evidenter tantum videat dubium*, quod exoritur, *esse imprudens*. Tunc autem, reiectis illis, quae in contradictoriam partem trahunt, mens alteri parti adhaeret *firmiter*, non evidentia coacta, sed sub motione liberae voluntatis, quia videt *formidinem errandi non esse secundum rectam rationem*. «Hoc modo revelatio christiana non est quidem ipsa evidens, sed tamen evidenter credibilis atque etiam credenda. Etsi enim homines *ut plurimum* non evidenter cognoscunt *factum revelationis*, unusquisque tamen, cui motiva credibilitatis et credenditatis satis proponuntur, evidenter videt revelationi assensum praestari posse et praestandum esse, *cum praesertim in aliis rebus huius vitae, quae videantur hominibus gravissimae, minore certitudine contentus sit.*» [2]

---

hommes placés dans des circonstances si diverses qu'il est tout à fait impossible de supposer des intérêts ou des affections quelconques, qui aient égaré leur intelligence ou perverti leur volonté de manière à leur faire commettre ou à leur faire affirmer à tous la même erreur, on possédera l'évidence morale de ce fait» (*De Smedt,* Principes de la critique historique 61).

[1] «L'histoire peut-elle revendiquer au moins ce genre d'évidence? En général, non. Son domaine serait par trop restreint, s'il fallait le limiter aux faits qui se présentent avec un tel cortège de témoins. Force nous est d'avouer que l'histoire se contente *généralement* de cette évidence *morale improprement dite* (‚l'exclusion de tout fondement à un doute raisonnable par rapport à la vérité qu'elle met en lumière') . . . Inutile d'ajouter qu'elle n'y arrive pas toujours et que dans bien des cas elle doit s'arrêter provisoirement à un certain degré de probabilité qui laisse encore debout la probabilité contraire» (*De Smedt* l. c. 61 64).

[2] *Pesch,* Inst. log. I 580 sq.

Fatendum tamen est motiva credibilitatis aliquando talia esse, ut ex testimonio humano non nisi probabilitas hauriri possit; immo fieri potest, ut ex defectu debitae attentionis ad ea, quae per accidens in errorem ducunt, testimonium illud fallax sit.

Sed quidquid est de errandi possibilitate, reflexione instituta hoc ut certum compertum habemus: *auctoritas generatim criterium est certitudinis legitimum.*

Quomodo vero in diversis casibus sit procedendum, ut errandi pericula praecaveantur, quibusnam condicionibus specialia hominum testimonia ut legitima sint aestimanda, quandonam absolute sint reicienda: haec omnia iam breviter sunt declaranda.

§ 2. De diversis hominum testimoniis.

I. *De testimonio historico.* — A. Sub lumine principiorum, de quibus supra diximus, ad veram certitudinem circa facta historica comparandam haec *de auctoritate testium generatim* declarari possunt.

1. Quoad *scientiam* eorum.

Ut de scientia testium constare possit nobis, constare debet sensus eorum fuisse recte dispositos et convenienter adhibitos. Iam vero:

a) «*Sanitas et recta dispositio* sensuum est status naturalis et ordinarius; vitium vero est accidentale et facile cognoscitur; potest testis mihi positive notus esse ut sanis sensibus instructus; sunt denique facta, quae etiam sensibus vitio aliquo laborantibus recte percipi possunt; unde illud ‚notum lippis'.» [1]

In factis vero extraordinariis, puta, *apparitionibus,* diiudicandis, caute procedendum erit, nec omnium, mulierum praesertim vel parvulorum, sensibus erit fidendum:

---

[1] *Frick,* Logica[4] 285 sq.

in his enim casibus rectus usus sensuum *phantasiae influxu* de facili perturbatur. Nec magnus numerus testium tale factum referentium ex se solo semper sufficiet ad dubitationem omnem circa rectam sensuum dispositionem removendam. *Allucinationem* enim *collectivam* possibilem esse psychologia comprobatur [1].

b) Sensus fuisse attente et diligenter adhibitos constare potest:

α) ex cognito testis desiderio veritatem investigandi;

β) ex ipsius facti enarrati natura, quia scilicet fuerit publicum et illustre;

γ) ex prudentia et sollertia testis.

Ex his sequitur, ut, quotiescumque factum enarratum ex sua natura erit complexum vel non facile diiudicatu, testis vero levis parumque diligens, testimonium eius vix ullius sit momenti [2].

2. Quoad *veracitatem* eorum.

a) «*Si testis est unicus* (vel pauci tantum):

α) «potest alicuius hominis probitas et veracitas ex constanti consuetudine ita elucere, ut de eius veracitate in re seria cuiuslibet momenti dubitare evidenter appareat ut ridiculum, immo iniustum et impium;

β) «potest ex circumstantiis patere, mendacium illi nullam prorsus afferre posse utilitatem, praesertim cum

---

[1] Cf. «Revue du monde invisible» 1898/1899, 206, art. «Hallucination collective».

[2] «Pour peu que le fait soit complexe et que l'observation exacte de ses détails exige une certaine dose de sagacité, de prudence et surtout de connaissances spéciales, il est c'air qu'il ne suffit pas d'entendre le premier venu parmi ceux qui auront été à même de voir de leur propres yeux. . . . *Les notes des touristes sur le caractère et les mœurs des pays qu'ils ont rapidement parcourus,* portent souvent le caractère de légèreté ou de précipitation de jugement qui ôte à peu près toute valeur au témoignage» (*De Smedt,* Principes de la critique historique 117 119).

testatur rem etiam ab aliis facile cognoscendam, qui mendacium statim detegant. In tali casu homo sanus, probus et honestus serio non mentitur. Idem eo magis patet, quando talis testis ea narrat, quibus non modo non utilitatem, sed etiam opprobrium, contemptum, persecutionem etc. exspectare potest.

b) «*Si testes sunt multi,*

α) «impossibile est multos, praesertim si sunt diversae indolis, educationis, religionis, vitae condicionis, in unum mendacium consentire et tam *callide,* pertinaciter, sine haesitatione et mutua contradictione in mendacio sibi constare;

β) «impossibile est, tam diversis testibus omnibus mendacium afferre utilitatem; quare causa talis concordiae deest, immo magna pars motivum habebit mendacium detegendi.» [1]

Diffidentia proinde de veracitate non erit imprudens: 1° quotiescumque res erit cum teste, qui aliunde iam mendacii convictus fuerit; 2° quando inter plures testes sermo non congruet; sedulo tamen in hoc casu inquirendum erit, utrum sententiae varientur circa *substantiam* facti an circa accidentalia tantum; 3° quotiescumque testis, factum aliquod cupiditatibus favens enarrans, ipse cupiditatis expertem se non esse aperte ostendit. — In his et aliis similibus adiunctis de fide testis dubitare imprudentis non erit: utrum vero auctoritas eius omnino reicienda sit necne, ulterius erit inquirendum, omnibus scilicet rite perpensis.

B. Testimonium vero historicum *scriptum* quod attinet, auctoritas testis iisdem criteriis dignoscetur, ubi primum de libri vel scripti *authentia* constiterit.

Authenticus vero dicitur liber, *qui illius est auctoris vel aetatis, cuius esse dicitur.* Liber, qui non est illius auctoris

[1] *Frick,* Logica[4] 286.

vel aetatis, cui adscribitur, *spurius* vocatur. *Corruptus* autem dicitur liber, qui vel mutilus est vel interpolatus. Est vero *mutilus* liber, cuius pars non levis deperdita est; *interpolatus* autem is, in cuius textum inserta sunt aliena. Liber, qui non est corruptus, dicitur *integer*.

Iam vero ad authentiam vel integritatem libri dignoscendam haec breviter sunt declaranda:

1. *Authentia* libri non raro, nostris praesertim temporibus, vel experientia propria vel testimonio testium evidenti auctoritate gaudentium tam clare apparet, ut de ipsa serio dubitari non possit. Aliis vero in casibus diiudicanda erit criteriis tum internis, tum potissimum externis.

a) *Criteria interna*, quando agitur de manuscriptis, inveniuntur vel in ipsa materia libri, vel in modo litteras efformandi vel, id quod de libro omni valet, in stilo, indole libri, aliis eiusmodi [1].

---

[1] «L'âge d'un manuscrit se reconnaît à la nature de la substance qui en forme les feuillets, papyrus, parchemin, papier de coton ou de chiffe, à la rareté ou la multiplicité des abréviations, à la manière de les indiquer, au caractère de l'écriture, des ornements et autres détails qui ont varié suivant les diverses époques. La science paléographique a su établir, par la comparaison d'un grand nombre de manuscrits ayant une date certaine, des règles qui permettent à un œil exercé de préciser assez exactement le siècle ou la fraction de siècle à laquelle appartient un manuscrit donné. . . . Lorsqu'il s'agit d'actes officiels et publics, on s'assurera que non seulement les caractères paléographiques, mais aussi les formules adoptées pour le commencement et la conclusion, les titres donnés aux personnages qui y sont mentionnés, la manière de marquer les dates et autres indications de ce genre sont conformes aux usages de l'époque à laquelle le document en question est attribué. Pour peu que ces détails soient multipliés, il est bien difficile que la main d'un faussaire ne s'y trahisse pas» (*De Smedt*, Principes de la critique historique 86 90).

b) *Criteria externa* sunt testimonia aliis libris certis contenta, ut cum *testes graves* ex eo libro alii alios textus ut verba auctoris *referunt;* traditio publica et continua de libri authentia; eiusdem libri *versiones,* praesertim si complures sunt atque inter se independentes, alia eiusmodi. Tum etiam integritas et auctoritas libri iam in tuto est.

2. *Integritas* libri, i. e. eum non esse corruptum (nec mutilatum nec interpolatum), sed talem, qualem scripsit auctor, cognosci potest iisdem rationibus. Praeterea librum, qui vivo auctore multum spargitur, in re cuiusquam momenti corrumpi posse, quin id detegatur, impossibile est [1].

C. *Traditionem* denique quod attinet sive oralem sive scriptam, haec sunt notanda:

1. De auctoritate singulorum testium seriem constituentium id monendum est, quod de auctoritate testis generatim et de testimonio scripto speciatim iam memoratum est.

2. Cavendum est ab errore eorum, qui putant testimonium traditione allatum eo esse infirmius, quo maior est series testium, per quos transmissum est. Magna enim testium series augere quidem potest *laborem* et animi contentionem ex eo, quod circa maiorem testium numerum tunc instituenda est inquisitio; sed non eo ipso *obscuriorem* reddit investigationem. Clara enim etiam de remotis testibus adesse possunt auctoritatis testimonia, de quibus supra diximus.

3. Cavendum item est ab errore eorum, qui necessitatem testimonii humani ad facta comprobanda exaggerant.

Sunt enim qui, *argumentum negativum* quod vocant vehementius amplexi, prudentis esse autument illa sola facta ut realia admittere, de quibus exstat legitimum testi-

---

[1] Cf. *Frick,* Logica [4] 288 et 289.

monium historicum. Quaecumque vero hac ratione non innituntur, reicienda vel saltem non affirmanda esse docent, iuxta principium: *Non sunt multiplicanda entia sine ratione sufficienti.* Sic factum omne, quavis recentiore traditione vel quantocumque recentiore testimonio scripto firmatum, ut falsum vel gratuito suppositum illi absolute reiciunt, si de ipso silent qui eo tempore scripserunt, quo factum illud contigisse dicitur [1].

Sed haec legitime fierent, *si ratio sufficiens de exsistentia facti alicuius quicquam affirmandi* **solum esset testimonium.** Revera autem haec ratio sufficiens ex multis aliis criteriis sumi potest, ut cotidiana experientia docet. Sic, ut exemplo utamur percelebri, *supponamus* nulla exstare ex tribus primis post Christum natum saeculis testimonia historica de confessione auriculari, ita ut confessionem auricularem *realiter peractam esse* non nisi a quarto saeculo *historice* probatum sit. Ratio sufficiens hoc factum pro saeculo tertio vel secundo affirmandi tunc certo non erit in testimonio historico quaerenda, cum ex hypothesi huiusmodi testimonium nullum pro tali saeculo exsistat. Invenitur tamen, iuxta multos, haec ratio plane sufficiens in ipsa natura huius facti realiter exsistentis saeculo quarto. Mens enim clare videre potest factum illud, *quale* exsistit hoc quarto saeculo, aliter explicari non posse, nisi admittatur ipsum iam contigisse tertio saeculo vel secundo, immo primo.

Argumentum tamen ex silentio auctoris cuiusdam desumptum («argumentum negativum») validum omnino erit, ubi haec duo certo comperta fuerint: 1° scriptorem, cuius silentio argumentum innititur, factum, si contigisset, non

---

[1] Sic ipse Baronius: «Quod enim a recentiore auctore de rebus adeo antiquis sine alicuius vetustioris auctoritate profertur, contemnitur» (Annal. ad annum 1, n. 12). — Cf. *De Smedt,* Principes de la critique historique 213 sq.

potuisse ignorare, et 2° factum illud cognitum ab eo non potuisse non referri in libro aliunde integro, quem de ipso habemus[1].

II. *De testimonio doctrinali.* — A. Circa testimonium doctrinale *sapientium* haec sunt notanda:

1. Auctoritas sapientium iisdem criteriis dignoscitur, quibus testem generatim scientem et veracem esse comprobatur.

2. «Sententiae alicuius probabilitas crescit pro auctorum, qui eam tradant, numero, doctrina, independentia mutua. Ceterum recte praeceptum legimus: *Auctores non numerandos, sed ponderandos esse.* Pauci vel paucissimi doctores omni exceptione maiores maiorem habent auctoritatem et firmiora fidei rationabili praebent fundamenta quam totus grex ingeniorum minorum.»[2]

3. Qui dogma aliquod fide, non scientia, vult complecti, illi de *motivis tantum credibilitatis* erit inquirendum; ubi primum vero his rite perpensis certitudinem *moralem* de auctoritate sapientis obtinuerit, fides erit praestanda iuxta principium: *Peritis in arte credendum.*

---

[1] «Consultons à cet effet la pratique des grands maîtres dans les occasions où ils se sont servis victorieusement de l'argument négatif pour détruire une erreur historique longtemps accréditée. Toujours nous observerons qu'ils se sont attachés à mettre en lumière ces deux points. D'abord, que l'auteur dont le silence est invoqué par eux comme une preuve de la fausseté du fait en question, n'aurait pu ignorer ce fait, s'il s'était réellement passé comme on le raconte. En second lieu, que s'il ne l'avait pas ignoré, il n'aurait pas manqué de le citer dans tel ouvrage que nous possédons de lui. Plus ces deux points semblent certains, plus l'argument négatif a de force. S'il ne peut y avoir aucun doute à leur égard, on se juge pleinement en droit d'attribuer au silence d'un écrivain la même valeur qu'aurait un témoignage formel émané de lui et niant la vérité du fait» (*De Smedt* l. c. 226 227).

[2] *Pesch,* Inst. log. II 1, 267.

4. Quodsi doctrina sapientium quis uti voluerit, non ut fidem, sed ut *scientiam* habeat de dogmate quodam, tunc tenendum est principium: *Tantum valet auctoritas, quantum valent rationes.*

B. Est autem aliud quoque testimonium doctrinale, quod vocatur *consensus generis humani.* Sunt enim veritates speculativae vel practicae, circa quas homines *moraliter omnes,* i. e. genus humanum qua tale, consentiunt. De hoc speciali testimonio hoc breviter:

Consensus populorum, qui etiam vocatur *sensus communis,* nihil aliud est nisi rationum individualium in unum quid admittendum conspiratio. Qua talis proinde non est criterium ab aliis, ab experientia scilicet externa, vel ab intellegentia, vel a ratione, vel a conscientia distinctum.

Proinde quemadmodum singula individua, his criteriis non recte utendo, in errorem induci possunt per accidens, ita etiam fieri potest, ut totum genus humanum eadem de ratione errore implicetur [1].

Sunt autem iudicia nonnulla, in quae proferenda homines ita conspirant, ut consensus eorum non possit aliter explicari nisi admittendo *hominem naturali motu rationis ad sic iudicandum inclinari.* Eiusmodi iudicia sunt inter alia: *Homo in multis actionibus libertate fruitur; Anima humana post mortem corpori est superstes; Exsistit Deus supremus legislator; Bonum faciendum, malum vitandum; Mentiri turpe est; Deus est colendus; Parentes honorandi et amandi,* etc.

Sed in iis, quae ratio naturali motu ut verum admittit, non potest esse error.

1. Universali enim inductione constat in genere *nullum motum naturae esse inanem.* Sic e. g. animalia bruta in-

---

[1] Cf. supra p. 198 sq et 201 sq.

stinctum et inclinationem naturalem sequentia non decipiuntur. Sed valde absonum esset, si natura animalia vilia recta doceret, hominem vero, huius mundi principem, falleret et vana spe pasceret.

2. Praeterea tam evidens est motus naturales rationis non esse inanes, ut ne possit quidem quisquam de hac re serio dubitare [1].

Ergo quotiescumque constiterit de consensu generis humani in iudicio quodam proferendo, simulque innotuerit consensum illum oriri ex motu naturali rationis, aliis verbis, esse *vocem naturae,* hic consensus erit criterium veri.

Consensum vero illum esse vocem naturae ostendi potest demonstrando ipsum oriri non posse *ex accidentalibus,* qualia essent cupiditates, educatio, generatim influxus alieni.

Ex dictis sequitur, ut «sensus communis» nihil aliud sit nisi inclinatio naturae rationalis, qua omnes, qui usum habent rationis, ad iudicia formanda impelluntur, quae ad fundamenta vitae humanae, ordinis religiosi, moralis, socialis spectant. «Sicut igitur vitae sensitivae per instinctum proprie dictum provisum est, ita vitae rationali impulsu quodam, qui animali instinctui analogus est, quantum est satis, providetur.» [2]

---

[1] Cf. supra p. 193 195 et 197.

[2] *Pesch,* Inst. log. II 1, 252.

LIBER III.

DOCTRINA CIRCA VERITATEM, CERTITUDINEM, SCIENTIAM UBERIUS EXPONITUR.

CAPUT I.

DE VERITATE.

Non agitur hic nisi de *veritate logica,* cum de veritate ontologica ex professo sermo fiat in Ontologia: In Critica vero disputatio fit de sola veritate *cognitionis* sive logica. Quae veritas habere potest oppositum, quod est falsitas logica vel error. Dicemus proinde 1° De veritate logica *in se ipsa* considerata et 2° de veritatis logicae opposito sive de *errore.*

ARTICULUS I.

DE VERITATE LOGICA IN SE IPSA CONSIDERATA.

§ 1. Notio veritatis logicae uberius explanatur.

Veritas logica generatim definitur: *conformitas vel adaequatio* intellectus *ad rem.*

Veritas logica, *quatenus logica* est, i. e. cognitionis, *proprie* non invenitur nisi in actu *cognitionis.* Iam vero, *quae est natura mentis humanae,* res, etiam simplices, non cognoscimus simplici repraesentatione, sed diversis unius et eiusdem rei conceptibus, componendo vel dividendo. Unde vera dicitur nostra cognitio, quoties haec pronuntiatio mentalis conformis est cum rebus, i. e. cum eo quod est, falsa vero, si est difformis. Ad rem S. Doctor: «Ideo intellectus», inquit, «non cognoscit veritatem nisi *componendo* vel *dividendo* per suum *iudicium.* Quod quidem iudicium, si consonet rebus, erit verum: puta, cum intel-

lectus iudicat esse quod est, vel non esse quod non est. Falsum autem, quando dissonat a re: puta, cum iudicat non esse quod est, vel esse quod non est.» [1]

Neque vero in idea vel simplici repraesentatione veritas *logica* proprie inesse dici potest, cum intellectus *humanus* sola idea veritatem non cognoscat. Profecto idea omnis cum re *est* conformis. Omnis enim idea aut non est huius vel illius rei idea, aut, si est, idea vera est. Quatenus vero idea est vel «*mera* alicuius rei repraesentatio», nulla in ipsa invenitur «rei» vel *veritatis* obiectivae *cognitio,* cum haec «res» non sit haec vel illa ratio *absolute* considerata, sed plures alicuius rei rationes obiectivae, quae ita ad invicem *sunt relatae,* ut de ipsis intellectus *enuntiare* possit nexum quendam logicum [2]. Quae enuntiatio fit *iudicio,* quod *verum* est, si enuntiatio est conformis cum «re», i. e. cum relatione quae *est* in re inter rationes illas obiectivas; *falsum,* si enuntiatio illa non est conformis. Sic quando iudicas Petrum esse philosophum *vera* est *cognitio* tua de Petro, si id quod iudicas de Petro revera *est,* i. e. si ratio philosophi revera ad Petrum pertinet, ita ut sit unus ex iis qui sunt philosophi; falsa cognitio est, si iudicium illud non est conforme. Proinde quando de *ideis* sermo est, de veritate logica stricte loqui non possumus, quia non fit enuntiatio [3].

---

[1] Periherm. I 3. [2] Cf. supra p. 133.

[3] «Par lui-même, le concept humain est l'image d'une quiddité. Or, comme «idem non adaequatur sibi ipsi», il en résulte que «quamvis formatio quidditatis sit prima operatio intellectus, tamen per eam non habet intellectus aliquid aliud proprium quod possit rei adaequari, et ideo non est ibi proprie veritas» (*S. Thom.,* De veritate 1, 3 ad 1). Aussi la vérité se trouve-t-elle dans le concept humain «ut in quadam re vera» (*S. Thom.,* S. theol. 1, q. 16, a. 2), mais non de la façon propre que comporte le mot vérité logique» (*C. Sentroul* in libello periodico «Revue néo-scolastique» 1911, 228).

Quibus omnibus rite intellectis apparet etiam, cur S. Doctor veritatis notionem declaret ut sit: «aequalitas *quaedam* intellectus et rei.» [1] Adaequatio enim illa inter intellectum et rem non est necessario talis, ut cognitio, quae fit iudicio, rem circa quam versatur *totam* adaequet materialiter sumptam, sed tantum *formaliter* consideratam, i. e. quatenus considerantur in re rationes illae obiectivae circa quas fit pronuntiatio; rationes enim illae obiectivae, prout referuntur in re ad invicem, sunt «*res*» illa. Neque enim adaequatio qua constituitur veritas est conformitas cognitionis qualiscumque cum re quacumque, sed conformitas iudicii cum obiecto suo proprio [2]. Sic, ut exemplo, quo supra, utamur, quando iudicas Petrum esse philosophum, ut adaequatio illa adsit, qua veritas huius iudicii constituitur, non requiritur, ut iudicio illo tota Petri cognoscibilitas exhauriatur, neque necesse est, ut cognoscas e. g. illum esse christianum vel scholasticum, cum revera sit philosophus christianus vel scholasticus, sed requiritur et sufficit, ut iudicium illud sit conforme cum relatione illa obiectiva qua ratio *philosophi* inest Petro.

§ 2. Qualis sit veritatis logicae admittendus progressus qualesque gradus, ostenditur.

I. **Veritatis logicae progressus.** Quae est natura intellectus nostri humani, quippe qui de potentia exeat ad actum, *neque statim perfectionem suam habeat*, sed successive eam acquirat, non nisi diversis iudiciis veris, componendo et dividendo, ad perfectam rerum veritatis cognitionem devenimus [3]. Quo fit ut ipsa illa adae-

---

[1] S. theol. 1, q. 85, a. 7 in obi. 2.

[2] «L'*adaequatio* qui fait la vérité n'est pas celle qui fait adéquate une connaissance, mais celle qui existe entre un jugement et son objet propre» (*C. Sentroule,* Revue néo-scolastique 1911, 227).

[3] Ad rem S. Doctor: «Intellectus humanus necesse habet intellegere componendo et dividendo. Cum enim intellectus humanus

quatio, qua constituitur veritas, progressum quendam admittat [1].

Veritas enim logica dupliciter considerari potest: 1° *obiective*, i. e. ratione rei cui conforme est iudicium idque a) *formaliter*, si in re considerantur rationes speciales, quibus intellectus sese conformet, b) *materialiter*, si consideratur totalitas rationum, quibus res constituitur; — 2° *subiective*, i. e. ratione ipsius actus intellectus vel iudicii, quod fit conforme. Quibus declaratis, facile intelleges, qua ratione veritas logica progressum quendam admittat. Obiective enim et materialiter si consideratur, *extensive*, item subiective si consideratur, *intensive* augeri potest, ut ex iis apparet, quae de gradibus veritatis iam declaranda sunt.

II. **Veritatis logicae gradus.** Neque omni ratione hi gradus admittuntur.

1. *Obiective* enim et *formaliter* considerata veritas *gradus non admittit*. Adaequatio enim iudicii et obiecti proprii vel rei intellectae, quatenus est intellecta, sistit in

---

exeat de potentia in actum, similitudinem quandam habet cum rebus generalibus, quae non statim perfectionem suam habent, sed eam successive acquirunt. Et similiter intellectus humanus non statim in prima apprehensione capit perfectam rei cognitionem, sed primo apprehendit aliquid de ipsa, puta quidditatem ipsius rei, quae est primum et proprium obiectum intellectus, et deinde intellegit proprietates et accidentia et habitudines circumstantes rei essentiam. Et secundum hoc necesse habet unum apprehensum alii componere et dividere et ex una compositione et divisione ad aliam procedere; quod est ratiocinari» (S. theol. 1, q. 85, a. 5 in c).

[1] «Et cette *adaequatio* est très progressive, car l'est essentiellement le jugement lui-même: c'est précisément parce que l'intelligence doit parcourir par étapes le chemin du savoir, qu'elle doit procéder par jugements. Aussi trouve-t-elle à tous les relais de sa marche une vérité toujours également vraie, mais aussi toujours plus *compréhensive*» (*C. Sentroule* l. c.).

indivisibili. Nam ideo verum dicitur iudicium, quia id affirmat *quod est,* vel id negat *quod non est.* Iam vero termini «esse» et «non esse» cum sint contradictorie oppositi, non suscipiunt magis et minus, sed sistunt in indivisibili. Ergo adaequatio iudicii non potest esse maior vel minor: est aut non est.

2. *Obiective* vero et *materialiter* veritas gradus admittit idque *extensive.* Etenim «fieri potest, ut cognitione una plures de obiecto materiali notae exhibeantur quam alia. Ita cognitione una *aqua* exhiberi potest ut *corpus,* alia ut corpus *ex hydrogenio et oxygenio* compositum. Potest igitur una cognitio obiecto materiali magis adaequari quam alia. Et haec cognitio est obiecto secundum extensionem conformior quam alia. Veritas igitur quoad conformitatem ad obiectum materiale gradus admittit» [1].

3. *Subiective* denique veritas gradus admittit *intensive* propter clariorem et firmiorem rei cognitionem. Quo enim clarius et firmius res cognoscitur, eo maior fit cognitionis cum re conformitas [2].

Neque tamen gradus illi argumentum transformismi vel progressismi afferunt. Intellectus enim per gradus illos perfectionem suam acquirit, non ex eo quod veritas

---

[1] *Pesch,* Inst. log. II 327.

[2] Ad rem S. Doctor: «Aliquem intellegere unam et eandem rem ly *magis* quam alium, potest intellegi dupliciter: uno modo sic quod magis determinet actum intellegendi ex parte rei intellectae, et sic non potest unus eandem rem magis intellegere quam alius; quia si intellegeret eam aliter quam sit, vel melius vel peius, falleretur et non intellegeret.... Alio modo potest intellegi, ut determinet actum intellegendi ex parte intellegentis; et sic unus alio potest eandem rem melius intellegere, quia est melioris virtutis in intellegendo; sicut melius videt visione corporali rem aliquam qui est perfectioris virtutis, et in quo virtus visiva est perfectior» (S. theol. 1, q. 85, a. 7 in c).

obiectiva *immutatur* vel eo quod facultas intellegendi *transformatur,* sed ex eo quod lumen intellectuale fit *intensius* atque *latius* in obiectum idem permanens sese extendat.

Veritati logicae opponitur falsitas logica vel *error.* Intellectus enim, quatenus intellegitur iudicium, potest esse vel conformis vel non conformis cum re.

Articulus II.

DE VERITATIS LOGICAE OPPOSITO SIVE DE ERRORE.

§ 1. Notio et species.

Error vel falsitas logica est: *inadaequatio vel non-conformitas intellectus cum re.* Cum autem ex dictis vox illa intellectus intellegenda sit de iudicio, error etiam definiri potest: *iudicium difforme a re.* Differt ab *ignorantia,* quae non ad iudicia tantum, sed ad ideas etiam pertinet, et est cognitionis carentia de aliqua re.

Plures distinguunt erroris species, quarum praecipuae sunt, ut distinguatur error *vincibilis* et error *invincibilis.*

1. Error *vincibilis* ille est, qui, adhibita diligentia congruente et debita, deponi potest.

2. Error *invincibilis* ille est, qui, adhibita illa diligentia, vitari non potest.

§ 2. Erroris causae.

Erroris causam scimus non esse ipsam naturam: «non datur inclinatio naturalis ad errorem»; «nulla facultas per se inducit in errorem»; multoties hoc tractatu contendimus.

Sunt proinde *causae erroris per accidens,* quarum

1. aliae sunt *obiectivae,* i. e. ex ipso obiecto cognoscendo desumptae, quatenus scilicet pro viribus intellectus est complexius;

2. aliae vero *subiectivae,* et illae quidem:

a) vel in ipsa potentia cognoscitiva inveniuntur accidentaliter: ut est mentis *praecipitatio;*

b) vel inveniuntur in voluntate *passionibus* non satis moderata iuxta praeclarum illud dictum: «Prout unusquisque affectus est, ita iudicat.» Prae ceteris vero passionibus omnibus *nimius amor sui* vel animi obstinatio errandi occasionem praebet [1].

Remedium proinde erroris in *reflexione* praecipue et *puro veritatis amore* erit inveniendum.

Quibus omnibus perspectis facile vides falsitatem logicam vel errorem sive formaliter sive materialiter sive subiective spectatum admittere gradus.

Caput II.

DE CERTITUDINE.

Articulus I.

NOTIO CERTITUDINIS.

Certitudo definitur: *firma mentis adhaesio ad veritatem cognitam.* Dicitur:

Mentis *adhaesio ad veritatem* cognitam, quibus verbis indicatur genus proximum, id scilicet, quo certitudo convenit cum opinione et differt ab errore et a dubio.

---

[1] «La passion qu'il faut dénoncer par-dessus tout, c'est *l'amour-propre,* c.-à-d. l'amour désordonné de soi-même sous toutes ses formes, avec ses exigences, ses industries, sa tyrannie. On pourrait ramener à l'amour-propre toutes les causes de l'illusion. C'est lui qui le plus souvent donne pour nous la couleur aux choses, la proportion aux événements, les qualités et les défauts aux personnes. Nous trompant sous son influence, nous nous trompons à son profit; il se nourrit des illusions que lui-même nous inspire» (*Gay,* Instructions en forme de retraite, IV. Instr.: Des Illusions. Cf. *Mercier,* Logique [5] 354 sq).

Firma adhaesio, i. e. adhaesio sine errandi formidine: differentia specifica, elementum scilicet, quo differt certitudo ab opinione.

Duo proinde elementa in certitudinis notione considerari possunt:

1. *ipsa rei veritas* eo modo manifestata, ut postulet firmum assensum: *elementum obiectivum;*

2. *ipsa firmitas,* qua mens absque ulla errandi formidine alicui parti contradictionis adhaeret: *elementum subiectivum* [1].

Ex his duobus elementis oritur certitudo *formalis,* quae, cum sit status quidam mentis, dicitur simpliciter certitudo subiectiva vel certitudo in sensu subiectivo accepta. A perfecta autem illa certitudine subiectiva distinguitur certitudo obiectiva vel certitudo in sensu obiectivo accepta, quae est: *aptitudo alicuius veritatis obiectivae ad rapiendum assensum mentis sine errandi formidine.*

Quando dicis e. g.: «Certitudinem habeo de exsistentia Dei», vox certitudinis sumitur in sensu subiectivo: in propositione autem: «Exsistentia Dei certa est», agitur de certitudine obiectiva.

ARTICULUS II.

DE PRINCIPIO CERTITUDINIS SIVE DE EVIDENTIA.

Principium in genere est *id, a quo aliquid procedit quocumque modo.* Principium certitudinis proinde est id, a quo certitudo procedit.

Iam vero omnia criteria principia certitudinis dici possunt: ab ipsis enim certitudo nostra producitur. Sed agitur hic non de specialibus illis certitudinis criteriis, sed de *principio quodam uno, a quo universaliter, infallibiliter,*

---

[1] Elementum illud subiectivum a nonnullis dicitur *certitudo pure subiectiva.*

ultimatim omnis certitudo nostra proveniat: quod proinde inveniatur in omnibus et singulis criteriis ut principium, quo cognoscamus cum certitudine ipsorum criteriorum veracitatem.

Hoc autem principium supra (p. 197) probavimus esse *evidentiam obiectivam menti sese manifestantem.*

Ex evidentia vero obiectiva menti sese manifestante oritur in ipsa mente evidentia subiectiva, quam supra (p. 195) definivimus ut sit: *ipsa evidentiae obiectivae clara perceptio.*

Vox evidentiae sine addito in duplici hoc sensu sumitur. In propositione e. g.: «Exsistentia Dei est evidens», agitur de evidentia obiectiva; quando dicitur vero: «Evidentiam habemus de exsistentia Dei», vox evidentiae sumitur in sensu subiectivo.

Distinguitur autem evidentia a certitudine ut causa ab effectu. Unde fit ut, cum ordinario certitudo sumatur in sensu subiectivo, evidentia generatim intellegatur in sensu obiectivo.

Evidentia obiectiva, *si consideratur modus, quo sese manifestat,* multipliciter dividi potest. Distinguitur enim:

1. Evidentia *interna:* illa clara veritatis alicuius obiectivae visibilitas, qua fit, ut *ipsa per se* menti sese manifestet. Talis est e. g. evidentia, quam pro nobis habet praesentia solis, quando lucet, vel evidentia principii contradictionis. — Evidentia interna est:

vel *immediata:* illa, quae per simplicem intuitum intellectus (intuitive) vel per experientiam sensuum nobis apparet; e. g. evidentia principii contradictionis;

vel *mediata:* illa, quae per ratiocinium (discursive) apparet; e. g. evidentia exsistentiae Dei.

2. Evidentia *externa:* est clara visibilitas non ipsius veritatis obiectivae in se, sed *rationum externarum,* quibus mens movetur ad assensum tali veritati praestandum sine errandi formidine. — Haec est:

vel evidentia *testimonii:* clara visibilitas *motivorum credibilitatis* alicuius veritatis, i. e. rationum, quibus clare apparet testem locutum esse, et ipsum esse scientem et veracem; sic e. g. evidens est Caesarem exstitisse;

vel evidentia de *imprudentia dubii:* clara visibilitas imprudentiae dubii circa veritatem, quae neque interne neque externe per testimonium nobis sufficienter apparet. Clara autem illa imprudentiae visibilitas oritur ex eo, quod obscuritatem illam non ex rei incertitudine, sed ex limitatione intellectus nostri provenire videmus [1]. Haec proinde evidentia de imprudentia dubii vim motivorum, quae sive *interne* sive *externe* primo intuitu insufficienter apparent, ad instar complementi cuiusdam quasi perficit. Clariorem enim efficit *visibilitatem valoris* eorum, cum nobis manifestet motiva illa, licet insufficientia sint ad assensum mentis *rapiendum,* revera tamen esse talia, ut prudenter agat qui sub eorum influxu veritati *firmiter* adhaeret. Iudicium proinde, quod ex hac evidentia oritur, est iudicium *a libera voluntate imperatum.* Quo fit, ut evidentiam de imprudentia dubii recte dicamus principium esse certitudinis liberae. Speciatim vero maximi momenti est in acquirenda fidei certitudine, cuius principium est evidentia testimonii. Ex iis enim, quae supra (p. 222 sq) diximus, apprime scimus hanc testimonii evidentiam non nisi raro esse *perfectam.*

Quando de evidentia simpliciter et sine addito sermo est, non raro intellegitur evidentia interna et illa quidem immediata.

Ex iis autem, quae capitulis antecedentibus declaravimus, constat multas esse veritates, quarum evidentia sive interna sive externa satis nobis apparet, ut de ipsis certitudinem habere possimus.

---

[1] Cf. supra p. 222.

ARTICULUS III.

DE CERTITUDINIS SPECIEBUS.

Certitudo dividitur:

1. *Ex parte principii,* ex quo oriuntur vires ipsae, per quas obtinetur: in certitudinem supernaturalem et certitudinem naturalem.

Certitudo *supernaturalis* ea est, quae obtinetur viribus, praeter exigentias naturae, homini a Deo collatis (sub influxu luminis fidei et divinae motionis). De hac certitudine praesertim agitur in theologia sacra.

Certitudo *naturalis* ea est, quae obtinetur per nativas vires humanae rationis de obiectis eidem rationi perviis. De certitudine naturali sermo est in philosophia, et ad ipsam referuntur omnes quae sequuntur certitudinis divisiones.

2. *Ex parte fundamenti,* quo innititur eius motivum: in metaphysicam, physicam, moralem.

Certitudo *metaphysica* ea est, cuius motivum innititur *lege metaphysica,* i. e. modo constanti et necessario, secundum quem res constituuntur in sua essentia. Tali certitudine assentimus his et similibus veritatibus: Totum est maius sua parte; Summa angulorum in triangulo duobus rectis aequiperatur; Omnis homo est rationalis, etc. In certitudine metaphysica motiva ostendunt oppositum esse affirmationem et simul negationem rei eiusdem sub eodem respectu, et proinde ita esse impossibile, ut ne miraculo quidem fieri possit [1].

Certitudo *physica* ea est, cuius motivum innititur *lege physica,* i. e. modo constanti et uniformi, secundum quem res physicae (libertate destitutae) agunt. Physice certum est e. g. corpora sibi ipsis relicta petere centrum terrae, ignem actu comburere ea, quae ipsi admoventur, alia

[1] Cf. cum iis, quae supra (p. 59) de diversis universalitatis speciebus diximus.

eiusmodi. In certitudine physica motiva ostendunt oppositum fieri non posse nisi per derogationem ad leges naturae, i. e. miraculo.

Certitudo *moralis* ea est, cuius motivum innititur *lege morali,* i. e. modo constanti et uniformi, secundum quem entia libera, qua talia, homines proinde, agere solent in certa rerum circumstantia. Ita moraliter certum est homines plurimos, ingenio et voluntate inter se discrepantes, in re aliqua non dicturos mendacium sibi inutile. In certitudine morali motiva ostendunt oppositum esse contra illam moris humani constantiam, quae in hominum natura firmata sit, cui tamen ab ipsa voluntate libera derogari possit, ita ut oppositum illud etiam sine miraculo possibile sit.

Et illa quidem est certitudo moralis in sensu stricto accepta; latius vero certitudo moralis ea dicitur, quae oritur ex evidentia imprudentiae dubii [1].

Quam certitudinem sic explicant: «Certitudo moralis est mentis assensus ob auctoritatem rationesve graves, ita ut non subsit ratio fundata dubitandi de veritate obiecti. Talis certitudo exsurgit v. g. ex duorum qui fide digni sunt virorum testimonio. Non tollit quidem dubitandi possibilitatem, sed actu excludit *prudentem* erroris formidinem.

«Pro maiore minoreve, quibus nititur, rationum pondere certitudo moralis admittit varios gradus; sed hi gradus possunt ad duos reduci:

a) «Certitudo moralis stricta seu summa est illa, contra quam sola erroris possibilitas, nulla vero probabilitas militat. Haec habetur, si v. g. in aliqua re omnium peritorum sententiae concordant.

b) «Certitudo moralis lata vel ordinaria est illa, quae *nititur gravi motivo,* quod virum prudentem ad irrepre-

[1] Cf. supra p. 222 et 241.

hensibilem assensum movere potest, sed contra quam, praeter erroris possibilitatem, nonnullae leviores rationes militant, rationes scilicet, quae in mentem aliquid quidem haesitationis, non tamen veram ac seriam dubitationem inducere valent. Sic e. g. si unus alterve mediocris auctor in aliqua re scientifica a communi peritorum sententia discederet, posset utique levem haesitationem inicere, sed non veram dubitationem, qua lata illa moralis certitudo labefactaretur.» [1]

3. *Ex parte perfectionis cognitionis motivorum* certitudo dividitur in *naturalem* et *philosophicam* (scientificam), sicut rem supra (p. 135) definivimus.

4. *Ex parte influxus voluntatis:* in liberam et necessariam.

Necessaria est certitudo de veritatibus, in quibus assensus est evidenter coactus, ita ut voluntas possit ipsum sequendo approbare quidem, nullo modo autem serio, manente evidentia, retinere vel revocare. Talis est e. g. certitudo, quam habemus circa veritates omnes primarias, quae evidentia immediata menti affulgent, et in specie certitudo de veritatibus, quas dicunt primitivas (principium contradictionis e. g., p. 193). Haec certitudo omnem, etiam imprudentem, dubitationem excludit.

Libera est certitudo de veritatibus, in quibus assensus non est evidenter coactus, sed rationabiliter tantum necessarius, ne imprudenter agatur, ita ut voluntas possit ob rationem sibi propriam intellectui imperare eumque determinare, ut contra suam inclinationem assensum prudentem non praestet, et possit etiam assensum prudentem admittere, immo suadere et imperare. Talis est certitudo, quam habemus de veritatibus, quas propter evidentiam de imprudentia dubii admittimus. Hoc autem ordinario in veritatibus ipsius fidei naturalis locum habere iam

[1] *Marc,* Institutiones morales n. 31.

supra (p. 222) ostendimus. Quanti vero momenti sit haec de libera certitudine doctrina in actu fidei supernaturalis explicando, institutionibus dogmaticis apparebit [1].

Articulus IV.

De certitudinis oppositis sive de dubio et opinione.

§ 1. De dubio.

I. **Notio et species.** *Dubium* generatim definitur: *suspensio iudicii inter utramque partem contradictionis.* Est vel methodicum vel reale.

1. *Methodicum* est *ficta* quaedam suspensio mentis vel iudicii, quae habetur, cum quis revera de aliqua re certitudinem possidet, sed ab ipsa abstrahit, ut rei veritatem scientifice inquirat.

2. *Reale* est *vera* suspensio iudicii orta ex defectu motivi sufficientis pro una contradictionis parte. De hoc dubio in Criteriologia agitur necnon in disciplinis moralibus.

Multiplici tamen modo distinguitur. Praecipuae vero divisiones hae sunt:

a) *Ratione motivi,* quo nititur, dividitur in negativum et positivum.

Negativum illud est, in quo ex utraque parte rationes ad iudicandum vel *nullae* vel *levissimae* adsunt. Quando nullae omnino adsunt rationes, dubium dicitur mere negativum vel inane et incidit in *ignorantiam.*

Positivum est illud, in quo ex utraque parte rationes ad iudicandum graviores adsunt.

Sunt qui tertium distinguant dubium, quod positivo-negativum vocant et definiunt: illud, in quo ex una tantum parte rationes ad iudicandum aliquae adsunt.

---

[1] Cf. *S. Thom.,* Quaest. disp, q. 14, de verit., a. 1; *Pesch,* Inst. log. I 578; *Braig,* Vom Erkennen 227.

b) *Ratione rectitudinis* eius est vel prudens vel imprudens.

Prudens est, quando assensus cohibetur propter errandi formidinem, quae recta ratione probari potest.

Imprudens vero est, cum iudicium suspenditur propter errandi formidinem recta ratione non probandam.

II. De dubitatione recte instituenda.

Cartesius (Descartes)[1] et qui cum ipso sentiebant, *Cartesiani,* veritates omnes probandas in dubium, saltem *methodicum,* prius revocandas esse docuerunt. Et Cartesius quidem, ut firma certitudinis fundamenta reflexione revelentur, omnia in dubium revocanda esse docuit, praeter cognitionem cogitationis propriae, in qua deinde propriam exsistentiam et alias nonnullas veritates, ut ideam exsistentiae Dei, detexit[2].

Alios autem, ex iis quae supra diximus, scimus dubitationem realem circa plura perperam instituisse.

Quae cum ita sint, de dubitatione, *scholasticorum* more recte instituenda, pauca hic referemus, breviter colligendo ea, quae de hac re supra iam declarata sunt.

---

[1] Cartesius (1596—1650) de methodo multa agitavit. Praecipua eius scripta sunt: Discours de la méthode (latine: De methodo); Meditationes de prima philosophia; Principia philosophiae, etc.

[2] «Je me résolus de feindre que toutes les choses, qui m'étaient jamais entrées dans l'esprit, n'étaient non plus vraies que les illusions de mes songes. Mais, aussitôt après, je pris garde que, pendant que je voulais ainsi penser que tout était faux, il fallait nécessairement que moi, qui le pensais, fusse quelque chose; et remarquant que cette vérité: *je pense, donc je suis,* était si ferme et si assurée que toutes les plus extravagantes suppositions des sceptiques n'étaient pas capables de l'ébranler, je jugeai que je pouvais la recevoir sans scrupule pour le premier principe de la philosophie que je cherchais» (Discours de la méthode, 4e partie). — Qui de dubitatione universali a Cartesio proposita plura legere desiderat, adire potest *Mercier,* Crit. gén.[6] 56 sqq.

1. Proposita quaestione, e. g. utrum anima humana sit immortalis necne, *dubia, si quae sunt, ante omnia exponantur*. Quam quidem dubitationem necessariam esse S. Doctor his verbis declarat: «Illi», inquit, «qui volunt inquirere veritatem non considerando prius dubitationem, assimilantur iis, qui nesciunt quo vadant. Et hoc ideo, quia, sicut terminus viae est illud, quod intenditur ab ambulante, ita exclusio dubitationis est finis, qui intenditur ab inquirente veritatem. Manifestum est autem, quod ille, qui nescit quo vadat, non poterit directe ire, nisi forte a casu. Ergo nec aliquis potest directe inquirere veritatem, nisi prius videat dubitationem.» [1]

Et ipse quidem, quae fieri debere docebat in scholis, id semper faciebat. «Apud Aquinatem enim in omnibus libris, qui in usum scholae destinati sunt, in more est positum, ut prius dicatur: *Videtur quod non,* deinde: *Sed contra,* et tum accedatur ad thesim ipsam probandam dicendo: *Respondeo dicendum*», ultimo autem fiat *responsio* ad dubia [2].

2. Est autem haec dubitatio *sobrie* instituenda. Id est:

a) Quae sunt *per se immediate* evidentia, veritates praecipue illae omnes, quae ipsa sua dubitatione affirmantur, in dubium vocanda non sunt, neque in dubium reale neque in dubium methodicum. Dubium enim reale omnino est impossibile; dubium autem methodicum circa prima principia ipsam philosophandi possibilitatem destruit.

b) Quae certa sunt, non propter immediatam evidentiam, sed quia *demonstratione sunt probata,* in dubium reale non sunt vocanda, hoc enim impossibile est; *methodica* autem dubitatio circa illa utilis est, ut melius perspiciatur, quibusnam fundamentis earum veritatum certitudo innitatur, et ut quae remanere possunt difficultates removeantur. Sic aliquando S. Doctor interrogatus, liceatne

---

[1] In lib. 3 Metaph. lect. 1.

[2] Cf. *Pesch,* Inst. log. I 491.

disputare de persona Christi: «Non video», inquit, «quare hoc non liceat, cum cotidie in scholis magistrorum disputetur etiam de aliis articulis fidei, *non propter dubitationem,* sed propter *veritatis intellectum* et *manifestationem* et *confirmationem.*» [1]

c) In iis vero, quae neque immediate neque mediate evidentia sunt, i. e. quae certa adhuc demonstratione non sunt probata, *reale* dubium adhibendum est, iuxta doctrinam a S. Doctore traditam.

§ 2. De opinione.

Opinio est: *assensus mentis ad alteram contradictionis partem cum formidine tamen de alterius veritate.*

Pondus motivorum, quae ad ponendum assensum opinativum adducunt, dicitur *probabilitas,* quae brevius definitur: *veri, iudicio prudentium, similitudo.* Quando species veri adeo ingens est, iudicio prudentium, ut vero proxima sit, opinio dicitur *probabilissima;* si adeo levis est, ut proxima falso videatur, *tenuiter probabilis* vocatur; *simpliciter vero probabilis* tenet inter utrumque.

Quando de opinione probabili sine addito sermo est, in disciplinis moralibus praesertim, haec simpliciter probabilis opinio intellegitur. Itaque *opinio probabilis ea est, quae tam gravi et solido nititur fundamento, vel intrinseco rationis vel extrinseco auctoritatis, ut trahere ad se valeat assensum viri prudentis, etiam cum formidine oppositi* [2].

Est proinde probabilitas vel *intrinseca* vel *extrinseca,* prout motiva ex rei *natura* vel ex *auctoritate* petuntur.

Inter opinionem et dubium intercedit *suspicio,* quae est: *quaedam ad iudicandum propensio vel inclinatio consequens motivorum apprehensionem et aliquam attentionem ad illa.*

---

[1] Cf. *Pesch,* Inst. log. I 492, not. 3.

[2] *D'Annibale,* Summa theologiae moralis I 116.

CAPUT III.

DE SCIENTIA [1].

ARTICULUS I.

NOTIO SCIENTIAE.

Scientiam in iis quas supra proposuimus doctrinis *subiective* intelleximus, quatenus est *habitus* quidam mentis, *cognitio* scilicet *certa per causas*. Subiective e. g. sumitur vox scientiae, cum dicitur: S. Doctor vir erat eximiae scientiae. Quae tamen definitio vim vocis latiorem declarat. Verius enim scientiam vocant illam cognitionem certam, quae ex *demonstratione* [2] deducta est, ita ut scientia perfectissima ea sit quae ex demonstratione oritur, quam vocant «propter quid» [3]. Quo sensu definiri potest: *Cognitio certa rei per causam propriam et immediatam demonstratione manifestatam.*

Non raro tamen scientia sumitur *obiective,* quatenus est *quaedam veritas* cognita, vel quaedam *veritatum cognitarum collectio.* Quae, sicut ipsa scientia subiective spectata, potest plus minusve stricte sumi, verissime tamen definitur: *Veritas ex propria et immediata causa demonstrata.* Obiective sumitur scientia, cum dicitur e. g.: S. Doctor ad scientiae studium maxime incubuit [4].

ARTICULUS II.

SCIENTIAE DIVISIO.

I. Scientiam iam scimus dividi in *subiectivam* et *obiectivam.* Utraque est vel *partialis* vel *totalis,* prout una est cognitio vel veritas — vel collectio quaedam cognitionum,

---

[1] Cf. de hac re *Pesch,* Inst. log. I 476 sqq; II 1, 563 sqq 576 sqq; *Frick,* Logica [4] 96 sqq; *Mercier,* Logique [5] 354 sqq.

[2] Cf. supra p. 116 sqq. [3] Cf. ibid.

[4] Cf. *G. Sortais* l. c. I [3] 675.

collectio veritatum certarum, quae arto nexu inter se colliguntur [1].

II. Ex parte *finis* primario intenti scientiae totales dividi possunt in speculativas et practicas.

1. Scientia *speculativa* ea est quae in *contemplatione veritatis* sistit, primario inquirendo *quid sit verum,* e. g. theologia naturalis.

2. Scientia *practica* ea est quae *operationem* intendit, inquirendo *quid vel quomodo sit agendum,* e. g. ethica.

III. Ex parte *obiecti* eiusque *formalis* [2] multiplici modo dividuntur scientiae; tot enim possunt esse scientiae distinctae, quot sunt obiecta formalia diversa. Quae omnia enumerare impossibile est. Quodsi in obiectis illis *gradus* attenditur *abstractionis,* non inepte scientias dividunt in physicam, mathematicam, metaphysicam.

1. *Physica* ea est scientia quae considerat obiectum suum *neglectis tantum notis determinantibus vel individuantibus.*

2. *Mathematica* vero ea est quae versatur circa obiectum, in quo abstrahitur ab omnibus *qualitatibus sensibilibus* neque quicquam retinetur nisi quantitas intellegibilis.

3. *Metaphysica* denique disserit de rebus, a quibus *remotum est quidquid proprium est entibus materialibus,* ut ea sola consideret quae entibus immaterialibus aeque conveniunt ac entibus materialibus [3].

IV. Ex parte *methodi* denique scientiae sunt vel *rationales* vel *experimentales,* prout methodo vel *deductiva* vel *inductiva* maximam partem utuntur. De qua methodo pauca sunt dicenda.

Articulus III.

DE METHODO SCIENTIARUM.

In Logica iam de methodo *notiones explanandi* [4] et de methodo quaestiones solvendi vel *theses probandi* [5] nonnulla

[1] Cf. supra p. 1. [2] Cf. supra p. 5 not. 1.
[3] Cf. supra p. 23 sq. [4] Cf. supra p. 43. [5] Cf. supra p. 111.

diximus, ut quasi per semitas ad *notiones* evolvendas et *cognitiones partiales* acquirendas mens et ratio facilius et tutius ducantur. Superest ut universe quaerentes de via et ratione quaedam declaremus, qua ad scientiam, *prout est systema quoddam cognitionum,* pervenire possimus. Neque de singulis scientiis hic dicturi sumus, sed modum tantum communem tradimus procedendi in omnibus aliis scientiis; modus autem proprius singularum scientiarum in scientiis singulis circa principium tradi solet [1].

Iam vero sicut ad ideas efformandas et perficiendas, ita ad scientias acquirendas et excolendas duplex adest methodus: experimentalis vel inductiva et rationalis vel deductiva.

§ 1. De methodo experimentali.

Methodus experimentalis est methodus earum scientiarum quae, ut botanica, zoologia, aliae, id maxime intendunt, ut ex factis observatione vel experimento cognitis principia vel leges stabiliant. Cum autem in hac inquisitione mens adhibeat analysim et inductionem, haec methodus aliquando etiam *inductiva* vel *analytica* vocatur [2].

In hac autem inductionis via plures inveniuntur gradus.

1. Primo enim *experientia,* sive externa sive interna sensuum, effectus iidem in eadem re, mutatis circumstantiis cognoscuntur.

2. *Hypothesi* [3] deinde mens rationem sufficientem huius constantiae in re ipsa *supponit,* ut observationis et experimenti habeat rationem magis determinatam.

---

[1] Ita S. Doctor: In lib. 2 Metaph. lect. 5.

[2] «Lorsque la science part de faits concrets, objets de l'observation et de l'expérimentation, pour aboutir à formuler des propositions générales et à énoncer des lois, elle va du composé au simple, du particulier au général; cette méthode *analytique (ἀναλύω)* est pratiquée par les sciences expérimentales, inductives, concrètes, telles que la botanique, la zoologie, etc.» (*Mercier,* Logique[5] 269).

[3] Cf. supra p. 114.

3. Cuius hypotheseos valorem *observatione* inquirit et *experimento.* Est autem observatio: attentio mentis reflexa circa factum quod sponte sua se nobis exhibet; experimentum vero definitur: attentio circa factum quod nostra industria ut eveniat efficimus [1].

«Atque in hoc operandi genere adhibetur methodus, quam vocant *eliminationis,* quae duplex esse potest. Aut enim per *‚methodum congruentiae‘* observatis iis, in quibus res sub mutatis condicionibus conveniunt, eliminantur ea omnia, quae effectus, de quo agitur, causae esse non possunt, et hoc modo causa vera detegitur. Aut per *‚methodum differentiae‘* instituuntur experimenta, quibus appareat, qua ratione aliquis processus differat ab eventibus finitimis; qua differentia manifestatur, qui sit nexus inter causam quandam et effectum. Accedit quae vocatur *‚methodus residuorum‘,* secundum quam certo processui subtrahuntur causae notae et effectus noti, et iam causa residua ad effectum residuum pertinebit. Vel adhiberi etiam potest methodus, quae dicitur *‚variationum concomitantium‘,* per quam appareat, quinam effectus in aliquo processu alicui causae, quae ex processu eliminari non potest, ascribendus sit.» [2] Quodsi diversae illae me-

---

[1] «L'expérimentation, en général, diffère de la simple observation. L'observateur est *témoin* du cours des événements de la nature, il note leur concomitance, ou leur séquence et leurs conditions d'apparition, mais il n'agit pas lui-même sur les événements. L'expérimentateur, au contraire, fait varier artificiellement les agents qui interviennent dans un phénomène complexe, il fait varier l'intensité de leur action, bref, il change les conditions d'apparition du phénomène, d'après une idée directrice qu'il entend contrôler. Ce faisant, aux observations que lui fournissait le cours naturel des événements, il ajoute des observations nouvelles qu'il a lui-même provoquées» (*Mercier,* Logique [5] 277 sq).

[2] *Pesch,* Inst. log. I 549.

thodi coniuncte adhibentur, haec experimentandi ratio «*methodus composita*» vocatur [1].

4. Observationibus denique et experimentis illis sedulo institutis fieri potest, ut mens de hypothesi transire possit ad thesim conclusionem generalem vel legem statuendo. Qui inductionis gradus ultimus iam vocatur deductio, cum ex lege illa generali iam ad casus particulares deducendo mens concludere possit.

Neque enim usus deductionis a methodo experimentali omnino alienus esse putandus est. Immo scientiae omnes experimentales deductione perficiuntur [2].

§ 2. De methodo rationali.

Methodus rationalis est earum scientiarum methodus, quae potissimum a principiis procedunt universalibus, quae inter se conferunt, ut novas ex illis relationes vel veritates *deducendo* detegant. Tali methodo utitur e. g. geometria [3].

---

[1] Diversarum illarum methodorum exempla invenies apud *Mercier*, Logique [5] 279 sqq. — Cf. etiam *Hagemann-Dyroff*, Logik und Noetik 136 sqq: «Die Methode.» *G. Sortais* l. c. I [3] 711 sqq.

[2] «Les sciences expérimentales visent elles-mêmes, en dernière analyse, à rattacher les faits d'expérience à des principes plus généraux; elles s'efforcent d'expliquer la physique, prise dans le sens large du mot, pour la connaissance expérimentale du monde, par les mathématiques et par la métaphysique. Ce procédé est appliqué dès aujourd'hui à la mécanique, à l'optique, il le sera graduellement à plusieurs autres parties de la physique, à la chimie etc. Pour arriver à ce but supérieur, les sciences expérimentales emploient alternativement *l'analyse* et *la synthèse;* leur méthode est ‚mixte'» (*Mercier,* Logique [5] 269 sq).

[3] «Lorsqu'une science part de principes nécessaires et simples, et s'efforce de les combiner, pour en *déduire* des rapports nouveaux, sa marche est *synthétique (συντίθημι)*; elle va du simple au composé, du plus général au moins général; cette méthode *synthétique* ou de *composition* est suivie par les sciences *rationnelles, déductives*

Cum in hac methodo usus demonstrationis et synthesis sit praecipuus, non raro methodus *demonstrationis* vel *a priori* vel *synthetica* dicitur.

De hac methodo, cum deducendi rationem in disciplinis logicis satis explicaverimus, non est cur uberius disputemus. Usum vero eius quod attinet, notandum, etsi experimentalis in scientiis aliquibus, in aliis scientiis rationalis methodus potiores partes habet, generatim tamen eam methodum ad scientiae usum esse aptissimam, quae ex utriusque coniunctione coalescit et *analytico-synthetica* vocari solet [1].

Articulus IV.

DE DIVERSARUM SCIENTIARUM SUBORDINATIONE.

I. Scientias alias aliis subordinari posse manifestum est.

1. Aliae enim subordinantur *ratione obiecti,* ut cum obiectum materiale unius continetur sub extensione obiecti formalis alterius. Sic obiectum materiale anthropologiae, quod est homo, continetur sub extensione obiecti formalis ontologiae, quod est ens consideratum sub rationibus

---

ou *abstraites,* telles que la géométrie, l'algèbre, la logique, etc.» (*Mercier,* Logique [5] 269 sq).

[1] «On distingue communément deux méthodes scientifiques, celle des sciences rationnelles : la synthèse, celle des sciences d'observation ou d'expérience : l'analyse. Cette distinction est fondée, en ce sens que la synthèse est le caractère *saillant* du premier groupe de sciences, et l'analyse celui du second. Mais aucun des deux caractères n'appartient, d'une façon exclusive, à aucun des deux groupes. Les axiomes qui sont à la base des sciences rationnelles, s'appuient inévitablement sur quelques observations élémentaires. Les résultats obtenus par l'analyse et par l'induction dans les sciences positives préparent des déductions synthétiques. La méthode scientifique est donc, en définitive, *unique : inductivo-déductive, analytico-synthétique*» (*Mercier,* Logique [5] 336 sq. Cf. etiam *Pesch,* Inst. log. II 1, 540; item supra p. 50).

maxime communibus. Unde anthropologia recte dicitur subordinari ontologiae.

2. Aliae vero subordinantur *ratione finis*, eo quod obiectum unius refertur ad obiectum alterius tamquam medium ad finem. Sic pharmaceutica subordinatur medicinae.

3. Aliae denique subordinantur *ratione principiorum*, ut cum principia unius sunt conclusiones demonstratae ab alia. Sic *in multis* anthropologia vel theologia naturalis subordinantur ontologiae, philosophia moralis in multis anthropologiae.

II. Sed ulterius quaeritur, num scientiae aliae aliis ita subordinentur, ut scientia quaedam sit *una*, a qua inferiores principia sua omnia accipiant; aliis verbis: num sit principium quoddam, ex quo tamquam fonte uno omnes veritates reliquae vel immediate cognoscantur vel demonstratione deducantur. Iam vero eiusmodi principium exsistere negandum est. Experientia enim teste tum in ordine ideali, tum in ordine reali plurimae reperiuntur cognitiones, quae ex nullis aliis demonstrantur, et ex quibus aliae legitime demonstrari possunt. Unde factum est ut, quicumque, velut materialistae vel idealistae, systema quoddam unius et universalis scientiae construere conati sunt, mancam revera scientiam tradiderint [1].

---

[1] Cf. *Pesch* l. c. II 1, 583 sqq. *Frick*, Logica [4] 100. Cf. etiam *G. Sortais* l. c. I [3] 681 sqq.

ONTOLOGIA.

PRAENOTIONES.

I. **Ontologiae definitio.** Ontologia (τὸ ὄν et λόγος) est: *scientia entis considerati sub rationibus eius maxime communibus.* Dicitur:

1. *scientia,* i. e. cognitio per causas, vel specialius: systema cognitionum certarum, quae ex principiis certis stricto ordine logico eruuntur [1];

2. *entis.* Quid sit ens (*l'être,* «das Sein»), *philosophice* hoc ipso tractatu declarabitur. Vulgaris autem huius rei notio omnibus satis comperta est, ut scire possint, de quanam re agatur. Et hac quidem voce «entis» indicatur ontologiae *obiectum materiale,* quo scilicet convenit cum omnibus aliis scientiis. Disciplinae enim omnes, quaecumque instituuntur, versantur circa ens;

3. *considerati sub rationibus eius maxime communibus.* Ratio dicitur id omne, quo aliquid intellegitur (est) vel potest intellegi [2]. Ontologia proinde ex iis, quibus res intelleguntur vel possunt intellegi, considerat ea tantum, quae rebus omnibus sunt communia, quo respectu speciali (obiecto formali) ontologia distinguitur ab omnibus aliis scientiis, quippe quae considerent ens prout taliter est determinatum, puta ab anthropologia, quae disserit de ente prout exhibetur sub ratione, qua fit, ut sit homo et non mundus vel Deus.

---

[1] Cf. supra p. 1 et 249. [2] Cf. supra p. 214.

Ontologia non raro dicitur etiam *metaphysica generalis.* Metaphysica enim (μετὰ τὰ φυσικά) Aristotelis discipuli ea dicebant, de quibus *post res physicas* proximo ordine dicendum erat. Quae omnia cum maximam partem essent immaterialia vel suprasensibilia, usu evenit, ut metaphysica diceretur *scientia omnis de rebus suprasensibilibus*, puta scientia de Deo. Unde metaphysicam diviserunt in metaphysicam generalem, quae de rationibus communibus entis disserit, et metaphysicam specialem, quae est scientia de determinatis quibusdam rebus immaterialibus.

Recentioribus vero temporibus, cum disciplinis philosophicis rationes ipsius mundi et hominis nonnisi supremae considerarentur, ipsa cosmologia necnon anthropologia scientiis metaphysicis annumerata est, ita ut haec iam sit metaphysicae divisio:

Metaphysica generalis, vel ontologia.
Metaphysica specialis, quae dividitur in
- Cosmologiam,
- Anthropologiam,
- Theologiam naturalem vel theodiceam.

II. **Ontologiae divisio.** Tribus hunc tractatum persolvemus libris.

Primo libro ipsam rationem entis explicabimus.

Secundo vero de proprietatibus entis transcendentalibus sermo erit.

Tertio denique libro de categoriis dicemus sive de modis generalibus, secundum quos ens invenitur in natura.

LIBER I.
DE IPSA RATIONE ENTIS.

CAPUT I.
NOTIO ENTIS EVOLVITUR.

ARTICULUS I.
QUOMODO MENS NOTIONEM ENTIS SIBI EFFORMET, OSTENDITUR.

§ 1. De notione entis directa [1].

I. Omnia quae revera exsistunt et quae possunt exsistere, Deus et creaturae, in suo esse determinata sunt modis specialibus essendi, quibus alia ab aliis distinguuntur. Sic Deus est ens *infinite* perfectum, creatura vero ens in suo esse *limitatum*. Sic lapis est ens *corporeum*: anima humana ens *spirituale*. Quae omnia, quamvis determinata et distincta, conveniunt tamen inter se et assimilantur ex eo, quod sunt *aliquid in ordine ad exsistendum*: quidquid enim intellegitur *ut aliquid*, ex hoc ipso intellegitur ut non repugnans, hoc est, ad exsistendum aliquo modo ordinatum.

Potest ergo humanus intellectus, *non consideratis variis ac diversis modis*, secundum quos res determinantur, ab his omnibus *unum conceptum colligere* exprimentem per modum unius aliquid habens ordinem ad exsistendum, in quo, quaecumque exsistunt et exsistere possunt, conveniunt et assimilantur. *Hoc autem aliquid ad exsistendum ordinatum,* **maxime indeterminatum**, *simplicissimum, in*

---

[1] Huius vocis definitionem recole ex dictis in Logica, supra p. 30 et 33 sqq.

quo omnia conveniunt et assimilantur, est id, quod exprimitur per conceptum entis.

II. Efformatur proinde haec idea abstractione quadam speciali [1]. Non enim colligitur eo, quod a diversis conceptibus obiectivis [2], quibus res determinatae exprimuntur, realitas quaedam *removeatur,* quae in notione entis *non includatur,* sicut fit, quando a notione hominis vel «animalis rationalis» e. g. rationem abstrahimus rationalitatis. Huiusmodi enim abstractio in efformatione notionis entis fieri non potest, quia omnes determinationes speciales rerum in idea entis revera includuntur. Efformatur autem haec notio eo, quod ratio conceptu entis manifestata *praescindit solummodo ab* expressa *conceptione illarum determinationum,* quae *implicite* continentur in notione entis. Haec specialis abstractio, quae fit tantum secundum modum repraesentationis, unum explicite et clare manifestantis, aliud vero implicite solummodo vel confuse, dicitur *praecisio subiectiva* (vel formalis), ut distinguatur a *praecisione obiectiva,* quae est abstractio talis, ut cognitio unum dumtaxat attributum attingat, reliquis simpliciter omissis neque ullo modo, nec implicite nec confuse, cognitis [3].

§ 2. De notione entis reflexa.

Notio entis, praecisione hac subiectiva facta, illud «aliquid in ordine ad exsistendum» iam manifestat ut aliquid, *quod* omnibus rebus convenit, utpote a determinationibus specialibus abstractum: est enim universale directum.

Perfici autem potest haec notio in mente eo, quod, *reflexione instituta,* ulterius haec ratio consideratur, *qua-*

---

[1] Recole quae de abstractione generatim iam declaravimus institutionibus logicalibus supra p. 22 sq.

[2] Huius termini sensum recole ex dictis ibidem p. 25.

[3] De his diversis abstrahendi modis cf. *Pesch,* Inst. log. I 114.

tenus omnibus rebus convenit, ita ut fiat universalis *reflexa* [1].

Qua quidem reflexione instituta, haec apparent:

1. Quando conceptus entis ad inferiora sua contrahitur, hoc non fit additione realitatis novae ad realitatem entis, sed fit eo, quod aperte exprimitur aliquid intra conceptum entis, quod antea in eo formaliter expressum non erat.

Et re quidem vera, quando vivens e. g. contrahitur ad inferius suum sentiens, vel animal ad inferius suum rationale, hoc fit vera additione rationis cuiusdam ad rationem, quia ratio «sentiens» in ratione «vivens», vel ratio «rationale» in ratione «animal» nullo modo, ne confuse quidem, continetur; aliter autem res se habet circa rationem entis ad inferiora sese contrahentem. Haec enim ratio in tota sua latitudine dicit illud omne, quod non est nihil, et proinde etiam quaslibet differentias entis, quas exprimit tantum ut habent rationem entis, non autem secundum earum determinationem. Quae igitur adduntur ad ideam entis sic contrahendam, revera non adduntur ut entia, quia iam in ipsa notione continentur, sed aperte exprimuntur, quatenus antea in conceptu entis formaliter expressa non erant. Quae doctrina compendiose a nonnullis ita exprimitur, ut dicant: *Conceptus obiectivus entis ut sic ad inferiora contrahitur non* **compositione metaphysica, sed compositione logica** [2].

2. Notio entis talis est, ut sine illa nihil omnino apprehendi possit: ex dictis enim apparet ipsam in omnibus aliis notionibus, quippe quae sint inferiora ipsius, necessario includi. Unde fit etiam, ut ceterae notiones omnes in notionem entis resolvi possint. Quapropter dicunt notionem entis esse omnium primam *in ordine* **logico.**

---

[1] Cf. supra p. 30 et 211 sq.

[2] Cf. *Frick,* Ontologia [4] 12 sq.

3. Est autem haec ipsa notio prima quoque in *ordine chronologico*, i. e. ratione temporis ideam entis *directam* mens sibi comparat ante omnes alias notiones. Quae quidem assertio experientia probatur, inductione scilicet legitima. Etsi enim propria experientia compertum non habemus, quomodo primum intellectus nostri actum elicuerimus, processum tamen generalem operationis huius intellectus satis perspectum habemus. Experientia enim scimus intellectum procedere semper ex notionibus maxime confusis et indeterminatis ad ideas clariores, utpote magis determinatas, sicut oculus corporeus a longe prospiciens primo res corporeas apprehendit confusas, deinde vero, ex diligenti attentione et apta directione, clariores et magis determinatas ipsas conspicit. Sed inter notiones omnes idea entis maxime est confusa et indeterminata. Unde recte concludendum esse videtur ipsam omnium revera primam ratione temporis cognosci. Quod philosophi declarant effatu illo: *Idea entis omnium prima est in ordine* **chronologico.**

4. Ex quibus omnibus elucet in inferioribus notionibus definiendis notionem entis tamquam *genus proprie dictum* praedicari non posse. Id enim, quod generis proprie dicti munere fungitur (puta de notione «animal» in homine definiendo), talis est naturae, ut id, quod ipsi additur tamquam differentia specifica, *compositionem metaphysicam*[1] cum ipso constituat. Ex iis vero, quae supra declaravimus, iam constat notionem entis ad inferiora sua contrahi non nisi compositione logica.

Cum autem notio entis de suis inferioribus praedicetur tamquam aliquid, quod differentias eorum iam includit, etsi non formaliter sunt expressae, dicitur etiam saepenumero: *Notio entis de suis inferioribus praedicatur analogice,* i. e. secundum rationem nec omnino eandem nec omnino diversam[2].

[1] Cf. supra p. 263. [2] Cf. supra p. 37 sq.

ARTICULUS II.
DE DEFINITIONE ENTIS.

§ 1. De definitione entis in se ipso considerati.

Notio entis stricte definiri non potest. Definitio enim proprie dicta fit eo, quod, analysi instituta vel divisione metaphysica [1], res definienda in sua elementa resolvitur, quae deinde genere proximo et differentia specifica declarentur. Sed haec omnia circa notionem entis fieri non possunt.

Neque enim potest notio entis in elementa dividi, quae comprehensionem suam constituant, cum sit ipsa nota simplicissima, in quam omnes aliae notiones ultimo resolvuntur.

Nec potest proinde inveniri ulla idea, quae tamquam universalior sit eius genus proximum, nec ulla nota, quae, tamquam determinans, quasi speciem entis constituat: determinabile enim ipsum et determinans, quaecumque finguntur, iam sunt ens. Notio entis proinde stricte definiri non potest.

Est proinde notio entis simpliciter declaranda. Fit autem haec declaratio diversis modis, communiter vero dicitur: «*Ens est id, quod exsistit vel saltem exsistere potest*» [2], vel: «Ens est aliquid ad exsistendum ordinatum, maxime indeterminatum, simplicissimum, in quo omnia conveniunt.» [3]

§ 2. De definitione entis per ipsius oppositum.

Ens nonnumquam «definitur» per suum oppositum, quod est *nihilum*. Neque tamen haec definitio est definitio proprie dicta, sed est alius modus rem eandem declarandi. Immo, cum nihilum sit terminus negativus [4], negationem

---

[1] Cf. supra p. 46 sq. [2] *Zigliara*, Ontol. l 2, c. 1, a. 1.
[3] Cf. supra p. 261. [4] Cf. supra p. 39.

scilicet entis exprimens, eius sensus intellegi non potest nisi ab eo, qui positive, quid sit ens, iam intellexerit.

Definiunt proinde ens per oppositum, ut dicant: *Ens est id, quod non est nihilum.*

Quae quidem declaratio ut recte intellegatur, notandum est *nihilum* generatim definiri, ut sit: *absentia entis.* Est autem vel relativum vel absolutum.

Nihilum *relativum* est: *absentia* **alicuius** *determinationis entis.* Dicitur:

a) *privativum,* si est absentia alicuius determinationis entis in *subiecto apto* ad illam habendam [1], absentia visus e. g. in homine (caecitas);

b) *negativum,* si est gradus cuiusdam entis simplex absentia, absentia habitus philosophiae e. g. in homine rustico.

Nihilum *absolutum* vel merum nihilum: est *absentia* **totius** *entis.* Quando autem dicitur «ens est id, quod non est nihilum», intellegendum est nihilum absolutum.

Et illa quidem est declaratio entis, quod dicitur *ens reale.* Fit autem interdum, ut a mente excogitetur aliquid ut ens, quod tamen in se entitatem non habet ullam nisi illud «obici a ratione ut ens», sicut quando ipsum nihilum a mente ut ens consideratur. Cuiusmodi ens vocatur ens rationis et definitur: «*illud, quod habet esse obiective tantum in intellectu,* seu esse id, quod a ratione excogitatur ut ens, cum tamen in se entitatem non habeat» [2].

---

[1] Cf. supra p. 35.

[2] «Aliquid interdum obicitur seu consideratur a ratione quod non habet in se aliud reale ac positivum esse praeterquam obici intellectui seu rationi de illo cogitanti, et hoc propriissime vocatur ens rationis, quia est aliquo modo in ratione scilicet obiective et non habet alium nobiliorem et magis realem essendi modum, unde possit ens appellari. Et ideo recte definiri solet ens rationis esse illud, quod habet *esse obiective tantum in intellectu,* seu esse id, quod a ratione excogitatur ut ens, cum tamen in se entitatem non habeat» (*Suarez,* Metaph. disp. 54, sect. 1).

Dicitur «quod habet esse *obiective tantum* in intellectu», i. e. non habet ens nisi tamquam obiectum cognitum, cum realiter, ut obicitur menti, neque sit neque esse possit. Eiusmodi sunt e. g. nihilum conceptum per modum entis, sive est absolutum sive relativum, idque vel simpliciter negativum vel privativum (caecitas e. g. considerata ut ens). Eiusmodi est etiam relatio universalitatis, generis e. g. ad inferiora vel species; relatio Petri ut subiecti ad «esse philosophum» ut praedicatum, alia multa obiecta logicae; logica enim formaliter versatur circa operationes intellectus, non ut sunt entia realia, sed ut sunt entia rationis [1].

Omissis proinde chimaeris (qualis est e. g. circulus quadratus), quae ut tales ne *obiective* quidem in mente exsistere possunt, sed tantum ratione terminorum («entia rationis sine fundamento in re»), ens rationis omne dividitur in *negativum, privativum, relativum.*

1. Ens rationis *negativum* est *nihilum negativum* (p. 266) conceptum ut ens (vacuum e. g., nihilum).

2. Ens rationis *privativum* est *nihilum privativum* conceptum ut ens (caecitas).

3. Ens rationis *relativum* est *relatio omnis rationis* concepta ut realis relatio. Quid sit relatio rationis, infra declarabitur. Iam vero satis erit, si interim intentiones logicales, qualia sunt genus, species, praedicatum, subiectum, entia rationis relativa esse noveris.

---

[1] «L'intelligence a, en effet, le pouvoir de se représenter des *objets* qui ne sont ni réalisés ni réalisables dans la nature; ils sont *objets représentables,* rien de plus; on les oppose aux choses, aux *entia rata* sous le nom de *ens rationis* . . . La *négation,* par exemple, la *privation* de la vue, les relations appelées *relations de raison,* notamment la relation de l'universel avec les sujets auxquels il est applicable, sont autant de termes objectifs qui ne répondent à aucune réalité positive» (*Mercier,* Métaphys gén. [5] 122 sq).

Ens rationis proinde non nisi *per quandam metaphoram* dicitur ens. In Ontologia vero agitur de ente reali [1].

APPENDIX AD CAPUT I.

De primis principiis, quae a notione entis trahuntur.

Principium in genere iam scimus [2] esse *id, a quo aliquid procedit quocumque modo.* In ordine vero *cognitionis* («principia logica») principium generatim dicitur *propositio quaelibet, quae alteri probandae inservit.* Iam vero ex ipsa notione entis mens plura sibi comparare potest eiusmodi principia.

Quorum omnium primum est principium quod dicitur *contradictionis,* et enuntiatur his verbis: *Idem non potest simul esse et non esse.* In qua loquendi formula voce «simul» non solum tempus significatur, sed generatim exprimitur ens et non-ens sub eodem respectu «unâ» esse non posse. Oritur proinde hoc principium in mente ex sola comparatione entis cum suo opposito, unde fit, ut sit principium evidens evidentia immediata [3], certum certitudine necessaria [4], tale denique, ut de ipso nemo dubitet neque dubitare possit [5]. Ex his sequitur etiam, ut sit principium omnium primum, et in ordine chronologico et in ordine logico [6].

Quando dicitur principium contradictionis esse primum omnium in ordine logico, non intellegendum est principium illud omnia alia implicite continere, quasi ab ipso illa omnia ratiocinio deduci possint. Reflexione enim instituta, videmus nullam rerum proprietatem ex principio

---

[1] Qui plura de hac re desiderat, legat *Pesch,* Inst log. II 2, 44 sq; *Frick,* Ontol. [4] 38 sqq.

[2] Cf. supra p. 239.

[3] Ib. p. 240

[4] Ib. p. 244.

[5] Ib. p. 193.

[6] Cf. supra p. 263 sq.

contradictionis logice erui posse. Sed ideo primum esse dicitur in ordine logico, quia omnium aliorum principiorum certitudo ab ipsius certitudine pendet. Nisi enim hoc principium esset verum, alia principia omnia possent esse vera et falsa simul.

In principio contradictionis alia quaedam proxime fundantur prima principia, quae sunt:

I. Principium *identitatis: Quod est, est,* vel: *Quod non est, non est.* Efformatur hoc iudicium in mente ex comparatione notionis entis cum se ipsa vel etiam ex comparatione non-entis cum non-ente.

Potest autem hoc principium sub duplici respectu considerari:

Primo quidem, quatenus vagum est et indeterminatum, *nondum ut certum omnino perspectum,* et tunc principio contradictionis prius quidem dici potest, sed veri nominis principium non est: «principiorum potius radicem continet et germen imperfectum» [1].

Secundo potest considerari ut principium omnino firmum, cuius certitudo menti appareat, et tunc in principium contradictionis resolvitur. Ratio enim, propter quam cum certitudine mens affirmat esse id, quod est, invenitur in eo, quod evidenter perspicit non posse simul non esse id quod est.

II. Principium, quod dicitur *tertii exclusi: Quaelibet res aut est, aut non est,* quod ad usum logicum iam alia formula expressum habuimus, cum diximus: «Duae propositiones contradictoriae non possunt esse simul verae», et: «Duae propositiones contradictoriae non possunt esse simul falsae.» [2] Dicitur vero hoc principium «tertii exclusi», quia ex perspecta immediata oppositione entis et non-entis mens videt inter ipsa non esse medium vel

[1] Cf. *Pesch* l. c. II 2, 50 sq.

[2] Cf. supra p. 71.

tertium quid, quod esse possit, si ambo (ens scilicet et non-ens) non essent. Pendet vero hoc principium a principio contradictionis. Ideo enim nullum est medium inter esse et non-esse, quia idem non potest simul esse et non esse. Medium enim illud, si reperiretur, neque esset neque non esset; quod est contra principium contradictionis.

III. Principium denique *rationis sufficientis* vel rationis necessariae, quod communiter enuntiatur: *Nihil sine ratione sufficienti,* i. e.: nihil est id quod est, nihil fit, nihil exsistit, nihil cognoscibile est vel cognoscitur, nisi sit aliquid, vel in ipso vel in alio, quo fit, ut eius essentia, vel exsistentia, vel cognoscibilitas plene constituatur.

Fundatur autem hoc principium in ipso principio contradictionis. Ideo enim mens veritatem huius principii perspicit, quia videt ens non posse procedere a nihilo, quia non-ens non potest in se continere rationem entis, aliis verbis, quia non-ens non est ens, quod est ipsum principium contradictionis legitime conversum.

Principium rationis sufficientis in philosophia semper adhibetur ut princeps, quia mentem ad causas vel rationes inveniendas incitat et in ipsis considerandis moderatur et quasi manu ducit.

Et illa quidem sunt praecipua, quae inter prima enumerantur, principia philosophica. Illorum vero omnium proprium est, «quod non solum necesse sit ea per se vera esse, sed etiam necesse est videri, quod sint per se vera. Nullus autem potest per se opinari contraria eorum» [1]. Quare dicuntur *principia in sensu stricto accepta,* quae sunt propositiones, quae ita sunt verae, certae, evidentes, ut probatione non egeant. In sensu vero latiore principium supra definivimus, ut sit propositio quaelibet, quae alteri probandae inservit.

---

[1] *S. Thom.* in lib. 1 Analytic. post. lect. 19.

Caput II.

DE PRIMIS ENTIS DETERMINATIONIBUS.

Praenotamen. Quando ens in universum et indeterminate sumptum primis suis determinationibus explicatur, tunc distinguimus:

1. Ens in actu et ens in potentia.

Ens *in actu* vel *ens actuale* illud dicitur, quod habet exsistentiam explicitam; sic anima uniuscuiusque nostrum est ens in actu.

Ens *in potentia* vel *ens possibile* illud est, quod non habet exsistentiam explicitam, sed tantum implicitam, contentam scilicet in exsistentia causae, a qua procedere debet. Sic animae nostrae ante centum annos erant entia possibilia, quia exsistentiam tunc non habebant propriam et explicitam, sed implicitam in potentia Dei creatrice.

In ente vero, quod exsistit, mens duplex distinguit elementum. Considerat enim primo *id, quo res est id quod est,* aliis verbis: illud intrinsecum rei, quo fit, ut ipsa res habeat talem naturam et non aliam, ut sit anima humana e. g. et non lapis; et hoc vocatur *essentia.* Praeterea distinguitur in re ab essentia id, quod dicitur *exsistentia,* quo scilicet res talis vel talis essentiae habet ut revera exsistat.

2. Ens actuale autem:

vel taliter habet exsistentiam, ut non possit non exsistere, et tunc dicitur ens actuale *necessarium;*

vel exsistentia eius talis est, ut possit non exsistere, et vocatur eiusmodi ens *contingens.*

Ens contingens, cum non habeat omnes perfectiones, sed sit limitatum, vocatur etiam ens *finitum,* cui opponitur ens *infinitum.*

De his notionibus, cum maximi sint momenti, quaedam iam uberius sunt explananda. Non solum enim multum inserviunt ad ideam entis explicandam, sed in-

super rationes sunt quasi fundamentales totius philosophiae scholasticae.

Articulus i.

DE ACTU ET DE POTENTIA.

Notiones actus et potentiae, cum de primis entis determinationibus sint, genus proprie dictum non habent. Proinde stricte definiri non possunt. Comparatione proinde et divisione utcumque sunt declarandae.

§ 1. Notiones evolvuntur.

Actus generatim sese habet ad potentiam sicut perficiens ad perfectibile.

Actus enim dicitur *entitas perficiens et determinans rem in suo ordine*. Sic e. g. id, quo hydrogenium et oxygenium, debito modo combinata, ita determinantur et perficiuntur, ut sint aqua et non aliud quicquam, dicitur actus aquae, sicut id, quo hydrogenium determinatur, ut sit, ante combinationem, hydrogenium, dicitur actus eius.

Potentia vero in genere est *capacitas ad aliquid*. Sic in oxygenio et hydrogenio nondum combinatis est capacitas ad recipiendum actum aquae. Unde haec loquendi formula: «Oxygenium et hydrogenium sunt actu oxygenium et hydrogenium, potentia autem sunt aqua», et e converso: «Aqua est actu aqua, potentia vero est hydrogenium et oxygenium.» — Sic etiam in marmore est capacitas ad recipiendam talem vel talem figuram ab aliquo agente, et proinde dicitur marmor esse in potentia recipiendi talem figuram.

§ 2. Species declarantur.

I. *Actus* diversae distinguuntur species:

1. Ratione *obiecti*, i. e. ratione perfectionis vel determinationis, quam affert enti, distinguitur actus essentiae, actus exsistentiae, actus proprietatis.

Actus *essentiae* est *entitas determinans et perficiens rem in sua specie.* Cuiusmodi est entitas, qua aqua est aqua e. g. et non ferrum. Actus ille nonnumquam dicitur etiam actus formalis vel forma rei.

Actus *exsistentiae* est *entitas determinans et perficiens rem in sua exsistentia,* qua scilicet fit, ut res in propria sua specie realiter exsistat neque mere sit possibilis. Quaerunt philosophi, utrum in una et eadem re actus essentiae et actus exsistentiae sint res diversae, an tantum duo conceptus diversi unius et eiusdem rei. Sed de hac re infra.

Actus *proprietatis* vel *accidentis* est *entitas rem in sua specie iam constitutam ita determinans et perficiens, ut tali vel tali qualitate afficiatur.* Sic e. g. Paulus seminarium ingrediens habuit actum essentiae et exsistentiae, sed relative ad habitum philosophiae erat in potentia tantum, post elapsos vero feliciter duos annos non potentia iam, sed actu est philosophus. Qualitatem enim acquisivit, ad quam antea non habebat nisi capacitatem: mens eius iam instructa est scientia philosophica.

Actus ille, si ab essentia necessario defluit, stricte dicitur actus proprietatis; si talis est, ut abesse vel adesse possit, actus dicitur accidentis.

2. Ratione *ordinis,* quem habent inter se actus, dividuntur in actum primum et actum secundum.

Actus *primus* ille est, *qui alium actum non supponit in aliquo ordine,* sed alium exspectat. Sic e. g. actus essentiae vel forma est actus primus.

Actus *secundus* est ille, *qui priorem in aliquo ordine supponit* eique succedit. Sic actio intellegendi in homine est actus secundus, supponit enim aliquem actum primum in suo ordine, qui est facultas intellegendi. Unde puer etiam unius diei dicitur intellegens in actu primo, non autem in actu secundo; philosophus vero, dum ratio-

cinatur, dicitur intellegens in actu primo et in actu secundo [1].

3. Ratione *gradus perfectionis* actus est vel purus vel non purus.

Actus *purus* ille est, *qui tantam habet determinationem et perfectionem, ut nulla potentia permisceatur.* Ens infinite perfectum proinde solum est actus purus.

Actus *non purus* est actus, *cui potentia quaedam permiscetur.* Tales sunt omnes creaturae.

II. *Potentiae* similiter plures sunt species. Est enim:

1. Potentia *obiectiva* vel *logica,* quae est *capacitas vel aptitudo ad exsistendum* rei nondum exsistentis: dicitur etiam possibilitas.

De hac potentia obiectiva vel possibilitate uberius dicemus paragrapho, quae sequitur.

2. Potentia *subiectiva* vel *realis,* quae proprie dicitur potentia, est *rei iam exsistentis capacitas ad aliquem actum.* Sic in Petro est potentia (facultas) intellegendi, quae perficitur actu intellegendi. Est proinde potentia subiectiva realitas quaedam vel *actus* in subiecto quodam exsistens, qui dicitur *potentia,* quatenus est capacitas quaedam ad aliquid. Distinguitur sub hoc respectu a potentia obiectiva, quae nullum habet actum *in ordine exsistentium,* sed est tantum aptitudo ad exsistendum rei nondum exsistentis, puta de possibilitate mundi ante creationem.

Potentia subiectiva est vel receptiva vel operativa.

a) Potentia subiectiva *receptiva* est *capacitas aliquid recipiendi.* Sic in marmore est potentia receptiva recipiendi formam statuae B. M. V. vel alicuius sancti vel formam tabulae. Potentia illa receptiva est vel naturalis vel oboedientialis:

---

[1] Notandum hanc prioritatem locum habere in ordine rei: in ordine cognitionis enim res est omnino inversa.

naturalis est *capacitas recipiendi ea, quae sunt secundum exigentiam naturae,* ut in exemplo modo allato;

oboedientialis est *capacitas recipiendi actum, qui est supra exigentiam naturalem;* sic arbor emortua habet potentiam oboedientialem fructus producendi.

b) Potentia subiectiva *operativa*, quae dicitur etiam *facultas*, est *capacitas aliquid faciendi*, ut intellectus et voluntas in homine. Est vel supernaturalis vel naturalis:

supernaturalis est *capacitas aliquid faciendi quod excedit vires naturae;* capacitas e. g. miracula patrandi;

naturalis est *capacitas faciendi aliquid, quod est secundum vires naturae.* Est:

passiva, si obiectum suum *praesupponit:* facultas cognoscendi;

activa, si obiectum suum *ponit* vel producit: facultas vegetativa (nutritiva).

§ 3. De possibilitate vel potentia obiectiva speciatim.

I. Eius notio evolvitur. Possibilitas vel potentia obiectiva est capacitas vel aptitudo ad exsistendum. *Possibile* proinde dicitur *id, quod ad exsistendum est aptum.* Sic plures mundos esse dicitur possibile, quia ad eorum exsistentiam nulla adest repugnantia.

Possibilitati opponitur impossibilitas, quae est incapacitas vel repugnantia ad exsistendum, ita ut *impossibile* vocetur *illud, quod ad exsistendum non est aptum.* Sic circulus quadratus dicitur impossibilis.

Iam vero, ut aliquid sit *adaequate* possibile, duo requiruntur:

1° ut elementa eius inter se conveniant, aliis verbis: ut notae, ex quibus constat idea rem illam repraesentans, non sint insociabiles vel repugnantes [1], quae condicio e. g. adest in idea «mons aureus», deest in idea «circulus

---

[1] Cf. supra p. 34.

quadratus». Vocatur autem haec specialis aptitudo ad exsistendum possibilitas *intrinseca* vel metaphysica vel absoluta.

2° requiritur, ut adsit causa extrinseca, quae illi actualem exsistentiam largiri possit. Sic possibile est plures mundos exsistere relative ad Deum, non autem relative ad homines. Quae quidem aptitudo dicitur possibilitas *extrinseca* vel relativa.

Entitatem vero huius potentiae obiectivae quod attinet, non habent quidem possibilia, ut talia, realitatem *actualem*, quia ab exsistentia actuali praescindunt; sunt tamen *entia realia*, quia in se habent aliquid, quo differunt a nihilo in ordine exsistentium, sunt aliquid in ordine ad exsistendum; et illud aliquid est, *quod exsistere possunt.* Mundus e. g., antequam fuit, *non erat omnino* nihilum, sed tantum nihilum in ordine rerum actualium, fuit autem aliquid in ordine ad exsistendum: *potuit exsistere.*

Clare autem videmus illud «posse exsistere», mundum e. g. posse exsistere, nullum habuisse initium neque ullum habiturum esse finem et proinde esse aeternum et immutabile, item non esse indifferens ex se ad illud possibile, ita ut independenter ab omni condicione ex se sit possibile, et proinde dicitur absolute necessarium [1].

II. **Species possibilitatis declarantur.** Ex ipsa possibilitatis notione declarata iam scimus possibilitatem generatim dividi in possibilitatem intrinsecam et possibilitatem extrinsecam.

Possibilitas intrinseca (metaphysica vel absoluta) est: *capacitas ad exsistendum orta ex sola notarum vel elementorum sociabilitate* vel convenientia. Cui opponitur im-

---

[1] Rationem vero ultimam vel fundamentum horum possibilium esse Deum ex dicendis in Theologia naturali intellegemus. — Cf. de hac re *Pesch,* Inst. log. II 2, 101 111 112; *Mercier,* Métaphys. gén. [5] 32 sqq; *Frick,* Ontol. [4] 78 sqq.

possibilitas intrinseca (vel metaphysica vel absoluta), quae est: incapacitas vel repugnantia ad exsistendum orta ex elementorum insociabilitate.

Possibilitas extrinseca vel *relativa* est: *capacitas ad exsistendum orta ex virtute causae extrinsecae,* a qua id, quod metaphysice possibile est, actuali exsistentia donari possit. Cuius oppositum est impossibilitas extrinseca vel relativa; incapacitas ad exsistendum orta ex defectu virtutis causae, quae possit rem metaphysice possibilem exsistentia actuali donare.

Quae possibilitas extrinseca duplicis est speciei: est enim vel physica vel moralis.

Possibilitas extrinseca *physica* ea est, quae *fundatur in lege naturae.* Physice possibile est proinde quidquid est secundum leges naturae, i. e. non superat vires alicuius naturae vel totius naturae vel non est contra consuetum naturae ordinem. Sic physice possibile est homini sano iter trium milliarium suscipere die dominica ad missam audiendam. — Impossibilitas autem physica est incapacitas orta ex defectu causae, quae secundum consuetum naturae ordinem rem producere possit. Physice proinde impossibile est quidquid fieri non potest secundum consuetum naturae ordinem, etsi metaphysice possibile est, velut: mortuum ad vitam redire. Sic etiam physice impossibile est aegroto, qui in lecto est defixus, statim surgere et iter pedibus ingredi ad missam audiendam.

Possibilitas extrinseca *moralis* ea est, quae *fundatur in legibus morum naturae rationalis.* Moraliter possibile est proinde quidquid fieri potest a) secundum consuetum agendi modum entium liberorum, vel b) secundum normas vel leges, quibus voluntas libera sese conformare debet. Sic, secundum priorem rationem, non solum physice sed etiam moraliter possibile est hominem cupidum mentiri. Impossibilitate vero morali impossibile est quod est a) contra mores hominum et indolem, vel b) contra normas

quas voluntas libera sequi debet, etsi metaphysice vel physice possibile est. Sic moraliter impossibile est hominem gratis mentiri. Sic etiam vulgo moraliter impossibile censetur iter trium milliarium (5 km) pedibus ingredi ad Sacrum audiendum. Non enim secundum normam est, quam libera voluntas sequi debet, ut incommoda ex tali itinere oriunda in se suscipiat ad satisfaciendum obligationi missae audiendae. — Ad hanc alteram vero rationem moralistae maxime attendentes, impossibilitatem vel «impotentiam» moralem definiunt: *difficultas gravis per accidens coniuncta cum adimpletione legis*[1].

Ex perspectis his notionibus haec ultro apparent:

1. *Ut aliquid moraliter sit possibile, praerequiritur, ut physice sit possibile.* Unde quidquid physice impossibile est, a fortiori moraliter impossibile est; sed non omne, quod moraliter impossibile est, eo ipso physice impossibile est.

2. *Ut aliquid physice sit possibile, ante omnia requiritur, ut metaphysice sit possibile.* Metaphysice enim impossibile idem est ac non-ens; sed terminus virtutis alicuius non potest esse non-ens: hoc enim esset contra principium contradictionis. Unde quidquid metaphysice impossibile est, physice quoque impossibile est idque relative ad quantumvis perfectam virtutem; sed non omne, quod relative ad talem vel talem virtutem physice impossibile est, eo ipso metaphysice impossibile dicendum erit.

Perfectissima autem est virtus vel potentia, quae efficere potest quidquid metaphysice possibile est.

§ 4. De transitu e potentia ad actum sive de mutatione et motu.

I. **Notiones evolvuntur.** Ens in potentia, cum actum suum recipit, *mutari* dicimus. Intellectus discipuli e. g., ideis

---

[1] Cf. *Marc,* Instit. moral. n. 221. Item *Tanquerey,* Synopsis theol. II 170 sq. Cf. etiam *Lehmkuhl,* Theol. mor.[11] 396.

nondum instructus, in potentia est ad illas habendas; cum autem illas acquirit, aliter esse incipit atque fuit antea: mutatur. *Mutatio* proinde definitur: *transitus ab uno modo sese habendi ad alium.* Ad mutationem proprie dictam tria elementa requiruntur: 1. *terminus a quo* in ordine *actuali* exsistens: talis est in exemplo allato intellectus discipuli, quatenus est in potentia ad ideas habendas; 2. *ipse transitus* (motus): a non cognoscente e. g. ad cognoscentem; 3. *terminus ad quem,* item in ordine *actualium:* intellectus pueri, quatenus ideis instruitur.

Si ex his tribus elementis unum vel aliud deficit, mutatio est *improprie dicta.* Tres proinde esse possunt mutationes improprie dictae:

1. Fieri enim potest, ut desit ipse *transitus* de potentia ad actum *in re, quae mutari dicitur,* ut in arbore, cum ex non cognita fit cognita. Tunc mutatio dicitur improprie dicta et *extrinseca.*

2. Fieri deinde potest, ut transitus quidem adsit, sed ita, ut *terminus a quo* non sit in ordine actualium, sed sit *potentia ~~subiectiva~~.* Tunc habetur *creatio,* de qua uberius in Cosmologia. (Mutatio intrinseca sed improprie dicta.)

3. Transitus denique fieri potest a termino in ordine actuali exsistente *ad terminum, qui sit potentia obiectiva,* et tunc habemus *annihilationem,* de qua item in Cosmologia plura erunt dicenda. (Mutatio intrinseca sed improprie dicta.)

Mutatio autem *proprie dicta,* cum transitum una cum aliis duobus elementis includat, semper erit intrinseca. Quattuor vero ipsius distinguuntur species:

1. *Generatio* vel *corruptio,* quae afficit ipsam rei *substantiam,* ut cum ex aqua fit hydrogenium et oxygenium.

2. *Augmentatio* vel *deminutio,* quae est transitus de uno statu *quantitativo* ad alium, ut cum quis ex parvo fit magnus.

3. *Alteratio* vel transitus de uno statu *qualitativo* ad alium, ut cum aliquid ex dulci fit amarum.

4. *Latio* vel motus localis, qui est transitus de uno *loco* ad alium.

Generatio et corruptio, cum ipsam substantiam afficiant, dicuntur mutationes *substantiales,* et quia fiunt in instanti, dicuntur *instantaneae.* Tres vero aliae mutationes, cum in corporibus, ubi proprie inveniuntur, accidentia mutent, *accidentales* vocantur, immo, cum in ipsis semper paulatim vel cum quadam successione perficiantur, mutationes dicuntur *successivae. Mutatio successiva in corporibus communiter dicitur etiam motus in sensu stricto acceptus* [1].

Motus proinde non raro cum ipsa mutatione confunditur. Neque tamen omnino idem est, id quod sequenti declaratione patebit.

Sunt enim plures sensus huius nominis motus.

1. In sensu enim **latissimo** vel etiam *metaphysico* sumitur *pro quacumque activitate,* puta: intellegere, vivere, velle, sive fit sine transitu de potentia ad actum sive cum transitu de potentia ad actum. Quo sensu ipse Deus dicitur «*primus movens semper in motu*».

2. In sensu *lato* est ipse *transitus de potentia ad actum* qualiscumque, in re quacumque. Hoc sensu ratiocinari e. g. motus animae dicitur.

---

[1] «In mutatione proprie dicta invenitur semper aliquod elementum commune utrique termino; secus enim frustra terminus a quo adhiberetur. Hoc elementum commune in mutationibus ordinis naturalis est ipsum subiectum mutationis. Theologi tamen norunt aliquam mutationem, in qua elementum commune non est subiectum, sed accidens; haec mutatio est transsubstantiatio eucharistica. Item, si in Eucharistia species cessant, corpus Christi cessat et succedit substantia naturalis. Quae cessatio et successio sunt mutationes improprie dictae sui generis; neque sunt annihilatio et creatio» (*Hontheim,* Instit. Theod. p. 551, n. 794, nota).

3. In sensu *magis stricto* est transitus de potentia ad actum *in re corporea,* sive fit cum successiva progressione sive non. Sic generatio vel corruptio dicuntur motu quodam fieri.

4. In sensu autem *stricto* definitur: «*mutatio, quae in re corporea exsistit, secundum quam res eadem per successivam progressionem aliter se habet nunc et prius*» [1].

In tribus vero his ultimis acceptionibus, si formaliter sumitur motus, quatenus est elementum mutationis, *semper ad transitum potentiae ad actum directe attendendum est,* non autem ad mutationem status rei. Ut talis vero est ipse *actus,* qui rei supervenit, dum e potentia ad actum transit. «Considerandum est», ait S. Doctor, «quod aliquid est in actu tantum, aliquid vero in potentia tantum, aliquid vero medio modo se habens inter potentiam puram et actum perfectum. Quod igitur est in potentia tantum, nondum movetur; quod autem iam est in actu perfecto, non movetur, sed iam motum est. Illud igitur movetur, quod medio modo se habet inter puram potentiam et actum: quod quidem partim est in potentia et partim in actu, ut patet in alteratione.» [2] Unde ab Aristotele recte definitus est motus: «*actus entis in potentia quatenus in potentia*» [3].

---

[1] Cf. *Lepidi,* Elem. philos. christ. III 111.

[2] In III Phys. lect. 2.

[3] «Entre la simple aptitude au mouvement, pure puissance, d'une part, et l'acte complet, qui suppose l'aptitude satisfaite, la puissance réalisée, d'autre part, il y a une réalité intermédiaire composée d'acte et de puissance, c'est le mouvement: elle est *acte,* et, sous ce rapport, présuppose une puissance en partie réalisée; mais elle est encore *puissance,* car le sujet en partie actualisée demeure susceptible d'un acte ultérieur; elle est l'acte d'un sujet en puissance, ‚actus imperfecti'. . . . Soit, par exemple, le développement d'une intelligence d'enfant qui apprend cette opération arithmétique: $7 + 5 = 12$. L'enfant qui vient de naître est *capable* de savoir

Motus autem sic intellecti plurimae distinguuntur species, quarum praecipuae sunt: motus immanens et motus transiens.

Motus *immanens* vel *vitalis* ille est, *quo ens se ipsum ad ulteriorem sui ipsius perfectionem transfert;* motus e. g. nutritionis, motus animae in ratiocinando. Huiusmodi motus plures sunt aliae species, de quibus in Anthropologia sermo erit.

Motus *transiens* est tendentia activa alicuius rei ad *alteram perficiendam;* motus e. g. ignis corpus aliquod calefacientis.

Ex parte mutationis vero, quae ex huiusmodi motu in corporibus oriri potest, triplex generatim distinguitur motus transiens: mechanicus, physicus, chemicus [1].

Motus *mechanicus* est tendentia activa alicuius rei ad mutandas corporis cuiusdam *relationes locales.* Talis est e. g. motus lapidis, dum per aërem proicitur.

---

que 7 et 5 font 12, mais il ne le sait pas. L'enfant de cinq ans, qui répond à son père: 7 et 5 font 12, a la connaissance *actuelle* que 7 et 5 font 12. Or, entre l'ignorance complète et la perception actuelle du rapport $7 + 5 = 12$, il y a pour l'intelligence de l'enfant plusieurs étapes à parcourir: une suite d'additions plus simples, dont chacune l'approche du but. Ce parcours réalise le développement intellectuel de l'enfant, en voie d'apprendre les opérations fondamentales de l'arithmétique, c'est un ‚mouvement'. — Pour concevoir le mouvement, il faut donc avoir en vue une double relation du sujet, l'une avec une puissance antérieure présentement réalisée, l'autre avec un acte encore réalisable; *le mouvement est tout à la fois la réalisation d'une certaine potentialité, et la capacité d'un acte ultérieur plus complet, c'est donc bien l'acte d'une puissance encore en puissance*» (*Mercier,* Métaphys. gén. [5] 365 sq).

[1] Divisionem desumimus *ex parte mutationis productae,* quidquid est de ipsa natura virium, ex quibus motus illi oriuntur. Qualis enim sit harum virium natura, apud ipsos huius rei peritos non satis constat. Cogita e. g. de electricitate, qua tres illas diversas mutationes produci posse omnes norunt.

Motus *physicus* est tendentia activa alicuius rei ad mutandas *qualitates corporeas,* incorrupta manente natura. Talis est e. g. motus corporis cuiusdam aliud *calefacientis.*

Motus *chemicus* est tendentia activa alicuius rei ad corpora in intima *natura immutanda,* elementa scilicet dividendo et inter se combinando. Talis est e. g. motus aquae, cum sub influxu alius corporis in hydrogenium et oxygenium transformatur.

II. **De principio motus.** In ipsa notione motus fundatur principium quoddam logicum [1], quod dicitur principium motus. Communiter sic enuntiatur: *Quidquid movetur, ab alio movetur.*

Sensus huius principii est: Nihil transit de potentia ad actum nisi sub influxu entis alius, quod iam sit in actu, i. e. quod iam possideat perfectionem ab alio acquirendam.

Sumitur vero vox movendi in sensu motus lato, ita ut principium illud valeat de *quocumque* transitu de potentia ad actum.

Veritas autem huius principii patet:

1. Iam *inchoative,* experientia vel inductione. Observatione enim universali compertum habemus illud principium in rebus motis constanter verificari. Etenim:

Entia *non viventia,* quotiescumque moventur, etiam cum propriam exercent activitatem, videmus ab alio moveri.

Entia autem *viventia* movent quidem se ipsa, ita tamen ut una pars moveat aliam, et prima pars movens in suo motu pendeat aliquo modo a principio extrinseco [2].

2. Ex ipsa ratione *perfecte* huius principii veritas ostenditur. Est enim illud principium *analyticum,* tale scilicet, ut ex ipsa analysi subiecti et praedicati inveniatur ratio eius necessitatis et universalitatis.

---

[1] Cf. supra p. 268.

[2] De motu ipsius liberae voluntatis a Deo sermo erit in Theodicea.

Etenim quidquid movetur, eo ipso quod movetur, est in potentia ad actum acquirendum. Actum illum proinde non habet, alioquin non esset in potentia, sed in actu. Sed quidquid actu quodam destituitur, actum illum sibi dare non potest, «*nemo enim dat, quod non habet*»: aliis verbis: esse non potest oriri ex non-esse; hoc enim vetat principium contradictionis. Non potest ergo actum illum sibi dare ipsa res, quae movetur. Neque potest actus ille oriri ex nihilo, propter eandem rationem et propter necessitatem principii rationis sufficientis [1]. Ergo actum suum acquirit res mota ab alio ente, quod ipsum aliquo modo iam continet; aliis verbis: movetur ab ente quod iam est in actu [2].

Cuius principii maxima est utilitas in philosophia: ipsum enim est principium quasi fundamentale totius demonstrationis exsistentiae Dei.

Corollarium. — Ex perspecta relatione, quae viget inter actum et potentiam, alia defluunt principia vel axiomata. Quorum praecipua sunt:

I. *In quantum aliquid est in actu, in tantum est perfectum, et in tantum est imperfectum, in quantum est in potentia.* Quia actus est entitas perficiens rem in suo ordine, potentia autem est capacitas ad illam perfectionem: quae quidem capacitas supponit absentiam perfectionis. Proinde actus purus est ens perfectissimum, imperfectissimum autem erit ens, quod maximam habet capacitatem ad actum, quale est in ordine actualium illa, de qua in Cosmologia sermo erit, materia prima, quam scholastici vocant «potentiam puram» et «prope nihilum».

II. *Unumquodque secundum quod est actu et perfectum, secundum hoc est principium activum alicuius. Patitur autem unumquodque secundum quod est deficiens et imperfectum.*

---

[1] Cf. supra p. 270.

[2] Cf. *Mercier*, Métaphys. gén.[5] 367 sq.

Id est: quo maior est rei alicuius perfectio, eo magis potest actione sua implere capacitatem alterius, et contra: quo magis aliquid est in potentia, eo magis recipere potest. Sequitur ex ipsa perspecta veritate principii motus.

III. *Ab actu ad posse valet consecutio,* i. e. ex eo, quod res actu aliquid habet, sequitur, ut *possit* illud habere.

IV. *A posse ad actum non valet consecutio,* i. e. ex eo, quod res aliqua est in potentia ad aliquid, non sequitur, ut illud habeat actu.

Quorum effatorum veritas apparet ex ipsa notione actus et potentiae.

Articulus II.

DE ESSENTIA ET EXSISTENTIA.

§ 1. De essentia.

I. **Eius notio evolvitur.** Intimam rerum naturam intellectus humanus *primo intuitu* perspicere non potest, sed «rerum essentias quasi venatur». In homine e. g. cognoscendo primo permiscemus ea, quae ipsi necessario conveniunt, cum iis, quae, salva natura hominis, adesse vel abesse possunt. Reflexione deinde, abstractione, comparatione institutis, invenimus et clare perspicimus in ipso elementa, quae ab homine abesse non possunt, quin desinat esse homo, *illud scilicet ipsi intrinsecum, quo fit, ut habeat naturam hominis et non animalis bruti* e. g. vel lapidis: et hoc vocamus *essentiam.* Generatim proinde essentia declaratur ut sit *id, quo res est id quod est.*

Ex eo vero, quod essentia est id, quo res est id quod est, sequitur etiam, ut sit illud, quo res constituitur in propria sua specie, distincta ab aliis. Unde haec a S. Doctore proposita definitio: «*Essentia est illud, per quod res constituitur in proprio genere vel specie, et quod significamus per definitionem indicantem, quid est res.*» [1]

---

[1] *S. Thom.*, De ente et essentia c. 1.

Essentia denique, cum sit esse fundamentale rei, cui cetera omnia superstruuntur, et a quo multa in re defluunt, definitur etiam saepenumero: *id quod in re percipitur tamquam primum eius constitutivum et tamquam fons omnium rei proprietatum.*

Ex his omnibus intellegitur, cur tam diversa sint *essentiae nomina.* Quatenus est id, quo res est id quod est, vel est fundans τὸ esse rei, dicitur *essentia* (a voce «esse»); quatenus est id, quo respondetur quaestioni: «Quid est hoc?» dicitur *quidditas;* quatenus est id, quo res habet suum esse speciale, distinctum ab aliorum esse, vocatur *species;* prout est id, quo res intellegitur, dicitur *ratio;* quatenus est fundamentum, quod proprietatibus defluentibus vel modificantibus accidentibus substat, dicitur *substantia;* prout denique est fons vel principium activitatis omnis rei supervenientis, dicitur *natura* [1].

Ex his quoque intelleges, cur corpora quaedam per quandam metaphoram dicantur essentiae. Vulgo enim substantiae quaedam vocantur «essence de citron», «essence de rose», quia in ipsis, remotis, in quantum fieri potest, omnibus elementis alienis, eae praesertim proprietates retinentur, quas habet tale corpus, quatenus est tale corpus.

II. **Species essentiae.** Duplex praesertim distingui potest essentia: essentia physica et essentia metaphysica.

Essentia *physica* est: elementum vel complexio elementorum alicuius rei constitutivorum, prout considerantur ut sunt *a parte rei.* Essentia physica hominis, Petri e. g., constituitur anima et corpore (materia).

1. Si constituitur unico elemento, dicitur *physice simplex;* talis est essentia Dei.

2. Si pluribus constituitur elementis, est *physice composita;* essentia hominis e. g.

---

[1] Cf. *Mercier,* Métaphys. gén.[5] 27 sqq.

Essentia *metaphysica* est: nota vel complexus notarum alicuius rei constitutivarum, non prout sunt in re, sed prout sunt abstracte consideratae ab intellectu nostro sub ideis universalibus, ut gradus metaphysici. Sic in homine essentia metaphysica est animalitas et rationalitas [1].

III. **Attributa essentiae.** 1. Essentiae sunt *immutabiles*.

De speciali Dei essentiae immutabilitate sermo erit in Theodicea.

Creaturarum vero essentias quod attinet, eo sensu immutabiles dicendae sunt, quod nullum ex elementis earum constitutivis demi potest, neque ullum aliud ipsis addi potest, quin desinant esse tales essentiae. Cuius rei veritas intellegitur ex ipsa notione essentiae, idque sub lumine principii contradictionis. Essentia enim est id, quo res est id quod est. Iam vero si, salva manente tali essentia, aliquid addi vel demi posset, aliquid simul esset id quod est, et non haberet totum id quod est, aliis verbis: aliquid simul esset id quod est, et non esset id quod est, i. e. idem simul esset et non esset: quod est contra principium contradictionis.

Propter hanc rationem, et eodem sensu, essentiae dicuntur etiam *indivisibiles*.

Sunt autem mutabiles et divisibiles essentiae finitae, quatenus possunt exsistere, incipere et desinere, vel qua-

---

[1] Essentia physica et metaphysica nonnumquam sumuntur etiam alio sensu, prout considerantur scilicet secundum necessitatem constitutivorum in esse et concipi. «Hoc sensu essentia physica est complexus omnium, sine quibus res non potest *exsistere*. Ita includit non solum partes constitutivas (sive physicas sive metaphysicas), sed etiam omne proprium, omnes necessarias rei facultates, potentias. Essentia vero metaphysica est complexus eorum, sine quibus res non potest *concipi:* et nihil expresse et formaliter continet nisi partes constitutivas, reliqua (proprietates) solum virtualiter» (*Frick,* Ontol.[4] 51).

tenus essentiae physice compositae possunt dissolvi in partes vel corrumpi.

2. Essentiae metaphysice consideratae in statu possibilium, sicut ipsa potentia obiectiva, sunt *necessariae* et *aeternae.*

Sunt *necessariae* eo sensu, quod mens clare videt eas non posse esse non possibiles, ut tales.

Sunt *aeternae* eo sensu, quod item mens videt eas tales esse numquam coepisse neque umquam desinere posse.

Alio sensu dicuntur etiam aeternae, sensu scilicet aeternitatis negativae, quia numquam repugnavit neque umquam repugnabit eas exsistere.

Quae ut rite intellegantur, notandum est aeternitatem communiter definiri ut sit: quaedam duratio sine initio et sine fine. Est autem:

a) Aeternitas *positiva:* duratio sine initio et sine fine in *essendo;* quae est:

α) *Realis:* duratio sine initio et sine fine in esse *actuali,* de qua sermo erit, ubi de Dei aeternitate dicemus.

β) *Idealis:* duratio sine initio et sine fine in esse possibili vel in esse cognito.

b) Aeternitas *negativa:* duratio sine initio et sine fine, non possibilitatis, sed indifferentiae ad exsistendum in quavis parte durationis indefinitae.

Quibus declaratis, essentiae dicuntur aeternae aeternitate positiva ideali, et aeternitate negativa.

§ 2. De exsistentia.

I. **Eius notio evolvitur.** Essentiae rerum finitarum vel creatarum, mundi e. g. vel animae nostrae, priusquam creatae sunt, erant essentiae possibiles vel potentiae obiectivae. Cum autem ex hoc statu possibilium ad ordinem entium actualium transierunt, perfectionem quandam,

actum, acquisiverunt, quo factum est, ut iam actuales sint. Actus ille dicitur *exsistentia*. Generatim proinde exsistentia definiri potest: *actualitas essentiae* seu *id, quo res est extra nihilum in ordine actualium.*

II. **De distinctione essentiae et exsistentiae.** Ex declarata exsistentiae notione clare apparet inter essentiam *possibilem* et exsistentiam eius esse distinctionem, quae exsistit inter rem unam et rem aliam. Alia enim est essentia possibilis dum in statu est possibilium, alia fit cum, exsistentia adveniente, ponitur in ordine actualium: actum enim novum, *novam perfectionem,* acquirit. Distinctionem autem, quae est inter rem unam et rem aliam, philosophi vocant distinctionem realem. Dicendum est proinde inter essentiam possibilem alicuius rei et eius exsistentiam esse distinctionem realem.

Sed ulterius quaeri potest, utrum, in re quadam *actuali,* inter essentiam eius physicam et actualem et eius exsistentiam sit eadem distinctio: utrum scilicet in tali re essentia *physica* et exsistentia eius sint duae *res,* an tantum duo *conceptus* diversi unius et eiusdem rei.

De hac re duplex est philosophorum sententia.

1. Alii enim, *Suaresius* [1] praesertim et cum ipso *Societatis Iesu doctores plurimi,* contendunt in re actuali essentiam et exsistentiam eius non esse nisi *duos conceptus diversos unius et eiusdem rei.* — Argumenta vero eorum praecipua haec sunt:

a) Essentiam dicunt, si ab actuali eius exsistentia abstrahatur, ne mente quidem concipi posse ut *rem quandam*

---

[1] *Franciscus Suarez,* Societatis Iesu (1548—1617), vir eximiae doctrinae, in theologia et philosophia scholastica lumen egregium. Inter opera eius (23 voll. in fol.) «Disputationes metaphysicae» et opus cui titulus «De anima» philosophis memoranda sunt. Opus vero ipsius theologicum praestantissimum est eius «Commentarius ac disputationes in Summam d. Thomae».

extra nihilum in rerum natura positam, quia essentia omnis physica in ordine actualium ponitur ipsa sua exsistentia. Proinde essentia et exsistentia est res eadem, quae dicitur essentia, quatenus consideratur in suis elementis constitutivis, exsistentia, quatenus consideratur eius esse in actu extra causas et extra intellectum.

b) «Si exsistentia est res distincta ab essentia reali, poterit virtute Dei separari; supponatur facta separatio, et habebimus essentiam exsistentem etiam post reiectam illam exsistentiam; et habebimus ex altera parte exsistentiam, quae in nulla re recepta sit.»

c) «Essentia, quae in se recipit exsistentiam ut formalitatem distinctam, aut putatur esse exsistens antecedenter ad hanc receptionem, aut non. Si iam exsistit, cur recipit? Si nondum exsistit, quomodo recipere potest?» [1]

d) Praeterea processum in infinitum hac sententia necessario induci autumant. Exsistentia enim, aiunt, si ab essentia distincta est ut res, suam necessario habet essentiam physicam, ita ut et exsistentia ipsa duabus realitatibus constituatur, essentia scilicet et exsistentia. In hac vero altera exsistentia eadem fieri potest distinctio realis inter essentiam et exsistentiam, et sic in infinitum: quod repugnat [2].

S. Doctoris auctoritatem quod attinet, adversarios immerito ad ipsam provocare contendunt, quia «ne unicus quidem locus certo genuinus in S. Thomae operibus inveniatur qui necessitet ad distinctionem realem adstruendam», cum verba eius de compositione metaphysica intellegi possint [3]; immo sententiam *Suaresii* cum tota S. Doctoris

---

[1] Cf. *Pesch,* Inst. log. II 2, 81.

[2] Cf. *Lehmen,* Lehrbuch der Philosophie I [3] 357 sq. — Cf. etiam *Frick,* Ontol. [4] 53—66.

[3] Cf. *Frick* ib. 62.

doctrina omnino et unice esse consonam ostendere conantur [1].

2. Alii, qui *Thomistae* dicuntur, quia in rebus controversis sententiam S. Doctoris se tueri profitentur, *distinctionem realem* admittunt. Fautores vero huius sententiae imprimis sunt *doctores Ordinis Praedicatorum,* inter quos *Caietanus* [2] eminet, doctores scholae quam «*neo-scholasticam*» vocant, inter quos claritate praestat *Mercier* [3]; item

---

[1] Audiatur *Frick* ib. 54: «De S. Thomae doctrina», inquit, «adhuc disputatur. Quam litem atque rationes ex utraque parte allatas brevi in compendio plene referri non posse concesseris, si ea tantum, quae hisce annis pro utraque parte in lucem edita sunt, perlegeris. Cf. *Feldner* in Jahrbuch für Phil. u. spek. Theol., vol. II—VII; *Rittler,* Wesenheit und Dasein in den Geschöpfen; *Limbourg,* De distinctione essentiae ab exsistentia theses quattuor; *Felchlin* in Zeitschrift für kathol. Theologie XVI 82 et 428; praeterea libros textus et compendia philosophiae nuper edita. — Integrum volumen de quaestione hac diligenter conscripsit Piccirelli S. J.: ,Disquisitio metaphysica, theologica, critica de distinctione actuatam inter essentiam exsistentiamque creati entis intercedente' (8° [240], Neapoli 1906, Michael Sauria). Quare sufficiat nobis partim in ipsis argumentis partim in scholiis et obiectionum solutionibus breviter ostendisse thesim nostram (Suarezii) neque a mente neque a verbis Doctoris Angelici esse alienam, sed cum tota eius doctrina omnino et unice consonam. Neque vero rationes a PP. Limbourg et Felchlin allatae adhuc refutari potuerunt, sed quae contra prioris expositionem doctrinae S. Thomae obiecta fuere, solutionem lucidam nacta sunt a P. *Noldin* in Zeitschrift für kathol. Theol. XIV 154 sq.» — Num vero haec omnia Frick ostendat tibi, intelleges cum argumenta eius et scholia et obiectionum solutiones (p. 55—66) perlegeris.

[2] Ex Ordine Praedicatorum clarissimus P. *Lepidi* sententiam contrariam tenet. «Non est res», inquit, «magni momenti, ut sapienter advertit Dominicus Soto, negare distinctionem realem essentiae et exsistentiae» (Elem. philos. christ. II 171).

[3] Qui de hac re dilucide disputavit Métaphys. gén.[5] 95—119.

nonnulli ex recentioribus Societatis Iesu scriptoribus, ut *Liberatore, Schiffini,* alii.

Rationes vero quibus sententiam suam firmant hae sunt:

a) Obscuritatem, quam adversarii in distinctione illa reprehendunt, ipsis vitio dant, quia non satis distinguant inter essentiae actualis *realitatem* et ipsius *actualitatem.* Essentia enim actualis, sic docent, a sua exsistentia non complete intrinsece constituitur, sed incomplete tantum vel quoad partem ut a comprincipio. Ab ipsa enim non habet suam *realitatem* vel suum esse specificum, quo scilicet sit talis vel talis naturae, sed tantum suam *actualitatem,* id scilicet, quo fit, ut exsistat in tali vel tali gradu entitatis [1].

---

[1] «L'opposition à la distinction réelle entre l'essence et l'existence vient souvent d'une interprétation erronée qui dissimule mal une pétition de principe. On attache au mot *réalité* la signification de chose existante, et comme il est absurde d'imaginer une chose existante sans existence, on conclut qu'il n'y a évidemment aucune réalité distincte de l'existence. L'objection peut être ainsi formulée: on y reconnaîtra sans peine une pétition de principe: L'essence d'une créature est ou n'est pas posée hors de ses causes. Si elle n'est pas posée hors de ses causes, elle n'est que possible. Si elle est posée hors de ses causes, elle est *réalisée* et, dès lors, il ne lui manque plus rien pour être existante. Donc une essence réalisée est existante, et par conséquent, entre l'essence et l'existence il n'y a point de distinction réelle. — Sans doute, répondrons-nous, l'essence d'une créature, tant qu'elle n'est pas posée hors de ses causes, n'est que possible. Sans doute encore, toute essence posée hors de ses causes est existante: cela aussi n'est pas en question. *Mais la question est de savoir, si* **l'essence** *posée hors de ses causes, que l'on suppose existante, est ou n'est pas identique à* **l'existence** *qui la fait exister.* En Dieu, l'essence existante s'identifie avec l'existence; mais chez les créatures, l'essence existante *est un sujet doué de l'existence,* chez lequel l'essence n'est pas identifiable à l'existence» (*Mercier,* Métaphys. gén. [5] 114 sq).

b) Realitatem vero illam essentiae revera aliam esse ac realitatem exsistentiae cum S. Doctore sic ostendunt: «Quidquid enim non est de intellectu essentiae vel quidditatis, hoc est adveniens extra et faciens compositionem cum essentia; quia nulla essentia sine his quae sunt partes essentiae intellegi potest. Omnis autem essentia vel quidditas intellegi potest sine hoc, quod aliquid intellegatur de esse suo facto: possum enim intellegere, quid est homo vel phoenix, et tamen ignorare, an esse habeat in rerum natura. Ergo patet, quod esse est aliud ab essentia vel quidditate, nisi forte sit aliqua res, cuius quidditas sit suum esse, et haec res non potest esse nisi una et prima.» [1]

---

[1] De ente et essentia c. 5. — Idem *Caietanus* sic declarat: «Sicut esse est duplex, scilicet exsistentiae et essentiae, ita duplex est *realitas* essentiae et exsistentiae: et licet nulla res componat *cum sua realitate,* tamen cum hoc stat quod componat cum *realitate exsistentiae;* unde essentia hominis, absolute, in reali praedicamento, substantiae scilicet, reponitur: posita autem in rerum natura fit realis realitate exsistentiae» (Comm. in op. de ente et essentia c. 5, q. 11 ad 4). — Inter alia, quibus ad firmandam suam sententiam utuntur, S. Doctoris argumenta haec praecipue proferuntur: De Verit. q. 27, a. 1 ad 8: «Omne quod est in genere substantiae, est compositum *reali compositione;* eo quod id quod est in praedicamento substantiae, est in suo *esse* subsistens; et oportet quod *esse* suum sit aliud quam ipsum; alias non posset differre secundum *esse* ab illis cum quibus convenit in ratione suae quidditatis. Et ideo, omne quod est directe in praedicamento substantiae, est compositum saltem ex *esse* et *quod est*»; et S. theol. 1, q. 6, a. 3 ad 2: «Licet unumquodque sit bonum, in quantum habet *esse,* tamen *essentia* rei creatae non est ipsum *esse.* Et ideo non sequitur, quod res creata sit bona per suam essentiam.» Cf. etiam *S. Thom.,* Summa c. gent. l. 2, c. 52, ubi has S. Doctoris habes conclusiones: «Oportet igitur in omni substantia quae est praeter ipsum (Deum), esse *aliud* ipsam substantiam, et *aliud* eius esse», et infra: «Nullius igitur substantiae creatae suum esse est sua substantia.» — Qui

c) Neque verum est — sic argumentari pergunt — essentiam consideratam ut ab exsistentia abstractam aliter concipi non posse, nisi ut est essentia mere possibilis. Concipitur illa quidem ut mere possibilis, si, abstractione quam *exclusivam* vocant, *ut non exsistens consideratur*, neque tamen ut mere possibilis menti apparet, si abstractione *praecisiva* tantum exsistentia in ipsa simpliciter *non consideratur* [1].

d) Quarta ratio desumitur ex conexione logica veritatis huius distinctionis cum nonnullis veritatibus philo-

---

plura hac de re legere desiderat adire potest *Fr. N. del Prado* in opere egregie conscripto, quod inscribitur «*De veritate fundamentali philosophiae christianae*» (Friburgi Helvetiorum 1911) p. 23 sqq. Argumentum S. Doctoris supra allatum ibi explanatum invenies p. 55 sqq; Criticam vero disputationis *Suaresii* hac de re ibidem habebis p. 180 sqq.

[1] «Il y a, à strictement parler, une nuance entre l'être *réel* et l'être *possible*. L'un et l'autre s'opposent à l'être *existant* ou *actuel*, mais différemment. On peut, en effet, ou ne pas considérer l'existence d'un être, ou le considérer comme n'existant pas; en d'autres mots, l'intelligence peut ou bien se borner à *ne pas inclure* dans son concept la raison d'existence, ou bien *exclure* de son concept la raison d'existence. Dans le premier cas, l'acte abstractif de l'intelligence est un acte de *précision* mentale, *abstractio praecisiva* (praecidere); dans le second cas, c'est un acte *d'exclusion, abstractio exclusiva.* Le terme de la première abstraction est une *essence réelle,* indifférente à son identité ou à sa non-identité avec l'existence ou à la non-existence, et c'est la raison pour laquelle l'opération qui y aboutit s'appelle aussi *abstractio secundum indifferentiam;* le terme de la seconde abstraction, c'est l'essence considérée comme n'existant pas, l'essence *possible* comme telle, *purement possible.* Pour faire voir que ces distinctions ne sont pas des subtilités vaines, il suffit de considérer que *l'Être divin,* qui est nécessairement ce qu'il est, peut être considérée, par abstraction, comme *essence,* mais ne peut être, sans erreur, considérée comme une essence *purement possible*» (*Mercier,* Métaphys. gén.[5] 25 sq).

sophiae scholasticae fundamentalibus. Quae talis sunt naturae, ut, negata hac distinctione, vel nullo modo vel multo difficilius explicentur. Sic enim:

α) Negata hac reali distinctione, thesis scholastica de unione substantiali *materiae et formae*[1] generatim, et speciatim thesis de unione animae et corporis in homine explicari non possunt. In homine enim *re* alia est essentia animae, alia essentia corporis vel materiae. Porro si re idem est essentia et exsistentia, duae erunt in homine realitates exsistentes singulae exsistentia propria. Sed inter duo entia, quae propriam singula habent exsistentiam, non potest concipi unio alia ac accidentalis. Revera tamen inter animam et materiam scholastici omnes profitentur unionem substantialem.

β) Sic etiam melius concipitur thesis de *distinctione facultatum in homine ab essentia,* item melius concipitur inhaesio accidentium in substantia, si concipiuntur haec omnia ut *realitates* diversae quidem sed exsistentes *exsistentia* una, quae est exsistentia substantiae; melius et clarius apparet distinctio inter essentiam divinam, cuius essentia *est* exsistere, et essentiam creaturarum, quae *recipit* exsistentiam, etc.[2]

e) Quinta denique ratio desumitur ex theologia sacra. Haec enim thesis magis iuvat ad sensum nonnullorum dogmatum religionis catholicae melius intellegendum[3].

---

[1] De hac re uberius sermo erit in Cosmologia.

[2] Cf. *del Prado* l. c. 130 sqq 198 sqq 205 sqq 395 sqq.

[3] «Il y a en Jésus-Christ deux natures, mais il n'y a qu'une seule personne. Comment rendre compte du sens de ce mystère? Selon les uns, l'union hypostatique du Christ a pour *raison* l'unicité d'existence. Suivant ces auteurs, l'humanité n'a pas, en effet, dans le Christ, son existence substantielle propre, mais existe parce que l'existence du Verbe lui est communiquée et supplée, d'une façon suréminente, à l'absence en elle d'une existence créée. Suivant

Sed haec omnia altiora sunt, quam ut proposita quaestio a philosophiae tironibus hic solvi possit. Optimam tamen disputationibus scholasticis praebet materiam.

Quae cum ita sint, haec animadvertisse satis erit:

1. Utraque sententia *ex doctorum auctoritate* suam habet probabilitatem, utrimque enim habes doctores sapientissimos.

2. Quapropter, quae magis placuerit, illam bona cum pace quisque teneat.

3. Sententia tamen de distinctione reali magis conducere videtur ad clariores efformandas nonnullas notiones, quae hoc tractatu sunt explicandae, quales sunt notiones *substantiae, accidentis, subsistentiae,* materiae primae et formae, aliorum; magis quoque cohaeret cum tota doctrina scholastica: *unde videtur esse verior atque doctrinae S. Doctoris conformior.*

---

l'opinion préférée de l'école dominicaine, l'union hypostatique n'a pas pour *raison* l'unicité d'existence, car l'existence *actualise* la réalité et n'a point d'autre rôle; une existence unique actualise une réalité supposée *une,* mais il ne lui appartient pas d'unifier les réalités qui par ailleurs seraient multiples. Néanmoins, pour l'école dominicaine aussi, l'union hypostatique a pour *conséquence* l'unicité d'existence. Donc, d'une part, les deux opinions s'accordent à ne reconnaître au Christ qu'une seule existence. Mais d'autre part, évidemment, l'essence humaine du Christ n'est pas l'essence du Verbe divin. Il s'ensuit qu'il y a une distinction réelle entre la nature humaine du Christ et son existence» (*Mercier,* Métaphys. gén.[5] 113). — Cf. *S. Thom.,* In III dist. 6, q. 2, a. 2 et q. 3, a. 2; *Billot,* De Verbo Incarnato thes. 7. Item Revue néo-scolastique 1906, 32 sqq: «Le point central de la controverse sur la distinction de l'essence et l'existence.» — Cf. etiam *del Prado,* De veritate fundamentali philosophiae christianae 493 sqq.

ARTICULUS III.

DE NECESSARIO ET INFINITO.

§ 1. De necessario.

Necessarium dicitur generatim *id, quod non potest non esse, sive in ordine actualium sive in ordine possibilium.*

Absolute necessarium dicitur illud, quod *independenter ab omni condicione* non potest non esse. Talia iam supra (p. 288) diximus esse essentias metaphysicas in ordine possibilium, talem in ordine actualium cognoscemus esse Deum.

Hypothetice necessarium est id, quod, posita quadam condicione, non potest non esse. Sic hypothetice necessarium est Petrum esse rationalem, supposita scilicet eius exsistentia.

In ordine vero actualium necessarium dicitur ens *illud, quod non potest non exsistere,* quia eius essentia includit exsistentiam, i. e. eius esse est exsistere. In tali ente fieri non potest distinctio illa realis inter essentiam possibilem et exsistentiam, quam supra memoravimus (p. 289 sqq).

Ens necessarium, cum exsistentiam habeat ab ipsa sua essentia, non autem ab alio, dicitur etiam *ens a se.* Tale ens revera exsistere ostendemus in Theodicea.

In ordine actualium enti necessario opponitur ens *contingens,* ens scilicet, *quod per se indifferens est ad exsistendum vel non exsistendum.* Cuiusmodi entis essentia non includit exsistentiam actualem, proinde realiter distingui potest circa ipsum inter essentiam possibilem et exsistentiam. Immo, cum e statu entis possibilis ad exsistentiam actualium transeat, ab alio sic transit ad esse, iuxta principium supra laudatum (p. 283). Proinde ens contingens dicitur etiam nonnumquam *ens ab alio.*

Ens a se in Theodicea ostendemus esse infinitum.

§ 2. De infinito.

Infinitum dicitur generatim *id, quod limitem non habet in sua perfectione.* Infinitum duplex praesertim distinguitur.

1. *Infinitum actu* dicitur id, *quod limitem non habet in esse actuali,* i. e. in iis, quae revera habentur. Ens illud, cum habeat omnimodam plenitudinem perfectionum sine ullo limite et in omni ordine, dicitur etiam ens absolute infinitum. Quodsi exsisteret ens quoddam habens actu determinatum quendam perfectionis gradum sine limite, ita ut in hoc determinato gradu haberet omnes perfectiones sine limite, sed excluderet perfectiones alius gradus, hoc ens diceretur actu *relative* infinitum. Cuiusmodi esset e. g. linea *actu* habens longitudinem infinitam. Sed talem lineam exsistere non posse ostendemus in Cosmologia.

2. Infinitum *potentia* dicitur illud, quod limites non habet in *esse possibili,* i. e. in iis, quae haberi *possunt.* Cuiusmodi infinitum, cum semper in tali determinato perfectionis ordine concipiatur, revera infinitum est relativum. Infinitam *potentia* e. g. concipimus lineam aliquam, item optime mens concipere potest generatim numerum potentia infinitum. Tale infinitum rectius dicitur *indefinitum.*

De *origine notionis infiniti* in mente nostra convenienter hoc loco disserere non possumus. Clara enim huius quaestionis solutio multa praesupponit ex iis, quae in Anthropologia et Theodicea sumus declaraturi.

Hoc unum hic monuisse satis erit: Ex notione finiti ad notionem infiniti certo assurgere non possumus per continuam finiti ad finitum additionem. Finitum enim, addito finito, semper erit finitum.

LIBER II.

DE PROPRIETATIBUS ENTIS TRANSCENDENTALIBUS.

PRAENOTIONES.

Proprietas in sensu stricto accepta est *id, quod necessario oritur ex aliqua essentia iam integre constituta.* Sic facultas ratiocinandi est proprietas hominis.

Ad rationem proinde proprietatis stricte sumptae pertinet, ut sit entitas quaedam positiva, quae in essentia rei non includatur, sed ipsi superaddatur ut aliquid ab ipsa realiter distinctum et necessario defluens.

Quo sensu stricto vox proprietatis hic non sumitur. Enti enim ut sic nulla positiva entitas *addi* potest, quae in ipsa non includatur. Sensu autem latiore et per quandam analogiam proprietates entis hic vocamus *respectus quosdam speciales, qui omni enti necessario conveniunt, quia sunt diversi aspectus unius et eiusdem rationis entis, qui tamen notione entis ut sic non necessario formaliter exprimuntur.*

Quae proprietates *transcendentales* dicuntur, quia nullo speciali entium genere continentur, sed «omne entium genus transcendentes» rationi entis ut sic necessario conveniunt.

Transcendentalia communiter numerari solent tria: unum, verum, bonum, de quibus iam speciatim est agendum.

CAPUT I.

DE UNITATE.

ARTICULUS I.

DE UNITATE PROPRIE SUMPTA.

§ 1. Notio unitatis.

Ens potest primo considerari *in ordine ad se.* Ex ipsa autem illa consideratione evidenter apparet illud revera

non divisum esse, nec dividi posse in plura, quale est ipsum, *sed esse indivisum in se.* Domus quaedam e. g. vel arbor non sunt divisae nec dividi possunt in plures domos vel arbores, quales sunt ipsae. Quae quidem *entis in se indivisio* dicitur unitas transcendentalis.

Eo ipso autem, quod ens est indivisum in se, sequitur, ut nequeat esse simul ipsum et alia, i. e. ut sit «divisum a quolibet alio». Sed haec est unitatis ratio secundaria, quae tamen non raro in definitione unitatis rationi primariae superadditur ita, ut unum dicant esse *id, quod est indivisum in se et divisum a quolibet alio* [1].

Sic uberius unitas transcendentalis definitur, ut sit proprietas entis, secundum quam est indivisum in se et divisum a quolibet alio (aliquid = aliud quid, omne ens est aliquid).

Ab unitate *transcendentali* distinguendae sunt: unitas mathematica vel numerica et unicitas.

Unitas *mathematica* vel *numerica* («die Eins»), si stricte sumitur, est *unitas rei quantae* **considerata ut mensura quantitatis,** sicut metrum assumitur ut unitas ad mensurandas extensiones. Dicitur proinde unitas mathematica esse principium numeri. Definitur vero *numerus,* ut sit: *multitudo mensurata per unum; multitudo* autem est, *quod est* ex unis, quorum unum non est alterum [2].

Unicitas autem («die Einzigkeit») est unitas rei taliter divisae a quolibet alio, ut excludatur exsistentia (sive actualis tantum, sive etiam possibilis) entis eiusdem ordinis et entitatis. Sic Deus dicitur esse unus = unicus.

---

[1] «Unum est», ait S. Doctor, «quod est indivisum in se et divisum ab aliis. Cum unumquodque autem creatum per essentiam suam distinguatur ab aliis, ipsa essentia creati, secundum quod est indivisa in se et distinguens ab aliis, est unitas eius.» Cf. *Lepidi,* Elem. philos. christ. II 46 et 47.

[2] *S. Thom.,* In I dist. 24, q. 1, a. 3 ad 2.

Unum transcendentale et unum numericum et unicum opponuntur multitudini, sed non eodem modo.

Unum transcendentale opponitur multitudini ut indivisum diviso; unum numericum opponitur multitudini, quae est numerus, ut mensura mensurato: unicum vero specialem illam determinationem addit, ut excludat exsistentiam entis eiusdem ordinis et entitatis [1].

§ 2. Species unitatis.

Unitas transcendentalis diverso modo distinguitur, ita ut sit: unitas realis et unitas logica.

I. *Unitas realis* est *indivisio alicuius rei, quae ut unum quid exsistit* **independenter a mentis consideratione.** Haec unitas generatim est vel simplicitatis vel compositionis.

1. Unitas *simplicitatis* est indivisio earum rerum, quae, cum partibus careant, non solum actu indivisae sunt, sed ne in plura quidem alia dividi possunt. Talis est unitas Dei, animae humanae etc.

2. Unitas *compositionis* est indivisio earum rerum, quae partibus realibus constant, et quae proinde actu quidem sunt indivisae, sed tamen in plura alia dividi possunt: unitas hominis vel alicuius societatis. Quae quidem compositionis unitas generatim duplex distinguitur: substantialis scilicet et accidentalis.

a) Unitas *substantialis* est indivisio alicuius substantiae, quae constat pluribus partibus essentiae ipsius constitutivis. Talis est unitas hominis constantis ex corpore et anima.

b) Unitas *accidentalis* est indivisio plurium substantiarum, non in se ipsis, quia revera sunt divisae et separatae, sed in accidente quodam communi ipsis superveniente, vel etiam, indivisio alicuius substantiae cum suis accidentibus. Talis est unitas duorum equorum unum currum trahentium, unitas membrorum Ecclesiae vel in

[1] *S. Thom.*, S. theol. 1, q. 11, a. 2.

genere alicuius societatis, unitas quae exsistit inter agentem et actionem eius.

Unitas illa, quando constituitur secundum leges naturae physicae, i. e. *libertate destitutae,* dicitur *physica;* unitas equorum, de quibus supra, unitas substantiae cum suis accidentibus.

Quando vero unitas accidentalis non secundum leges naturae physicae constituitur, sed *oritur ex libera agentium moralium ad unum finem* tendentia, tunc indivisio illa dicitur unitas moralis. Talis est unitas membrorum Ecclesiae.

Quodsi ad *originem* unitatis compositionis attendimus, aliam naturalem esse videmus, aliam artificialem.

a) Unitas *naturalis* ea est, quae oritur ex compositione plurium, quae ad unitatem constituendam natura sua ordinantur: unitas agentis cum sua actione, unitas animae et corporis in homine.

b) Unitas *artificialis* est indivisio eorum, quae ad unitatem constituendam non ex natura sua, sed ex externa quadam ordinatione directa sunt. Talis est unitas e. g. horologii vel vestis vel domus, aliorum eiusmodi [1].

II. *Unitas logica* vel *rationis:* est *indivisio plurium non in se, vel independenter a mente, sed in conceptu quodam universali, quem mens considerat ut totum, cuius partes sunt conceptus huius inferiora.* Sic inter Petrum et Paulum est unitas logica in conceptu hominis. Haec unitas est vel generica vel specifica, prout conceptus ille consideratur ut genus vel species.

Et haec erant dicenda de speciebus unitatis. Notandum vero est *relationem,* vi cuius plures res ita ordinantur, ut unum quid efficiant, a philosophis et theologis vocari

[1] Sunt qui de unitate *aggregationis* loquantur, e. g. acervi lapidum, urbis, silvae, propter *iuxtapositionem* lapidum, domorum, arborum. Sed nemo est, qui non videat talem unitatem non esse realem, sed tantum apparentem.

unionem, cuius proinde tot enumerari possunt species, quot unitatis compositionis divisiones esse diximus.

§ 3. Exsistentia unitatis in omni ente.

Omne ens est unum, vel *unum et ens convertuntur.* — Etenim «omne ens aut est simplex aut compositum. Quod autem est simplex, est indivisum et actu et potentia. Quod autem est compositum, non habet esse, quamdiu partes eius sunt divisae, sed postquam constituunt et componunt ipsum compositum. Unde manifestum est, quod esse cuiuslibet rei consistit in indivisione. Et inde est, quod unumquodque, sicut custodit suum esse, ita custodit suam unitatem» [1].

Articulus II.
DE IDENTITATE ET DE DISTINCTIONE.

Ex eo, quod ens est indivisum in se et divisum a quolibet alio, sequitur, ut cum se ipso comparatum sit idem sibi, idem ens, *identicum;* et contra, ut cum alio comparatum non sit idem ac illud aliud, sed sit ab ipso distinctum. Proinde sicut unitati opponitur multitudo, sic identitati opponitur distinctio. Sit ergo breviter de his duabus relationibus.

§ 1. De identitate.

Identitas (eadem entitas) in genere est: *quaedam relatio indivisionis plurium fundata in unitate quadam.*

Duplex distinguitur:

I. Identitas *absoluta* vel *realis*, quae est: *convenientia rei cum se ipsa.* Non est nisi relatio indivisionis inter ea, quae plura sunt secundum rationem tantum, re ipsa autem unum sunt. Sic Socrates est identicus sibi; quando enim

---

[1] *S. Thom.*, S. theol. I, q. II, a. I c.

Socrates cum Socrate comparatur, non re, sed per considerationem mentis tantum quasi duplicatur. Sic etiam identitas realis est inter Tullium et Ciceronem. Identitas absoluta vel realis triplex distinguitur:

1. *Metaphysica:* ea est, quae invenitur in re, quae *nullam, ne minimam quidem, mutationem patitur.* Talis identitas non est nisi in Deo.

2. *Physica:* ea est, quae invenitur in re, quae, *mutatis licet accidentibus,* eandem suam essentiam physicam iugiter servat. Sic anima humana, angelus semper sibi sunt identici.

3. *Moralis:* ea est, quae invenitur in re, quae, licet successive et vere mutetur, *eadem tamen videtur exterius* et in existimatione hominum. V. g. corpus humanum, societas etc.

II. Identitas *relativa* vel *logica* vel rationis, quae est: *relatio indivisionis fundata in unitate generica vel specifica.* Invenitur inter ea, quae plura sunt secundum rem, unum autem secundum rationem vel conceptum. E. g. inter Petrum et Paulum non est identitas realis, quia Petrus est revera diversus a Paulo, sed est identitas logica, quia secundum conceptum hominis, in quo conveniunt, sunt idem. Est autem:

1. *Essentialis,* quando conceptus, in quo fundatur identitas, repraesentat aliquid de essentia. Inter Petrum et Paulum est identitas logica essentialis. Et haec est:

a) *generica,* quando ille conceptus repraesentat genus; inter Petrum et asinum est identitas generica = animal;

b) *specifica,* quando ille conceptus repraesentat speciem = essentiam; inter Petrum et Paulum est identitas specifica.

2. *Accidentalis,* quando conceptus, in quo fundatur identitas, repraesentat aliquid accidentale. Inter papyrum album et nivem est identitas logica accidentalis, si mens attendit ad qualitatem albedinis. Est:

a) *qualitativa,* si conceptus ille repraesentat aliquid de qualitate, ut in exemplo modo allato;

b) *quantitativa*, si repraesentat aliquid pertinens ad quantitatem. Sic duo pondera centenorum grammorum, item duo metra dicuntur identica, identitate relativa quantitativa.

§ 2. De distinctione.

Identitati diximus opponi distinctionem, quae definitur: *absentia identitatis.*

Duplex generatim distinguitur:

I. Distinctio *realis: est absentia identitatis inter plures* res, *quarum una non est alia, independenter a consideratione mentis.* Talis est e. g. distinctio, quae est inter corpus et animam. Est aut maior aut minor.

Distinctio realis *maior* est absentia identitatis inter res, quae vel actu sunt divisae, vel, si sunt compositae, *entitatem* tamen singulae habent propriam. Haec distinctio est inter substantiam et substantiam vel etiam inter substantiam et accidentia quaedam, quae dicuntur absoluta [1].

Distinctio realis *minor:* est absentia identitatis inter rem et eius *modificationes*, e. g. inter motum et eius celeritatem.

II. Distinctio *rationis* (logica): *est absentia identitatis inter plures conceptus eiusdem rei.* Distinctio proinde illa convenit rebus propter operationem intellectus conspicientis ut distincta, quae a parte rei distincta non sunt. Talis est distinctio, quae ponitur in homine, quando in ipso distinguimus animal et rationale. Haec quoque distinctio duplex distinguitur:

1. Distinctio rationis *ratiocinatae,* vel *virtualis,* vel *cum fundamento in re:* ea est, quae de facto exsistit in intellectu, sed fundamentum (rationem distinctionis) in rebus supponit. Talis est distinctio, quae fit in homine inter animal

[1] Quid sit accidens absolutum, libro tertio declarabitur.

et rationale, et, ut dicetur in Theodicea, distinctio, quae est in Deo inter attributa divina.

Haec distinctio rationis ratiocinatae est aut perfecta aut imperfecta.

Perfecta ea est, quae fit *cum fundamento perfecto in re.* Fundamentum autem hoc perfectum in eo consistit, quod diversorum illorum conceptuum, quos nobis de una re efformamus, rationes obiectivae sunt *gradus* quidam diversi entis tales, ut alter considerari possit ut determinabilis, perfectibilis et in potentia, alter vero ut determinans, ut perficiens, ut actus potentiae prioris [1]. Ita fit, ut gradus illi, licet in ea natura, in qua simul insunt, non distinguantur nisi ratione, realiter tamen distincti exsistere possint et revera exsistant, in diversis scilicet individuis vel naturis. Sic habemus distinctionem rationis cum fundamento perfecto in re, in anima humana, inter animam vegetativam et animam rationalem, et in homine ipso, inter animalitatem et rationalitatem. Licet enim in homine anima vegetativa et anima rationalis re eadem sit, rationes tamen obiectivae diversorum illorum conceptuum separatim exsistere possunt: vita scilicet vegetativa in planta, vita vero sensitiva separatim a vita rationali in brutis.

Imperfecta ea est, quae fit cum fundamento imperfecto in re. Fundamentum autem illud imperfectum in eo consistit, quod, cum de una et eadem re plures nobis conceptus efformamus, ratio ab uno conceptu manifestata praescindit solummodo ab *expressa* conceptione alterius, quamvis haec *implicite* contineatur in priore, quia ambae ita cohaerent, ut separatim nusquam inveniantur nec inveniri possint. Talis est e. g. in Petro distinctio inter ens et vivens propter notionis entis *imperfectionem.* Talem dicemus, in Theodicea, in Deo esse distinctionem inter

[1] Gradus illos ex Criteriologia scimus vocari *metaphysicos.* Cf. supra p. 209.

iustitiam et bonitatem, propter utriusque attributi *perfectionem infinitam*[1].

2. Distinctio rationis *ratiocinantis:* ea est, quae fit propter operationem intellectus *sine ullo fundamento* directo in rebus; e. g. distinctio inter hominem et animal rationale, inter Tullium et Ciceronem.

Articulus III.

DE SIMILITUDINE ET DE DIFFERENTIA.

Ex identitate rerum logica sequitur rerum *similitudo,* et ex distinctione earum oritur *differentia* et *diversitas.*

§ 1. De similitudine et aequalitate.

Si *late* sumitur vox similitudinis, significat convenientiam distinctorum propter identitatem logicam sive *essentialem* sive *accidentalem;* sic Petrus et Paulus similes dici possunt propter identitatem specificam.

Sed *ex usu communiore* similitudo vigere dicitur inter res, quae habent aliquam identitatem logicam *accidentalem.*

Convenientia, quae oritur inter plures res propter identitatem logicam accidentalem *qualitativam,* proprie dicitur *similitudo;* sic papyrus albus similis dicitur nivi.

Convenientia vero, quae oritur ex identitate logica accidentali *quantitativa,* proprie dicitur *aequalitas.* Sic duo pondera centenorum grammorum dicuntur, non similia, si stricte loquimur, sed aequivalentia vel aequalia.

§ 2. De differentia et diversitate.

Res distinctae sunt diversae vel differentes.

Diversitas est distinctio, quae exsistit inter plures res ita, ut *ne genere quidem proximo conveniant.* Sic homo et lapis sunt res diversae.

---

[1] Cf. supra p. 262.

Differentia est distinctio, quae exsistit inter res realiter quidem inter se diversas, sed genere proximo convenientes. Sic homo et leo dicuntur differentes.

CAPUT II.

DE VERITATE.

ARTICULUS I.

DE VERITATE TRANSCENDENTALI IN SE SUMPTA.

§ 1. **Notio veritatis evolvitur**[1].

Ens potest considerari non solum in ordine ad se ipsum, sed etiam *sub relationibus, quas necessario habet* cum aliis i. e. cum intellectu quodam et cum voluntate[2].

Et primo quidem ens, si consideratur in relatione, quam habet *cum intellectu,* apparet ipsi ita obici vel obici posse, ut intellectui de rationibus eius iudicanti sit conforme. Quae relatio conformitatis rei cum intellectu dicitur veritas *ontologica* vel *obiectiva* vel etiam, cum omni enti conveniat, *transcendentalis.* Brevius definitur: *Adaequatio rei ad intellectum.*

Veritas proinde ontologica non est ens in se ipso, absolute spectatum, sed formaliter consistit in relatione conformitatis entis cum intellectu[3].

---

[1] Cf. supra p. 132.

[2] Ad rem S. Doctor: «Si ens», inquit, «consideratur secundum ordinem unius ad alterum, potest considerari negative, in quantum est *aliquid* i. e. ab aliis divisum, vel positive, secundum convenientiam unius entis ad aliud; et hoc quidem non potest esse nisi accipiatur aliquid quod notum sit convenire cum omni ente. Hoc autem est anima, quae quodammodo est omnia, sicut dicitur in 3 de Anima. In anima autem est vis cognitiva et appetitiva. Convenientiam ergo entis ad appetitum exprimit hoc nomen *bonum.* Convenientiam vero entis ad intellectum exprimit hoc nomen *verum*» (De verit. q. 1, a. 1).

[3] «Il ne viendra à la pensée de personne de dire que le vin est vrai, mais on dira que telle substance, qui est du jus de raisin

Iam vero, cum ens in tantum possit habere relationem conformitatis cum intellectu, in quantum habet esse, ipsa rerum entitas dicitur esse fundamentum veritatis vel veritas fundamentalis [1].

A veritate ontologica, i. e. in essendo, distinguenda est

1. veritas in cognoscendo vel *logica,* quae definitur: *conformitas vel adaequatio intellectus ad rem.* Formaliter autem inspecta consistit non in intellectu absolute spectato, sed in relatione conformitatis *iudicii* intellectus cum enuntiabili in re. Veritas enim logica invenitur non in simplici apprehensione, sed in iudicio, sicut rem iam supra in Criteriologia declaravimus [2].

2. veritas in significando vel *moralis,* quae est *conformitas vel adaequatio sermonis ad sententiam loquentis* [3].

---

fermenté, est du vrai vin. On ne dira pas qu'une physionomie est vraie, mais on dira qu'elle est une vraie physionomie d'honnête homme ou une vraie physionomie d'assassin. L'attribut *vrai, véritable,* n'est donc pas appliqué à une chose considérée à l'état absolu; il est réservé aux choses référées à leur type idéal, que nous supposons connu d'ailleurs, et jugées de même nature que lui. La *vérité ontologique* est donc un rapport d'identité de nature entre une chose présente et un type idéal présupposé. Voilà le sens de la définition, universellement acceptée, de la vérité: *Veritas est adaequatio rei et intellectus.* Par *res* il faut entendre une chose que nous percevons ou que nous imaginons au moment présent. Par *intellectus* il faut entendre la notion préalable de la chose perçue ou imaginée. La conformité exacte, *adaequatio vel conformitas,* du sujet perçu ou imaginé avec son type mental, est sa vérité» (*Mercier,* Métaphys. gén.[5] 185).

[1] «Veut-on appliquer à la *chose* elle-même, en son état absolu, les expressions ‚vrai fondamental', ‚vérité fondamentale', nous n'y contredirons pas; mais alors on doit se souvenir qu'une vérité ‚fondamentale' n'est vérité qu'en puissance; ce n'est pas une vérité actuelle et formelle» (*Mercier* l. c. 190).

[2] Cf. supra p. 133 et 232 sq.

[3] De relatione conformitatis entis cum *idea Dei* in notione veritatis evolvenda consulto nihil diximus, ut ad rationis praecepta ea

§ 2. Diversae veritatis species synthetice exponuntur.

Veritas in genere est adaequatio rei et intellectus. Triplex distinguitur:

---

quae declaranda sunt accommodemus. Neque enim Deum *esse* philosophicis argumentis comprobatum habemus, neque qualis sit eius intellectus ostendimus. Posita autem Dei exsistentia rerumque omnium ab eo dependentia recte res omnes dicuntur verae veritate transcendentali, quatenus habent conformitatem ad ideas archetypas, secundum quas ab aeterno Deus cognoscit suam essentiam ut imitabilem ad extra. Immo cum res suum esse et proinde suam cognoscibilitatem habeant a Deo independenter ab omni intellectu creato, earum relatio conformitatis cum intellectu divino dicitur veritas ontologica *essentialis* et *primaria,* haec altera vero relatio, ea scilicet quae est ad intellectum humanum, per *accidens* nominatur et *secundaria.* Res enim essent verae, i. e. haberent relationem conformitatis cum intellectu quodam (divino scilicet), etiam si nullus intellectus creatus exsisteret. — Idem dicendum est de *veritate logica.* Quae, si consideratur in intellectu divino, est aeterna et immutabilis sicut ipse Deus, in quo considerari debet tamquam causa exemplaris et efficiens veritatis transcendentalis rerum. Si consideratur in intellectu creato, non est aeterna sed contingens et considerari debet ut dependens a veritate transcendentali rerum. Unde veritas transcendentalis rerum se habet ad veritatem logicam intellectus creati ut mensura ad mensuratum; ad veritatem autem logicam intellectus divini ut mensuratum ad mensuram. Cum autem intellectus Dei sit causa omnis veritatis rerum, veritas per prius dicitur de veritate in cognoscendo quam de veritate in essendo.

Quibus omnibus suppositis, tota de veritate doctrina compendiose sic declarari potest: Veritas primo est in intellectu Dei cognoscentis suam essentiam; secundo, in rebus creatis, quatenus ideis divinis sunt conformes vel conformitatem in intellectu creato gignere possunt; tertio, in intellectu creato cognoscente essentias creaturarum; quarto denique in sermone, quatenus est conformis ideis nostris. Cum autem Deus sit ultimum fundamentum omnis esse, clare apparet ipsum etiam ultimum fundamentum omnis veritatis dici posse.

veritas ontologica (metaphysica, transcendentalis): adaequatio rei ad intellectum;

veritas logica: adaequatio intellectus ad rem;

veritas moralis: adaequatio sermonis ad intellectum (sententiam) loquentis.

In ontologia non agitur nisi de *veritate ontologica vel transcendentali.*

§ 3. De veritatis transcendentalis exsistentia.

Omne ens est verum, vel *ens et verum convertuntur.* Haec propositio iam inchoative experientia probatur. Consideranti enim apparet singula quae observantur entia relationem illam conformitatis habere cum intellectu. Perficitur autem haec probatio ratione, a priori, ex ipsa natura intellectus, quem ad hoc natum esse scimus, ut rerum veritatem cognoscat; unde ens, in quantum est ens, aptitudinem habet ad veram sui cognitionem in intellectu gignendam. Neque enim ad essentiam veritatis obiectivae pertinet conformitas *actualis* rei cum intellectu, sed tantum potentialis [1].

Articulus II.

DE VERITATIS OPPOSITO SIVE DE FALSITATE.

§ 1. Notio falsitatis.

I. Nisi ens haberet esse conformabile intellectui, in rebus esset *falsitas transcendentalis,* quae definitur: *inadaequatio vel absentia conformitatis inter rem et intellectum.*

[1] Cf. *Mercier,* Métaphys. gén. [5] 196 sqq. — Admissa autem Dei infinita intellegentia rerum omnium causa sic cum Lepidi (Elem. philos. christ. II 50) argumentari licet: «Omne ens est quaedam expressio et imitatio divinae cogitationis, qua Deus se et omnia, actualia et possibilia, intellegit. Insuper omne ens aptitudinem habet, ut veram aestimationem sui possit de se facere in quocumque intellectu creato.»

II. A falsitate illa transcendentali distinguitur falsitas logica et falsitas moralis.

Falsitas *logica:* est *inadaequatio vel absentia conformitatis intellectus nostri cum rebus ipsis.* Haec falsitas formaliter exsistit in iudicio intellectus tribuentis rei, cuius essentiam intellegit, aliquid, quod ei opponitur. Dicitur etiam error [1].

Falsitas *moralis:* est inadaequatio vel *absentia conformitatis sermonis cum intellectu* (sententia) *loquentis.* Sermo tali falsitate affectus, si fit cum intentione decipiendi, vel saltem cum voluntate dicendi falsum, dicitur *mendacium:* «locutio contra mentem cum intentione fallendi» *(Marc)* = «locutio contra mentem sive verbis sive actis» *(Lehmkuhl* [2]*)*.

§ 2. Exsistentia falsitatis.

I. Nulla res *ex se habet,* ut producat cognitionem difformem. Hoc enim idem esset, ac si res natae essent ad nos decipiendos. Unde *proprie* loquendo nulla res est falsa falsitate ontologica.

Per accidens autem et *improprie* loquendo res dici possunt falsae.

Per accidens, i. e. eo sensu, quod res propter quandam similitudinem naturalem, quam inter se habent, menti nostrae imperfectae et non satis attendenti *occasionem* praebent iudicium falsum de ipsis efformandi. Sic stannum dicitur falsum argentum.

Improprie vel *denominative,* eo scilicet, quod res, circa quam fit iudicium falsum, per attributionem quandam falsitatis logicae, ipsa quoque falsa dicitur. Sic idolum dicitur falsus deus. Quodsi nonnumquam falsae dicuntur res, quae non sunt conformes cum ideis artificis creati, hoc non nisi improprie loquendo dici solet, proprie

---

[1] Cf. supra p. 237. [2] Theol. mor. I [11] 509.

enim tales res dicuntur incongruae, deformes, malae, non bonae.

II. Esse autem nonnumquam falsitatem *logicam* in intellectu hominis vel falsitatem *moralem* in eius sermone, experientia satis superque constat [1].

Caput III.

DE BONO ET DE MALO.

Articulus I.

DE BONO.

§ 1. Eius notio.

Ens potest denique considerari in sua relatione cum *voluntate vel cum appetitu*; quo speciali ordine entis cum appetitu constituitur tertia eius proprietas transcendentalis, quae dicitur *bonitas*. Definitur autem bonitas, ut sit: *convenientia entis cum appetitu*. Bonitas transcendentalis, formaliter inspecta, est ipsum ens, quatenus amatur vel quatenus est appetibile a quocumque appetitu, voce appetitus in sensu latissimo sumpta, prout est «inclinatio entis ad aliquam rem sibi convenientem».

Ratio vero, propter quam ens aliquod appeti potest, est eius *perfectio* (actus, entitas): ideo enim appetitur ab appetitu creato, quia habet de esse, quod possit implere capacitatem appetentis. Proinde ipsa rerum entitas vel perfectio dicitur *fundamentum* bonitatis transcendentalis.

§ 2. Species bonitatis.

I. Praeter bonitatem transcendentalem vel metaphysicam, quae rebus convenit quatenus habent de esse, et quae proinde *omni enti* convenit, distinguitur etiam bonitas

---

[1] Cf. supra p. 197 et 237 sq.

naturalis vel physica et bonitas moralis, quae rebus conveniunt quatenus habent *tale* esse determinatum.

Bonitas naturalis vel *physica* est convenientia determinatae rei cum appetitu, fundata in eo, quod res illa habet omnes entitates vel perfectiones, quas secundum exigentiam suae naturae formaliter inspectae habere debet. Sic panis, *ut ens*, habet suam bonitatem metaphysicam; *ut panis* vero debitis perfectionibus praeditus, quatenus scilicet habet entitates omnes, quas habere debet, ut finem assequi possit, ad quem natura sua dirigitur (ad nutriendum), habet suam bonitatem physicam, quod, si desit aliqua ex his perfectionibus debitis, iam non dicitur physice bonus, sed malus, etsi semper, ut ens, metaphysice bonus est. Sic etiam *venenum,* ut ens, metaphysice bonum est; ut cibus vel potus, physice malum est; formaliter vero consideratum *ut venenum* physice bonum est, si habet omnes perfectiones requisitas ad finem veneni, ut veneni, obtinendum, i. e. si perfecte occidit.

Bonitas *moralis* est convenientia determinatae rei cum appetitu fundata in eo, quod illa res habet omnes entitates, omnes perfectiones, quas habere debet *secundum exigentiam alicuius regulae moralis, cui voluntas appetentis subicitur.* Sic actio, qua fur thecam nummariam divitis aperit ad rapiendam pecuniam, ut ens, habet suam bonitatem metaphysicam; ut talis determinata actio, facta secundum exigentiam naturae huius actionis, est physice bona; *quia vero fit contra regulam moralem,* secundum quam a voluntate libera dirigenda est, non est moraliter bona. Contra actio divitis aperientis thecam suam ad sublevandum pauperem est moraliter bona, quia fit secundum exigentiam regulae moralis, quia dives ad eleemosynam tribuendam obligatur in determinatis circumstantiis, i. e. habet entitates illas, quas habere debet, ut ad finem perveniat, ad quem voluntas libera tendere debet.

II. Cum bonitatis metaphysicae fundamentum sit ens, ipsum vero ens sit aut a se aut ab alio, bonitatem metaphysicam dividunt in bonitatem a se et bonitatem ab alio.

Bonitas a se est entis cum appetitu convenientia fundata in esse, quod a nullo alio procedit, sed est a se ipso. Talis est bonitas Dei.

Bonitas ab alio vel bonitas *participata* est entis cum appetitu convenientia fundata in esse participato, i. e. ab alio accepto. Talis est bonitas creaturarum omnium.

III. Bonitas sive physica sive moralis est:

1. Aut essentialis aut accidentalis.

Essentialis est bonitas fundata in ipsa rei entitate essentiali. Sic homo, quatenus est homo, habet bonitatem essentialem.

Accidentalis est bonitas fundata in iis, quae ad essentiam alicui rei accidunt. Sic philosophus, quatenus homo, habet bonitatem suam essentialem; quatenus vero philosophus est, habet bonitatem quandam accidentalem superadditam.

2. Aut apparens aut vera.

Apparens vel falsa est bonitas, quae revera non est bonitas, licet existimetur. Sic apparens erat bonitas moralis multarum pharisaeorum actionum.

Vera vel realis ea est bonitas, quae revera exsistit.

3. Vel honesta vel delectabilis vel utilis.

Honesta est entis cuiusdam determinati cum appetitu convenientia, fundata in eo, quod per se naturam ipsam perficit, *sine respectu ad delectationem;* bonitas e. g. primorum elementorum disciplinae philosophicae.

Delectabilis est entis cuiusdam determinati cum appetitu convenientia fundata in *delectatione,* quam ipsi affert.

Utilis est entis cuiusdam determinati cum appetitu convenientia fundata *non in eo, quod per se* naturam perficiat vel delectationem afferat, sed in eo, quod habet efficaciam boni alicuius producendi (medium).

§ 3. Exsistentia bonitatis transcendentalis.

Omne ens est bonum bonitate transcendentali, vel *ens et bonum convertuntur.*

«Omne ens, in quantum est ens, est quodammodo perfectum, quia omnis actus perfectio quaedam est. Perfectum vero habet rationem appetibilis et boni. Unde sequitur omne ens, in quantum huiusmodi, bonum esse.»[1]

Et re quidem vera, «omne ens ordinem habet ad divinam voluntatem: amat se ipsum Deus, amat et creaturas omnes actu exsistentes; sunt enim, quia Deus vult eas esse; amat quodammodo et ipsa possibilia, quatenus obiectum sunt divinae omnipotentiae. Praeterea omne ens amari potest a voluntate creata. Demum omne ens aliquo modo respectu sui est appetibile; quaecumque enim actu exsistunt, appetunt proprium esse et ab interitione fugiunt»[2].

Articulus II.

DE MALO.

§ 1. Notio mali.

Malitia transcendentalis esset non-convenientia entis cum appetitu, et formaliter esset ipsum ens, quatenus non esset appetibile ab ullo appetitu. Sed talis malitia non exsistit: omne ens enim, in quantum habet esse, in tantum «volitur», ut ita dicam, ab eo a quo habet suum esse; in iis autem, quae non sunt, in quantum consideratur ipsum non-ens, nulla invenitur relatio cum appetitu.

Loquendo proinde hic de malitia, sermonem facimus non nisi de malitia, prout opponitur bonitati physicae et bonitati morali, quae quidem malitia sic generatim inspecta definitur: non-convenientia entis determinati cum

[1] *S. Thom.,* S. theol. 1, q. 5, a. 6.

[2] *Lepidi,* Elem. philos. christ. II 50.

appetitu propter defectum perfectionis, quam habere debet. Malum autem est ipse defectus perfectionis debitae.

Ex his sequitur:

1. Malum non esse simplicem absentiam vel meram negationem entis, sed illam esse absentiam, quae dicitur *privatio*.

2. Malum non exsistere in se, sed exsistere tantum posse in bono.

§ 2. Species malitiae.

Distinguitur generatim:

I. Malitia *physica*, quae est: non-convenientia entis determinati cum appetitu propter defectum alicuius perfectionis, quam secundum exigentiam suae naturae formaliter inspectae habere debet. (Exemplum ut supra, ubi de bonitate physica sermo erat.)

II. Malitia *moralis:* non-convenientia entis determinati cum appetitu propter defectum alicuius perfectionis, quam habere debet secundum exigentiam alicuius regulae moralis, cui voluntas subicitur.

Scholion. Notandum est aliam relationem res habere cum voluntate Dei, aliam cum voluntate nostra. «Voluntas enim nostra non est causa bonitatis rerum, sed ab ea movetur sicut ab obiecto; amor noster, quo bonum alicui volumus, non est causa bonitatis ipsius; sed e converso, bonitas eius vel vera vel aestimata provocat amorem, quo ei volumus et bonum conservari quod habet et addi quod non habet, et ut ad hoc operemur. Sed amor Dei est profundens et creans bonitatem in rebus.» [1]

Ex his omnibus elucet veritas nonnullorum effatorum. E. g.:

I. *Bonum est diffusivum sui,* i. e. ad rationem boni pertinet, ut se cum aliis communicet, eodem modo, quo

[1] *S. Thom.,* S. theol. 1, q. 20, a. 2.

ad rationem finis pertinet movere et bonitatem mediis communicare.

II. *Bonum est ex integra causa, malum ex quovis defectu.* Constat huius effati veritas ex iis, quae diximus circa naturam bonitatis physicae et bonitatis moralis.

III. *Corruptio optimi pessima.*

Sequitur etiam ex dictis, ut, quod bonum est, id aliqua ratione etiam *perfectum* esse recte dicatur, si vox perfectionis sumitur in sensu entitatis cuiuscumque vel actus. Attamen solet vox perfectionis artius constringi, ut significet id omne reale, quod integrat et complet ens aliquod, ita ut *perfectum* dicatur *ens, cui nihil deest eorum, quae ad eius plenam integritatem requiruntur.* Hoc sensu non omne ens est perfectum, quia revera sunt entia physice vel moraliter mala. *Imperfectum* proinde dicitur id, cui aliquid deest ad omnimodam integritatem.

Perfectum est vel absolutum vel relativum: Perfectum *absolutum* est illud, *quod habet omnimodam plenitudinem entis sub omni respectu.* Sic Deus infinite est perfectus.

Perfectum autem *relativum* illud est, quod habet plenitudinem entis *in aliquo gradu.*

Liber III.

DE CATEGORIIS.

PRAENOTIONES.

I. *Categorias* vel praedicamenta in Logica [1] definivimus, ut sint: *suprema genera modorum, secundum quos res in natura exsistere possunt,* i. e. vel actu exsistunt vel saltem exsistere possunt.

---

[1] Cf. supra p. 33.

In hac tertia parte agitur proinde de primis divisionibus entis *realis,* non rationis [1], prout in *rerum natura* invenitur vel inveniri potest, aliis verbis: de primis divisionibus *entis realis finiti.*

Decem item ex Logica scimus ab Aristotele enumerata esse eiusmodi praedicamenta: *substantiam* scilicet, et novem *accidentia,* quae sunt: quantitas, relatio, qualitas, actio, passio, ubi, quando, situs, habitus. — Iam vero, ad naturam entis penitus perspiciendam modi illi essendi accuratius nobis sunt considerandi.

II. Duplici capite dicemus:

1. de substantia et de accidente generatim;
2. de praecipuis quibusdam accidentibus speciatim.

Caput I.
DE SUBSTANTIA ET DE ACCIDENTE GENERATIM.

Articulus I.
NOTIONES EVOLVUNTUR.

§ 1. Quomodo mens notiones substantiae et accidentis sibi efformet, ostenditur.

Sensu intimo ad affectiones nostras internas attendentes clare percipimus fieri in nobis, et maximam partem a nobis, multas modificationes: sentimus, intellegimus, appetimus, volumus, tristamur, gaudemus, dolore afficimur, delectamur, alia eiusmodi patimur vel agimus. Dicimus: ego sentio, ego cogito, ego dolore afficior etc.

Sensationes item, cogitationes, dolores sentimus *venire* et *transire;* illud autem ego, quod sentit et cogitat, clare percipimus *idem semper permanere* sub omnibus modificationibus, quae in nobis fiunt. Ego qui modo sentio, cogito,

---

[1] Cf. supra p. 266 sq.

volo, sum ille idem qui sentiebam, cogitabam, volebam heri, decem, viginti abhinc annis.

Percipimus proinde in nobis aliquid idem semper permanens realiter distinctum a modificationibus, quae in nobis fiunt. Illud enim, quod transit et mutatur, non potest esse idem re ac illud, quod idem semper permanet.

Modificationes vero illas transeuntes insuper sentimus revera nobis *inhaerere*, in nobis exsistere, ita ut dicamus «mea cogitatio», «meus dolor» etc. Illud «ego» sentimus his modificationibus quasi «substare», ipsum vero in nullo alio subsistere; sentio enim illud «ego» ita esse meum, ut non sit alius. Non dico e. g.: ego Petri, quasi meum «ego» inhaereret Petro, sed sentio me exsistere in me ipso.

Item *experientia externa* evidenter nobis apparet extra nos esse res, ut est color e. g. vel magnitudo vel forma vel sapor, quae nusquam naturaliter sunt nisi in alio, alias vero his substare, ita ut ipsae exsistant in se ipsis. Quas quidem res in aliis exsistentes videmus transire, venire et recedere, rem vero substantem percipimus eandem in sua natura permanere. Res illas transeuntes aliis tribuimus, ita ut dicamus color arboris, albedo parietis, res vero substantes numquam aliis tribuimus, ut ipsis inhaerentes.

Iam vero res, quae sic eadem permanet sub diversis his modificationibus, nihil aliud est nisi essentia speciali conceptu nobis manifestata[1]. Ipsam enim sub hoc respectu non concipimus ut ens *fundans τὸ esse rei*, sed ut *sustentaculum* vel subiectum inhaesionis illarum modificationum. Alio proinde termino diversum eiusdem rei conceptum exprimimus, ita ut *essentiam consideratam ut subiectum inhaesionis modificationum* vocemus *substantiam; ipsas vero modificationes vel entitates rei supervenientes* (sive

---

[1] Cf. supra p. 286.

ut propria sive ut accidentia praedicabilia), *consideratas ut naturaliter alii inhaerentes,* appellamus *accidentia* praedicamentalia.

§ 2. De definitione substantiae et accidentis.

I. *Definitio substantiae.*

Vera definitio declaratur. — Substantia a *scholasticis* communiter definitur, ut sit: *res, cuius quidditati competit, esse in se ipsa, non autem in alio tamquam in subiecto.* Dicitur:

cuius quidditati competit esse in se ipsa, non autem in alio, i. e. non dicimus substantiam esse *a se,* quasi non indigeret alio, *a quo* exsistentiam suam recipiat, sed ipsam declaramus esse rem, cui, si exsistentia ipsi tribuitur, debetur ut exsistat *in se,* quia satis firmitatis habet ex se, ut non indigeat alio, in quo inhaereat.

Dicimus autem: *cuius quidditati competit exsistere in se,* quia ad essentiam substantiae pertinet tantum, ut ipsi **debeatur** exsistere in se, non autem requiritur, ut **sit in se**[1].

Additur: *tamquam in subiecto.* Quia natura substantiae non impedit, quominus sit in alio tamquam pars in toto, vel contentum in continente, alia eiusmodi, sed tantum, quominus in ipso sit tamquam in subiecto *inhaesionis.*

---

[1] «Non est ergo definitio substantiae: ens per se sine subiecto, nec definitio accidentis: ens in subiecto; sed quidditati seu essentiae substantiae competit habere esse non in subiecto, quidditati autem sive essentiae accidentis competit habere esse in subiecto» (*S. Thom.* 3, q. 77, a. 1 ad 2). Admissa distinctione reali inter essentiam et exsistentiam haec notio optime explicatur ex consideratione naturae humanae in Christo. Essentia enim actualis humanitatis Christi, etsi non *propria* exsistentia subsistat, sed exsistentia Verbi, revera tamen est substantia et non accidens, quia quidditati ipsius *debetur* habere propriam exsistentiam. Cf. supra p. 295, not. 3.

Quibus omnibus declaratis, facile intelleges in omni *substantia* idem esse re substantiam, essentiam, naturam, ita ut inter tres illas formalitates non sit nisi distinctio rationis ratiocinatae [1].

Dicimus vero: «in omni substantia», quia de accidentibus haec propositio non valet. Ipsa enim accidentia habent essentiam, quae tamen substantia dici non potest.

Falsae definitiones reiciuntur. — Cavendae sunt quaedam falsae definitiones substantiae. Tales sunt:

1. Definitio a *Spinoza* tradita his verbis: *Per substantiam intellego id, quod in se est et per se concipitur, h. e. id, cuius conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat* [2]. Haec enim est definitio entis a se (p. 297). Vera esset, si unica esset substantia eaque divina, cuius res creatae non essent nisi modificationes vel accidentia. Hanc autem doctrinam pantheisticam falsam esse iam evidenti experientia interna constat, et ex dicendis in Theodicea comprobabitur.

2. Definitio *Cartesii: Substantia est res, quae ita exsistit, ut nulla alia re indigeat ad exsistendum* [3]. Soli enim enti a se vel Deo haec definitio convenit.

3. Definitio a *Leibnizio* [4] statuta: *Substantia est ens vi agendi praeditum.* Formaliter enim haec est definitio naturae.

[1] Cf. supra p. 305 et 286.

[2] *Baruch de Spinoza* (1632—1677) ex principiis pro arbitrio a se positis per intuitionem quandam, ut ipse putat, mathematicam deduxit pantheismum. Eius opus praecipuum est «Ethica», ordine geometrico demonstrata et in quinque partes distincta, in quibus agitur 1. de Deo, 2. de natura et origine mentis, 3. de origine et natura affectuum, 4. de servitute humana seu de affectuum viribus, 5. de potentia intellectus seu de libertate humana. Prima huius operis verba sunt octo definitiones, inter quas illa, quam hic referimus, tertia est.

[3] Princ. phil. P. I, § 51.

[4] *Godefridus Guilelmus Leibniz* (1646—1716). Ex praecipuis operibus philosophicis nominanda sunt: Nouveaux essais sur l'en-

II. *Definitio accidentis.*

Vox accidentis (ab accidendo, cadere ad) a philosophis duplici sensu accipi iam scimus ex disciplinis logicis [1]. Aliquando enim designat unum e quinque *praedicabilibus*, quintum scilicet, et tunc significat rem consideratam *secundum modum, quo praedicatur* de suo subiecto, quatenus scilicet est id, quod essentiae iam integre constitutae ita supervenit, ut possit in ipsa adesse vel abesse. Sic habitus scientiae philosophicae vel actio ratiocinandi dicitur de Socrate ut accidens eius. Tale accidens, quod praedicabile vocavimus, dicitur etiam *logicum*, quia formaliter ut universale reflexum non exsistit nisi in mente, cum fundamento in re.

Saepius autem designat unum de *praedicamentis* vel categoriis, et tunc significat rem consideratam *secundum modum, quo exsistit in natura*, quatenus scilicet est aliquid, cuius quidditati competit esse non in se, sed in alio tamquam in subiecto. Sic potentia intellegendi in homine est accidens, quia ei convenit esse non in se, sed in homine, cui inhaeret. Accidens praedicamentale, cum secundum id, quod eius conceptus repraesentat, revera sit in natura, dicitur etiam *reale*.

Accidens praedicabile opponitur speciei, generi, differentiae specificae, *proprio*; accidens autem praedicamentale opponitur substantiae. Unde fit, ut extensio ideae universalis accidentis praedicamentalis maior sit quam extensio accidentis praedicabilis: prior enim sese extendit ad entitates omnes, quae ut accidentia praedicabilia considerari possunt, et insuper ad ea, quae sunt proprium alicuius rei. Sic e. g. potentia ratiocinandi in homine non

---

tendement humain; Essais de Théodicée sur la bonté de Dieu, la liberté de l'homme et l'origine du mal; La Monadologie. Edit. *Erdmann* (Berol. 1840) 194 468 705.

[1] Cf. supra p. 31 et 33 sq.

est accidens, sed proprium *in ordine praedicabilium*, est autem accidens *in ordine praedicamentorum*, sicut et ipsa actio ratiocinandi, quae tamen est accidens in utroque ordine.

Agitur vero hic de accidente praedicamentali vel reali, quod definitur communiter: *res, cuius quidditati competit esse in alio tamquam in subiecto.* Dicitur:

1. *res, cuius quidditati* **competit** *esse in alio.* Id enim, quod iam supra de substantiae quidditate diximus, distinguendo inter *exigentiam* essentiae et ipsius huius *exigentiae impletionem*, similiter de accidente declarandum est. Non enim est de essentia accidentis etiam actu exsistentis, ut de facto subiecto suo inhaereat, sed quidditati eius tantum *debetur*, ut ipsi inhaereat, aliis verbis: ad essentiam accidentis pertinet tantum *aptitudo ad inhaerendum*[1]. Philosophi proinde et praesertim theologi, loquendo de inhaerentia accidentium, distinguunt inter inhaerentiam *aptitudinalem* et inhaerentiam *actualem*.

2. *esse in alio tamquam in subiecto.* Dicitur enim accidens esse in alio, non tamquam pars in toto, sicut anima est in homine, vel sicut contentum in continente,

---

[1] Ad rem S. Doctor: «Licet», inquit, «Deus posset aliquod accidens separare a subiecto, ut communiter tenetur de accidentibus hostiae consecratae, tamen quod illa accidentia non habent *aptitudinem* ad subiectum, hoc est impossibile» (Opusc. XLIV, tract. 1, c. 8). — Et alibi: «Non est haec vera definitio substantiae: substantia est quod per se est, vel accidens est quod est in alio; sed est circumlocutio verae descriptionis, quae talis intellegitur: *substantia est res, cuius naturae debetur esse non in alio; accidens vero est res, cuius naturae debetur esse in alio.* Unde patet quod, quamvis accidens miraculose sit non in subiecto, non tamen pertinet ad definitionem substantiae; non enim per hoc eius naturae debetur esse non in alio, nec egreditur definitionem accidentis, quia adhuc natura eius manet talis, ut ei debeatur esse in alio» (Quodlib. 9, q. 3, a. 3 ad 2).

vel res in loco, sed sicut in subiecto inhaesionis. Id est, accidens ex sua natura non satis perfectionis habet, ut in se exsistat, sed requiritur aliquid, quod ipsum sustentet, et illud aliquid *secundum consuetum ordinem naturae* est de facto eius subiectum vel substantia. Unde in Schola haec axiomata traduntur: «*Accidens est ens entis*» — «*Accidentis est inesse.*» Ex his etiam intelleges substantiae munus secundarium esse, ut sit subiectum accidentium [1].

Articulus II.

DE EXSISTENTIA SUBSTANTIARUM ET ACCIDENTIUM.

Exsistere substantias realiter distinctas ab accidentibus iam prioribus temporibus negaverunt *Empiristae* et *Sensistae*, qui docuerunt substantiam «nihil aliud esse nisi

---

[1] Qui distinctionem realem admittunt inter essentiam et exsistentiam actualem, rem sic explicare possunt: Accidentia habent essentiam actualem ut essentiam realiter distinctam a realitate substantiae, sed non habent exsistentiam propriam. In composito ex substantia et accidentibus alia res est essentia substantiae, alia res est essentia accidentis vel accidentium, *sed non nisi unica in ipsis est exsistentia:* exsistentia scilicet unica substantiae, qua exsistat accidens, vel, iuxta alios, exsistentia unica, quae simul sit exsistentia substantiae et accidentium. Ad rem clarissimus Mercier: «Il n'y a, à proprement parler, selon nous, ni existence substantielle ni existences accidentelles, mais *une seule* existence, propre au sujet individuel complet et distinct, suppôt ou personne: cette existence unique appartient *principalement* à la substance, parce que la substance est capable de soutenir elle-même l'existence — à ce titre l'existence est le *esse* entis in se; secondairement, elle est attribuable aux accidents, esse entis cui debetur esse in alio — parce que les accidents, pour pouvoir recevoir l'actuation, doivent affecter une substance, mais somme toute il suffit d'une existence, qui à des titres divers, appartienne simultanément à la substance et aux accidents» (Métaphys. gén. [5] 302).

complexum seu congeriem qualitatum quarundam, quas sensu percipimus, ignota ratione coexsistentium» (Locke, Hume, alii).

Eandem doctrinam nostris temporibus *Positivistae*[1] professi sunt, cum contenderent in homine ipso et generatim in tota rerum natura non esse nisi *seriem* eventuum vel «phaenomenorum»[2]. Quare specialis haec sententia Positivistarum «*phaenomenalismus*» nostris temporibus dicta est. Phaenomenalismum hunc multi ex modernis philosophis vel scientiae naturalis doctoribus professi sunt, cum *substantiam* cum rerum *activitate* confunderent; quare vocantur «Actualistae» et eorum sententia «*theoria actualitatis*». Ita, praeter *Taine, Théodule Ribot*[3], alii in Gallia,

---

[1] De Empiristis, Sensistis, Positivistis vide Criteriol. p. 175 sqq.

[2] Audiatur Taine in opere cui titulus «De l'intelligence» (I^8 8 et 9): «De même que la substance spirituelle est un fantôme créé par la conscience, de même la substance matérielle est un fantôme créé par les sens. . . . L'une et l'autre sont un courant d'événements homogènes que la conscience appelle des sensations, que les sens appellent des mouvements, et qui, de leur nature, sont toujours en train de périr et de naître. A côté de la gerbe lumineuse qui est nous-mêmes, il en est d'autres analogues qui composent le monde corporel, différentes d'aspect, mais les mêmes en nature. . . .» Et alibi (Histoire de la littérature anglaise V 397): «Nous croyons qu'il n'y a point de substance, mais seulement des systèmes de faits. Nous regardons l'idée de substance comme une illusion psychologique. . . . Nous pensons qu'il n'y a rien au monde que des faits et des lois, c'est-à-dire des événements et leurs rapports.»

[3] *Théodule Ribot,* 1839 Guingamp in Gallia natus, positivismum suum in libello periodico propugnat ab ipso edito qui inscribitur «Revue philosophique»; 1885 professor exstitit in collegio quod «Sorbonne» dicitur, ab anno vero 1888 in academia vulgo «Collège de France» nuncupata. Eius praecipua opera sunt: La psychologie anglaise contemporaine; La psychologie allemande contemporaine; La philosophie de Schopenhauer; Les maladies de

Paulsen, *Wundt*[1], alii in Germania, in Anglia *Thomas Huxley*[2]. Neque praetermittendi sunt *Kantius* eiusque asseclae, qui substantiam formam subiectivam a priori inditam atque omni valore obiectivo destitutam esse docent. Sed de subiectivismo illo supra (p. 145 sqq) satis diximus.

Hanc Sensistarum, Positivistarum, Phaenomenistarum sententiam perabsurdam esse manifeste apparet.

1. *Testimonia* enim illa, quae supra (p. 319 et 320) attulimus, sensuum externorum, praesertim vero conscientiae, tam *clara* sunt, ut plenissimam menti manifestent evidentiam, quae repudiari non possit nisi a sceptico.

---

la mémoire; Les maladies de la volonté; Les maladies de la personnalité; La psychologie des sentiments; Essai sur l'imagination créatrice; La logique des sentiments, etc. Cf. Herders Konversat.-Lex., art. Ribot, VII 532.

[1] *Guilelmus Wundt,* natus 1832 Neckarau, 1864 professor exstitit in Heidelberg, 1874 in Zürich, ab anno 1875 in Leipzig, ubi primum *laboratorium psychologiae experimentalis* instituit. Eius praecipua opera sunt: Grundzüge der physiologischen Psychologie; Untersuchungen zur Mechanik der Nerven und Nervenzentren; Lehrbuch der Physiologie des Menschen; Logik; Ethik; Vorlesungen über die Menschen- und Tierseele; Grundriß der Psychologie; System der Philosophie; Völkerpsychologie; quibus addendum est eius *periodicum* «Philosophische Studien», ab anno 1905 «Psychologische Studien» inscriptum. Eius systema psychologicum describit Mercier in opere «Les origines de la psychologie contemporaine»[2] 170—218.

[2] *Thomas Henricus Huxley,* 1825 Ealing in Anglia natus, 1895 Eastbourne mortuus est; 1854 scientiam naturalem docuit Lundinii in School of Mines, 1855 physiologiam in Royal Institution, 1863 anatomiam in Royale College of Surgeons. Fuit unus ex primis darwinismi fautoribus. Eius praecipua opera sunt: Man's Place in Nature; Lessons in Elementary Physiology; A manual of the Anatomy of Vertebrated Animals; Anatomy of Invertebrated Animals, etc. Cf. Herders Konversat.-Lex., art. Huxley, IV 701 sq.

Clare enim distinguimus inter «seriem illam eventuum sibi succedentium» et subiectum idem permanens sub diversis his modificationibus. Immo eadem vi conscientia nobis testatur esse e. g. aliquid in nobis idem permanens sub diversis modificationibus transeuntibus, qua nobis refert statum intellectus circa veritates, utrum scilicet cum certitudine adhaereat, an in dubio maneat. Iam vero, si in priore casu testimonium conscientiae ut mera *illusio* est habendum, idem eodem iure de statu mentis relative ad veritatem dicendum erit: et sic ruit omnis certitudo.

2. Quo factum est, ut *Positivistae sibi contradicant,* cum sententiam suam negent ipsis verbis, quibus illam adstruere conantur. Loquuntur enim non de «eventibus» quibuscumque, sed de *suis* eventibus, de eventibus quorum *ipsi* habent conscientiam. Sed «*meos* eventus» nemo dicere potest, nisi qui admittit praeter eventus ipsos esse aliquod *ego,* quod eventus illos habeat [1].

3. Permultas videmus realitates in hoc mundo. Porro vel hae omnes in se subsistunt, et tunc *substantiae* saltem realis erit notio; vel alia est in alia, quae in se subsistit et proinde substantia est; vel alia est in alia, quae rursus est in alia, et ita porro. Sed in infinitum sic progrediendum non est. Proinde tandem pervenire nos oportet ad rem, quae non inhaereat alteri, sed in se subsistat.

---

[1] «Aussi les phénoménalistes intransigeants, de la nuance de Huxley, Taine, ne parviennent-ils pas à énoncer leur système, sans affirmer les substances qu'ils avaient la prétention de supprimer? ‚Ce que *nous* appelons esprit, dit Huxley, n'est qu'un faisceau ou une collection de perceptions unies au moyen de certaines relations.' Taine aussi parle sans cesse de ‚*nos* événements', ‚de la trame d'événements qui est *nous-mêmes* et dont *nous* avons conscience' etc. Mais, remarque finement M. Émile Charles (Lect. de phil. II 327), pourquoi dire ‚*nos* événements', puisqu'il n'y a qu'eux et que *nous* ne sommes rien?» (*Mercier,* Métaphys. gén. [5] 259 sq.)

Atqui haec erit substantia. Ergo notio substantiae in realitate quadam fundatur neque merum est mentis figmentum. — De hac re uberius in Anthropologia.

ARTICULUS III.
DE DIVISIONE GENERALI SUBSTANTIAE ET ACCIDENTIS.

§ 1. De diversis substantiae speciebus.

Substantia dividitur in substantiam primam et substantiam secundam.

Substantia *prima* definitur: *res, quae neque in subiecto aliquo exsistit nec de subiecto aliquo praedicari potest.* Est ipsa essentia physica (p. 286) et individua, *quatenus consideratur in ipsa specialis ille modus essendi in se*, non in alio. Socrates e. g., hic homo, sunt substantiae primae. Substantia prima idem proinde est ac *substantia individua.*

Substantia *secunda* ea est, *quae non est quidem in subiecto, sed de subiecto praedicatur.* Est ipsa essentia metaphysica et *universalis,* vel unum ex elementis metaphysicae essentiae (sive genus sive differentia specifica), quatenus consideratur in ipsis modus specialis, secundum quem iis convenit exsistere, quando exsistunt in rerum natura; e. g. homo, animal rationale. Idem est proinde ac *substantia abstracta vel universalis.* Cuiusmodi substantiae non habent quidem subiectum *inhaesionis,* sed tamen subiectum *attributionis.* Dicimus enim: «Socrates est homo.» Pro maiore igitur gradu independentiae a subiecto substantia individua habet prioritatem prae substantia universali: recte proinde dicitur prima. — Agitur hic praesertim de substantia prima.

Substantia vero prima est vel completa vel incompleta.

Substantia *completa* est *ens ita per se exsistens, ut non ordinetur ad exsistendum cum alia substantia.* Tale ens

omnes operationes sibi consentaneas exercere potest per se ipsum, quin indigeat, ut *cum* alio exsistat [1]. Qualis est e. g. homo, equus, arbor etc.

Substantia *incompleta* est *ens per se exsistens, quod ordinatur ad exsistendum cum alia substantia.* Huiusmodi substantia talis est, ut vel nullas vel non omnes operationes sibi consentaneas exercere possit per se ipsam solam. Altera proinde substantia indiget, non ut ipsi inhaereat, quasi esset accidens, sed *cum qua* exsistat. Sic anima humana ad exercendas omnes operationes suas unione indiget cum corpore.

Substantia incompleta duplex distinguitur:

1. Substantia incompleta tum in ordine speciei tum in ordine *substantialitatis:* ea est, *quae nullas omnino operationes per se sola exercere potest, quia intrinsece,* i. e. *quoad ipsum esse, ab altera pendet.* Talis substantia exsistere non potest in sua essentia, nisi cum alia coniungatur. Talem in Anthropologia dicemus esse animam beluinam.

2. Substantia incompleta in ordine *speciei* tantum, non in ordine substantialitatis: ea est, *quae esse quidem et quasdam operationes sibi consentaneas exercere potest per se ipsa, sed non omnes.* Talem in Anthropologia probabimus esse animam humanam.

Substantias incompletas omnes videmus esse, non propter se, sed propter compositum, quod ex coniunctione substantiae incompletae cum altera substantia resultat, ita ut aliud compositum habeat dominium actionum. Sic anima humana non est sui, sed hominis, qui de ea dicit «anima mea», et operationes, quas anima elicit, suas vocat; homo enim dicit: ego cogito, ego volo, ego sentio,

---

[1] Cum substantia sit idem re ac natura, quoties in conceptu huius rei ad modum operandi magis attendis quam ad modum exsistendi, substantiam completam, mutato conceptu, *naturam* vocabis completam.

ego ambulo. Quapropter substantiae incompletae dicuntur non esse **sui iuris.** Sui iuris enim dicitur ille, qui **sui ipsius est et non alterius, ita ut sibi operetur et nulli communicet suarum actionum dominium.**

Substantiae vero completae, *secundum naturalem ordinem rerum,* omnes de facto sunt sui iuris, ita ut in hoc ordine naturali nulla umquam inventa sit substantia completa, quae non sibi sed alteri tribuerit actionum suarum dominium. Sed quidquid est de hac lege, *esse de facto sui iuris* ad essentiam substantiae completae non pertinet, nec ostendi potest rationi repugnare esse substantiam quandam completam, quae non sit sui iuris. Et re quidem vera, fide edocti secundum mysterium incarnationis, scimus in *Christo Domino* naturam humanam esse naturam vel substantiam completam nec tamen esse sui iuris vel sui ipsius, sed *Verbi,* quod actionum naturae humanae dominium habet.

Ratio vero, qua fit, ut substantia completa alteri non communicetur, sed sit sui iuris, dicitur **subsistentia.**

Substantia denique completa, quando de facto est sui iuris, dicitur suppositum, suppositum vero ratione praeditum dicitur persona. Proinde:

Suppositum est: **substantia individua completa et sui iuris**; e. g. equus, arbor, lapis.

Persona est: **substantia individua completa, sui iuris, ratione praedita**; e. g. Petrus, Socrates.

Notandum est suppositum vel hypostasim esse nomen genericum substantiae ratione carentis et substantiae rationalis. Proprie vero et sine addito dicitur de specie minus perfecta, sicut nomen genericum «animal» e. g. proprie dicitur de animali bruto.

Corollarium. Ex notione supposisti et personae haec defluunt axiomata:

I. *Actiones sunt suppositorum.*

Id est, actiones tribuuntur *ultimo* supposito vel personae, tamquam principio, quod actiones elicit. Sic e. g. quando manus scribit, non proprie et ultimo manus dicitur scribere, sed homo, ope manus; item quando corpus ambulat vel anima cogitat, non proprie corpus dicitur ambulare, anima cogitare; sed homo proprie dicitur ambulare, cogitare.

Cuius rei ratio est, quia agere proprie eius est, cuius est esse vel exsistere. Sed esse proprie est suppositi; partes autem vel naturae non sunt nisi propter subsistentiam suppositi [1]. Actiones proinde tribuuntur naturae et supposito, sed non eodem modo. Tribuuntur enim naturae ut principio, *quo* suppositum operatur, supposito vero ut principio, *quod* operatur. Quare scholastici naturam vocant *principium quo,* suppositum vero *principium quod.*

II. *Actiones participant dignitatem personae.*

Sequitur hoc axioma ex priore. Actionis enim dignitas generatim aestimanda est ex dignitate eius, *cuius est.* Sed actiones sunt suppositorum.

Duo illa axiomata non parvi sunt momenti, quando in theologia sacra agitur de operationibus Christi explicandis. Fide enim scimus naturam humanam Christi esse substantiam completam, nec tamen esse personam, sed subsistere subsistentia Verbi, ita ut in Christo sint duae naturae, humana scilicet et divina, sed non nisi una persona, quae est persona Verbi. Proinde si ad sensum huius mysterii explicandum adhibentur duo illa axiomata, recte dicitur: «Verbum passum est; Verbum mortuum est; Deus mortuus est; passio Christi est divina, est infinite meritoria.» Passio enim Christi, etsi naturae humanae tribuenda est ut principio *quo,* Verbi tamen est ut principii *quod.*

---

[1] Facilius haec intelleges, si, admissa distinctione reali inter essentiam et exsistentiam, *subsistentiam* idem esse senseris ac *exsistentiam*·

Quotiescumque vero huiusmodi propositiones theologicae examinandae erunt, servetur regula a S. Doctore his verbis proposita: «Terminus in *subiecto* positus tenetur *materialiter*, i. e. pro supposito; positus vero in *praedicato*, tenetur *formaliter*, i. e. pro natura significata.» [1] Quare recte dicitur: Christus est aeternus, i. e. ille qui est Christus, est aeternus; falso autem: Christus non est aeternus. Negatio enim removet attributum a subiecto sub omni respectu («est malignantis naturae»). Sed non est verum, illum, qui est Christus, sub omni respectu non esse aeternum, est enim aeternus ut Deus. Proinde si quis appellationem subiecti formalem vellet intellegendam esse, hanc suam sententiam, adhibita particula reduplicativa, formaliter exprimere debebat, dicendo e. g.: Christus, ut Christus (i. e. ut Homo-Deus), non est aeternus.

Scholion. I. *Quaeritur, num subsistentia sit realiter distincta ab essentia individua.*

Sensus huius quaestionis hic est: Ratio illa, qua fit, ut substantia completa individua sit sui iuris, estne aliquid positivum essentiae individuae ut complementum superadditum, ita ut suppositum sit res alia ac essentia individua, quae ex se complementum illud non habet? an aliquid est negativum, consistens in mera exclusione communionis unius substantiae cum alia, ita ut inter suppositum et essentiam individuam non sit nisi distinctio rationis cum fundamento in re?

Iam vero duplex hac de re exsistit inter philosophos et theologos *sententia*.

1. *Scotus* [2] enim et cum ipso multi ex recentioribus theologis et philosophis sentiunt distinctionem illam non esse nisi rationis ratiocinatae.

---

[1] Quam regulam explanatam habes supra p. 43, ubi de terminorum appellatione diximus.

[2] Cf. supra p. 8, not. 3.

Primo enim subsistentiam in aliquo *negativo* contineri contendunt, in exclusione scilicet communionis unius substantiae cum alia. Cuius rei hanc afferunt rationem: Substantia rationem suppositi acquirit eo ipso, quod excluditur a communione substantiva sua cum alia substantia, et contra, subsistentiam suam penitus amittit, si modus ille subsistendi separatim a quocumque alio aufertur. Sic e. g. manus mea, dum in communione substantiva mea exsistit, subsistentiam propriam non habet, sed est mea manus, in me subsistit, mihi operatur; quodsi separatur a corpore *ex sola hac separatione, quin ulla addatur nova realitas,* acquirit subsistentiam propriam. Ergo in modo exsistendi separatim a quocumque alio ratio formalis suppositi tota est sita. Haec autem ratio est aliquid negativi. Ergo subsistentia est aliquid negativi.

Sed — sic ratiocinando pergunt — «si ratio formalis suppositi nihil perfectionis addat ad naturam, et in aliquo negativo contineatur, aperte inde sequitur eam ab essentia individua non posse distingui realiter; non enim negatio rei ab eo, de quo dicitur, realiter distingui potest; negatio quippe rei non est res, sed nihil»[1].

2. *Thomistae* vero, illi praesertim qui distinctionem admittunt realem inter essentiam et exsistentiam[2], contendunt inter essentiam individuam et suppositum esse distinctionem realem, illamque saltem minorem (p. 305).

Subsistentiam enim admittunt esse aliquid *positivi,* complementum scilicet substantiae in linea substantiae, non naturae vel essentiae. Cuius assertionis praecipua ratio desumitur ex mysterio *Incarnationis.* Naturam enim humanam in Christo scimus de facto non habere subsistentiam propriam, sed subsistere subsistentia Verbi. Sed natura humana Christi est essentia quaedam vel natura singularis.

---

[1] *Lepidi,* Elem. philos. christ. II 192.

[2] Cf. supra p. 291.

Ergo natura singularis, qua talis, complemento indiget, ut subsistat. Sed id, quod concipi debet ut complementum ad aliquid *additum* et ab ipso separabile, est aliquid *positivi.*

Porro si subsistentia est positivum quid ad instar complementi naturae individuae additum, profecto realiter distinguitur ab hac natura, ita ut inter suppositum ipsum et essentiam individuam sit distinctio realis. *Quae clare concipies, si subsistentiam conceperis ut aliquid ab exsistentia non realiter distinctum*[1].

Utraque proinde sententia suam probabilitatem habet, sed sententia thomistica ad sensum mysterii Incarnationis explicandum videtur esse aptior; ceterum modo loquendi sanctorum, cum de hoc mysterio agunt, certo est conformior.

Quod ad *mentem S. Doctoris* hac in re attinet, dicendum est ipsum hanc quaestionem *explicite* non tractavisse; modus tamen eius loquendi sententiam thomisticam confirmare videtur[2]. Docet enim personalitatem angelicam vel humanam *destrui* vel *corrumpi* debuisse, si Christus assumpsisset naturam angelicam vel naturam humanam propria personalitate iam fruentem. Quod autem corrumpitur vel destruitur, altero manente, est aliquid positivum, realiter distinctum ab eo, a quo per corruptionem vel destructionem separatur[3].

---

[1] «Unio Incarnationis explicatur per hoc quod natura humana proprio actu essendi carens trahitur ad esse personale Verbi, atque hoc modo fit ut quo Verbum est homo; ideo in Christo unum est substantiale esse exsistentiae» (*Billot,* De Verbo incarn. q. 2, th. 7). — Sed non omnibus ille rem explicandi modus placet, cum conceptus exsistentiae alius videatur esse ac conceptus subsistentiae. Cf. de hac re *Mercier,* Métaphys. gén.[5] 282 sqq.

[2] Cf. *S. Thom.,* S. theol. 3, q. 4, a. 1 ad 3 et a. 2 c; item 3, q. 17, a. 2 c.

[3] Cf. *Lepidi* l. c. II 199, not. 5.

Notandum tamen suppositum vel personam duplici sensu accipi posse:

a) Saepenumero enim significatur ut ipsa essentia individua, quatenus exsistit in se et est sui iuris. Quando vox suppositi hoc sensu sumitur, valet controversia, de qua supra.

b) Communiter vero suppositum significatur ut totum habens essentiam et ea, quae superadduntur essentiae (hae dimensiones e. g., haec albedo etc.). Quo sensu acceptum suppositum *sine ullo dubio realiter* distinguitur ab essentia individua vel natura, sicut totum realiter distinguitur a parte [1].

II. Ex quibus omnibus conspicis hominem sola ratione cognoscere quidem posse suppositum et personalitatem, *perfectum* tamen harum rerum conceptum ex iis, quae fides docet, sibi efformare. Quare perfectus suppositi conceptus dicitur *mixtus,* i. e. partim ex ratione, partim ex revelatione acceptus [2].

III. Apparet etiam ex dictis, quam inepte [3] sentiant qui cum Cartesio, Kantio, aliis ex hodiernis philosophis personam *conscientia actuali* constitui putant. Hoc enim et philosophice et theologice falsum esse ex iis, quae supra declaravimus, ultro defluit.

Philosophice quidem falsum est, quia conscientia actualis est actio, operatio quaedam, cui competit inesse; personam autem concipimus ut subiectum rationale, cuius est haec actio: «actiones sunt suppositorum». — Praeterea si persona conscientia constitueretur actuali, infantes ante

[1] Cf. *S. Thom.,* S. theol. 3, q. 2, a. 3.

[2] Cf. *Frick,* Ontol.[4] 148.

[3] «Quidquid dicatur de potentiis animae, tamen nullus umquam opinetur, nisi insanus, quod habitus et actus animae sint ipsa eius essentia» (*S. Thom.,* Quaest. disp. 1 de spir. creat. a. 11 ad 1).

usum rationis, amentes, distracti, dormientes, cum conscientiam actualem non habeant, non essent personae, id quod omnes absurdum esse admittunt.

Theologice vero item talis sententia repugnat, praesertim propter mysterium Incarnationis et SS. Trinitatis. *Christus* enim, cum duas habeat naturas, duabus quoque fruitur conscientiis. Proinde, si persona conscientia constitueretur, duae in ipso essent personae, quod fidei contrarium est. Praeterea ratione et fide scimus in *Deo* esse unam naturam et proinde unam conscientiam, fide tamen docemur tres esse in Deo personas. Ergo personam conscientia actuali constitui est contra fidem vel doctrinam revelatam.

Neque conscientia *habituali* dici potest personam constitui, idque propter easdem rationes, nisi, verborum sensu ad arbitrium mutato, vocibus «conscientia habituali» intellegere velis ipsum suppositum rationale, non facultatem. Sed tunc de vocibus esset disputatio, quae viro sapienti digna non est. Conscientia enim habitualis idem est ac *ratio,* cuius est inesse. *Ratio enim, etsi id est, quo persona* **specifice** *distinguitur a supposito, tamen ipsam subsistentiam non constituit*[1].

§ 2. De diversis accidentium speciebus.

Novem de quibus supra diximus accidentia non eiusdem omnia sunt naturae.

I. Et primo quidem multa sunt accidentia, ea scilicet, quae in categoria relationis continentur, quorum esse, formaliter sumptum, ut relatio, non consistit nisi in respectu subiecti ad aliud: similitudo e. g., quae est inter

[1] «La raison, caractère spécifique de la personnalité, étant la racine de la conscience, on comprend que l'on ait été amené à confondre la conscience — au moins la conscience habituelle —, avec la personnalité» (*Mercier,* Métaphys. gén.[5] 293).

duos homines eiusdem indolis. Haec accidentia dicuntur *accidentia* **relativa**, et definiuntur: *accidentia, quae consistunt in respectu subiecti ad aliud.*

II. Secundum Cartesianos omnia accidentia vel sunt relativa vel ipsis aequiperari possunt, quatenus nullam subiecto afferunt entitatem, quae sit res alia ac ipsa substantia. Quapropter negant ipsi inter substantiam et accidentia eius esse distinctionem realem. Sed contra illos *contendimus esse complura accidentia, quorum esse non consistit in mero respectu subiecti ad aliud, sed quae perfectionem realem subiecto afferunt.* Hoc enim evidenter apparet experientia tum interna tum externa. Clare enim percipimus in nobis, substantia eadem permanente, fieri mutationes reales, nos e. g. de potentia acquirendi scientiam, i. e. de ignorantia, transire ad actum scientiae; scientiam vero illam esse entitatem vel perfectionem novam, animae nostrae superadditam, non merum respectum, qualis in nobis esset e. g. «esse cognitum» ab alio.

Idem clare videmus multoties fieri in substantiis extra nos exsistentibus.

Accidentia vero illa, quae realem subiecto afferunt perfectionem, dicuntur *accidentia* **absoluta** *in sensu lato* et definiuntur: *accidentia, quae realem perfectionem vel actum subiecto afferunt.* Talia sunt quantitas e. g. vel qualitas. Iam vero ad gradum entitatis huius perfectionis attendentes accidentis absoluti duplicem distinguere possumus speciem.

1. Vel enim *propriam habet entitatem*, quae ipsam substantiam immediate afficiat, et tunc dicitur accidens *absolutum in sensu stricto.* Talis communiter dicitur esse in corporibus quantitas vel extensio.

2. Vel non propriam habet entitatem, ita ut totum eius esse sit in *tali vel tali dispositione entitatis alius accidentis,* et tunc dicitur *accidens modale.* Qualis est e. g. figura vel forma, quae quantitatem afficiunt itaque dis-

ponunt, ut sit rotunda v. g. vel quadrata. Accidens illud non est omnino nihil in ordine actualium: «esse quadratum» enim, in quantitate, alia est res ac «esse rotundum»; est tamen valde imperfectum eiusmodi ens, non enim *propriam* habet entitatem accidens modale, quia illud reale, quod affert subiecto, consistit unice in entitatis accidentis modificatione vel dispositione. Accidens modale proinde dicitur etiam esse accidens accidentis [1].

Cum accidens modale propriam entitatem non habeat, metaphysice impossibile est ipsum exsistere de facto sine accidente, quod modificat; proinde definitur etiam saepenumero, ut sit: *accidens quod entitatem propriam non habet, aliud tamen accidens disponendo ita realiter afficit, ut subiectum illud sine illo quidem, ipsum vero sine subiecto ne divinitus quidem exsistere possit* [2].

III. Accidentia proinde modalia dici possunt etiam accidentia *inseparabilia,* quae scilicet sine subiecto non possunt in exsistentia permanere.

Accidentia vero absoluta quod attinet, quaeri potest, an ipsa, nonnulla saltem, licet essentialiter iis *conveniat* inesse in subiecto, tamen exsistere *possint* sine subiecto, ita ut sint *separabilia.*

Iam vero hoc fieri posse solo rationis lumine satis non apparet: experientia enim universalis non nisi de

---

[1] Praeter accidens modale, quod immediate afficit accidens aliud, alios complures distinguunt modos, inter quos *modos substantiales,* qui substantiam in ipsa ratione substantiae perficiunt; talis est e. g. modus unionis inter corpus et animam. Non loquimur hic de modis generatim, sed de speciali modo, qui dicitur *accidens modale.*

[2] «Modus non est proprie res seu entitas, et in hoc eius imperfectio maxime declaratur, quod semper esse debet affixus alteri, cui per se immediate unitur sine medio alio» (*Suarez,* Disp. metaph. disp. 7, sect 1, n. 19).

inhaerentia actuali testatur, ita ut mens magis inclinetur ad separabilitatem illam negandam. Fide autem melius edocti, ut *philosophi christiani,* hanc separabilitatem admittere possumus. Est enim communis theologorum sententia in SS. Eucharistia, sublata post consecrationem substantia panis, perdurare eius quantitatem, cui reliqua accidentia inhaereant [1].

Hoc autem rationi repugnare neminem certo *ostendere posse*, in Cosmologia probabimus, ubi de quantitate sermo erit.

Quae cum ita sint, sub respectu ipsius inhaerentiae accidentia dividi possunt in separabilia et inseparabilia, prout sine subiecto in exsistentia permanere possunt vel non.

Caput II.

DE PRAECIPUIS QUIBUSDAM ACCIDENTIBUS SPECIATIM.

Praenotamen. Inter novem ab Aristotele enumerata accidentia quaedam sunt, quae proprie loquendo rebus corporeis tantum conveniunt. Talia sunt: quantitas, locus (ubi), tempus (quando), situs, habitus. Alia vero rebus tum corporeis tum spiritualibus aeque sunt communia, et haec sunt: qualitas, relatio, actio, passio.

Iam vero, cum ontologiae sit considerare ens sub rationibus eius *maxime communibus,* de his quattuor ac-

---

[1] «Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiae sacramento remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine Domini nostri Iesu Christi, negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, *manentibus dumtaxat speciebus panis et vini*, quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat: anathema sit» (Conc. Trid. sess. 13, can. 2).

cidentibus hic tantum sermo erit. Alia vero, cum de ipsis *ideae metaphysicae*[1] efformari non possint, ad cosmologiam remittimus.

Articulus I.

DE QUALITATE.

§ 1. Notio.

Qualitas *stricte definiri non potest.* Nota enim, quae ut differentia specifica notae genericae accidentis superadditur, est de *primis notionibus.*

Est proinde haec notio simpliciter *declaranda.* Iam vero:

I. Si *latius* sumitur, designat *quidquid per modum accidentis* substantiae cuidam supervenire potest. Quo sensu omnia accidentia sunt qualitates.

II. Sed si *proprie* sumitur, prout ab aliis octo accidentibus distinguitur, ab *Alberto Magno*[2] declaratur, ut sit: «*accidens complens ac perficiens substantiam tam in exsistendo* (essendo) *quam in operando*». Id est: Qualitas est entitas quaedam, quae substantiae iam integre constitutae supervenit, ita ut, quando de corporibus agitur, substantia concipiatur extensione sua iam praedita. Supervenit autem ut aliquid, quod ipsam disponit vel in essendo vel in operando:

in *essendo,* i. e. supervenit substantiae, prout habet *esse* (perfectiones) secundum debitam vel indebitam mensuram disponendum (sanitas vel aegritudo);

in *operando,* i. e. prout habet *vires* secundum debitam vel indebitam mensuram disponendas (potentia operativa, puta intellectus).

---

[1] Cf. supra p. 23.

[2] Cf. supra p. 7, not. 2.

§ 2. Species.

Qualitates duplicis generis distinguuntur secundum duplicem finem definitione Alberti Magni indicatum. Dividuntur enim in entitativas et operativas.

I. Qualitates *entitativae* illae sunt, *quae complent et perficiunt substantiam in essendo.* Tales sunt:

1. *Habitus entitativus,* qui definitur: *qualitas stabilis, secundum quam bene vel male se habet subiectum in se ipso.* Dicitur:

stabilis, i. e. difficile mobilis, quia qualitas facile amovibilis a subiecto, secundum quam res bene vel male se habet in se ipsa, dicitur *dispositio* vel *indispositio:* aegritudo e. g.;

in se ipso, quia habitus entitativus immediate afficit esse rei: talis est e. g. sanitas vel morbus, et, in ordine supernaturali, gratia sanctificans.

2. *Forma* vel *figura,* quae est: *qualitas proveniens in substantia corporea ex dispositione partium quantitatis.* E. g. figura hominis. Voces formae et figurae saepe promiscue adhibentur; nonnumquam tamen specialem singulae habent significationem. Sic «*forma* potius spectatur *physice,* i. e. ut est in subiecto naturali ex determinatione naturae; *figura* potius spectatur *mathematice,* i. e. ut inest, per quantitatem, rebus mathematicis»[1]. Triangulus e. g. spectatus mathematice dicitur figura, sed res in natura exsistentes dicuntur habere formam trianguli, quadrati, circuli etc.

3. *Qualitas patibilis* definitur a scholasticis: «*alteratio in corpore sensibilis*». Hoc genere comprehenduntur qualitates omnes, quae sunt vel causa vel effectus modificationis cuiusdam in sensibus productae. Tales sunt calor, color, aliae eiusmodi proprietates corporeae sensibus per-

---

[1] *Frick,* Ontologia[4] 165. — Cf. etiam *S. Thom.,* In Phys. l. 7, lect. 3.

ceptibiles, *quidquid est de modo, quo scientiae inferiores earum naturam explicant.*

Quando huiusmodi qualitas cito transit, dicitur *passio.*

Ex his intellegis, cur motus appetitus sensitivi ortus ex apprehensione boni vel mali dicatur passio [1].

II. Qualitates *operativae* sunt qualitates, *quae complent et perficiunt substantiam in operando,* quatenus scilicet est natura. Duplex distinguitur qualitas operativa: potentia operativa et habitus operativus.

1. *Potentiam operativam,* quae dicitur etiam facultas, iam supra (p. 275) definivimus: *capacitatem aliquid faciendi.* Dicitur etiam saepenumero: *principium proximum alicuius operationis,* ut distinguatur a natura, quae est: principium remotum operationum [2]. Potentiam operativam scimus esse e. g. intellectum, voluntatem, potentiam ambulandi etc.

Quando debilis est haec potentia, dicitur *impotentia,* quae proinde definitur: potentiae operativae debilitas vel imbecillitas. Talis est e. g. mentis hebetudo, vel in sene v. g. impotentia ambulandi. Impotentia igitur, prout est qualitas, non est potentiae negatio vel privatio, sed tantum debilitas.

Potentiae operativae species iam nonnullas supra (p. 275) declaravimus. Uberiorem vero huius rei explanationem habebis in Anthropologia.

2. *Habitus operativus* ipsam potentiām ad bene vel male agendum disponit.

Definitio. Habitus operativus est: *qualitas stabilis potentiam disponens et promovens ad agendum alio potius quam*

---

[1] Huius notionis uberiorem explicationem habebis ex dicendis in Anthropologia.

[2] Potentiam operativam realiter distingui ab essentia vel natura, ita ut revera de principio remoto et de principio proximo sermo esse possit, intelleges ex iis praesertim, quae circa potentias hominis declaranda sunt in Anthropologia.

alio modo, bene vel male, iuxta modum scilicet, qui convenit vel repugnat naturae agentis. Talis est e. g. habitus recte ratiocinandi, quem acquirit philosophus.

Habitus proinde facultati immediate tribuit dispositionem quandam stabilem vel *inclinationem ad tali determinato modo agendum* potius quam alio. Consequenter confert etiam agenti *facilitatem* et *delectationem* in operando: sed haec duo sunt effectus habitus, non elementa eius constitutiva.

Species. Habitus, de quo hic sermo est, est habitus *proprie dictus* vel habitus disponens potentiam *immaterialem* vel rationalem. Perfecte enim et proprie loquendo habitus illam tantum potentiam perficere potest, quae in se non habet *determinationem intrinsecam* ad taliter vel taliter agendum; qualis est e. g. libera voluntas hominis. Huiusmodi habitus est e. g. virtus iustitiae.

Inveniuntur tamen in potentiis inferioribus vel materialibus, puta in potentiis brutorum, quasi imitationes quaedam horum habituum. Animalia e. g. ex actibus repetitis, sub directione hominis praesertim, maiorem *aptitudinem* vel *facilitatem* acquirere possunt. Qui quidem habitus, materiales potentias disponentes, dicuntur *habitus improprie dicti.*

Non loquimur hic nisi de habitibus proprie dictis et proinde de habitibus hominis prout est rationalis.

Habitus vero proprie dicti *ex parte originis* dividuntur in supernaturales et naturales.

Habitus *supernaturales* vel infusi ii sunt, *qui a Deo praeter exigentias et vires naturae homini infunduntur.* Tales sunt e. g. fides, spes, caritas. Cum habitus illi sint praeter exigentias et vires naturae, in ipsa natura humana, relative ad illos, nulla alia est potentia nisi potentia subiectiva oboedientialis [1]. Quemadmodum vero

---

[1] Cf. supra p. 275.

pro habitu entitativo gratiae sanctificantis subiectum huius potentiae oboedientialis est ipsa essentia animae, ita relative ad habitus supernaturales subiectum illud sunt potentiae operativae naturales. Ex his intelleges, cur theologi doceant habitus supernaturales vel infusos tribuere *ipsam facultatem* efficiendi actus supernaturales cum quadam facilitate intrinseca. Facilitatem autem *extrinsecam* per se non tribuunt, quia per se non auferunt impedimenta, quae provenire possunt ex concupiscentia vel ex mala consuetudine. Qua ratione etiam differunt ab habitibus naturalibus, qui facultatem non dant, quippe quae iam habeatur, sed ipsam facultatem ad agendum praeparant et inclinant, facilitatemque praebent sive intrinsecam sive extrinsecam [1].

Habitus *naturales* illi sunt, *qui vel a natura ipsa induntur vel viribus naturalibus acquiruntur.* Duplicis sunt speciei: habitus scilicet a natura inditi, qui proprie dicuntur «naturales», et habitus acquisiti.

a) Habitus *a natura inditi* sunt *naturales potentiarum ad suas operationes inclinationes.* Tales habitus sunt in omnibus hominibus, et sunt potius inchoatio quaedam habitus quam habitus proprie dictus. Exemplum huius rei praebet habitus cognitionis primorum principiorum [2].

b) Habitus *acquisiti* illi sunt, *qui ex actibus repetitis enascuntur.* Habitus illos secundum habitudinem ad rectum naturae ordinem dividunt in bonos vel virtutes et in malos vel vitia.

Virtus est: *habitus perficiens rationalem potentiam et inclinans* **ad bonum.**

Vitium est: *habitus virtuti oppositus,* i. e. *inclinans potentiam rationalem* **in malum.**

De diversis virtutis speciebus sermo erit in Ethica.

---

[1] Cf. *Marc,* Instit. moral. n. 412.

[2] *S. Thom.,* S. theol. 1, 2, q. 51, a. 1.

Articulus II.
DE RELATIONE.

§ 1. Notio.

Res his in terris, etsi distinctae sunt, immo diversae, non tamen separatim omnino coexsistunt sine ulla conexione. Sunt enim inter se ordinatae, aliae in alias influunt, aliae aliis inserviunt. Sol e. g. influit in vegetationem terrae, vegetantia inserviunt animalibus, animalia inserviunt hominibus, ipsi homines inter se ordinantur: filius e. g. dependet a patre, servus ordinatur ad herum etc. Res proinde aliae referuntur ad alias, et in illa habitudine unius rei ad aliam consistit entitas relationis.

Ad relationem quamcumque tria requiruntur: subiectum, terminus, fundamentum. Sit e. g. relatio similitudinis Petri cum Paulo in albedine. *Subiectum,* quod dicitur etiam *relatum,* est id, *quod* ad aliud refertur: Petrus. *Terminus* vel correlatum est id, *ad quod* subiectum refertur: Paulus. Subiectum et terminus vocantur etiam *extrema* relationis. *Fundamentum* est *ratio,* propter quam subiectum ad terminum refertur. Dicitur nonnumquam «tertium comparationis»: albedo.

Entitas autem relationis formaliter considerata est ipsum illud esse ad aliquid: in exemplo allato similitudo.

Potest proinde relatio generatim definiri: *habitudo seu respectus unius ad aliud.*

§ 2. Species.

Theologi, revelatione edocti, relationes cognoscunt in Deo increatas, eas scilicet, quae inter tres personas SS. Trinitatis exsistunt. De qua relatione nobis hic non est dicendum; loquimur enim tantum de ente prout exsistit vel exsistere potest in rerum natura. Relatio proinde, de qua hic sermo est, est *relatio creata.* Talis autem relatio duplex generatim distinguitur: rationis et realis.

I. Relatio *rationis* vel *logica* ea est, *quae pendet a considcratione mentis,* quatenus vel ab ipsa mente ponitur in rebus extra nos exsistentibus vel est tantum in mente inter plures conceptus. Relatio e. g. quae a mente ponitur inter olivam et pacem vel relatio praedicati, quae est inter «animal» et «homo» in propositione «homo est animal», sunt relationes logicae [1].

II. Relatio *realis* ea est, quae exsistit in rebus *independenter a consideratione mentis,* quatenus non solum termini exsistunt realiter distincti, sed etiam fundamentum relationis non a mente ponitur, sed exsistit in rebus. Talis est e. g. relatio, quae est inter opificem et opus.

Relatio realis est vel essentialis vel accidentalis.

1. Relatio *essentialis,* quae dicitur etiam transcendentalis, est *ipsa rei absolutae entitas ex sua essentia ad aliud relata.* Talis proinde relatio abesse non potest, salva rei essentia. Cuius rei exemplum habuimus in relationibus e. g. veritatis et bonitatis, quas habet ens omne relative ad intellectum; talis est etiam relatio, quae est inter animam et corpus, inter creaturam et Deum.

2. Relatio *accidentalis* vel praedicamentalis ea est, *quae oritur ex accidente quodam essentiae superveniente et substantiae inhaerente.* Talis relatio a subiecto proinde abesse vel in eo inesse potest, salva semper eius essentia. Accidentalis est e. g. relatio aequalitatis, quae est inter duas columnas eiusdem dimensionis.

Relatio essentialis, praesertim vero accidentalis, est vel non-mutua vel mutua.

a) Relatio *non-mutua* vel *mixta* ea est, *quae in* uno *tantum extremo realis est,* quatenus fundamentum huius relationis in uno tantum ex duobus extremis reale est. Talis est relatio, quae exsistit inter cognitum et cogno-

---

[1] Cf. *Frick,* Ontol.[4] 169 sqq; *Pesch,* Inst. log. II 2, 325; *Egger,* Enchiridion theol. dogm. spec. n. 92.

scentem, inter Deum creatorem et creaturam. In creatione enim et cognitione *intrinsece mutatur*[1] quidem creatura et cognoscens, nullo modo autem Deus vel res cognita. Realiter proinde refertur cognoscens ad cognitum, creatura ad creatorem; logice vero tantum cognitum ad cognoscentem, et creator ad creaturam.

b) Relatio *mutua* ea est, *quae in utroque extremo realis est.* In eiusmodi relationibus, si ad accidentales praesertim attendimus, non solum extrema sunt realiter distincta, sed in utroque extremo fundamentum est aliquid essentiae realiter superadditum[2]. Mutua est e. g. relatio, quae est inter patrem et filium, et generatim relatio, quae in rerum natura est inter causam et effectum. Productione enim et causa et effectus mutatione intrinseca revera afficiuntur, ita ut realiter duae adsint relationes: relatio e. g. paternitatis inter patrem et filium, et relatio filiationis inter filium et patrem.

Relatio mutua ipsa est vel aequiperantiae vel disquiperantiae:

relatio mutua *aequiperantiae* adest, quoties in utroque extremo fundamentum est *aequale,* i. e. eiusdem rationis; qualis est relatio aequalitatis, quae est inter duas columnas eiusdem dimensionis;

relatio mutua *disquiperantiae* dicitur, quando dicta ratio est *inaequalis,* ita ut unum extremum ut superius excellat, alterum ut inferius subiciatur; talis est relatio, quae viget inter patrem et filium[3].

---

[1] Cf. supra p. 279.

[2] Haec de relatione *creata* accidentali vera sunt, non autem de relationibus mutuis, quae in Deo increatae sunt. Lumine enim naturali ostendemus in Deo nihil esse, quod essentiae realiter addatur. Dicendum proinde erit in Deo generationem, quae est fundamentum relationis paternitatis divinae, ab essentia divina realiter non distingui.

[3] Cf. *Lepidi,* Elem. phil. christ. II 231.

Relationes omnes accidentales ad triplex genus revocari possunt. Vel enim fundantur in quantitate, et tunc habemus relationem *aequalitatis;* vel in qualitate, ex qua oritur relatio *similitudinis;* vel in actione et passione, unde relatio *originis* vel *causalitatis.*

§ 3. De exsistentia relationum realium.

Ad statum quaestionis. Scimus esse relationes, quae extra mentem revera non exsistunt, sed a mente constituuntur, quasque supra (p. 347) logicas vocavimus.

Quaeritur vero hic, utrum praeter has relationes a mente dependentes sint etiam in rerum natura relationes, quas *reales* vocavimus, aliis verbis: utrum sint in hoc mundo relationes independenter a mente exsistentes necne.

Sunt qui relationes reales in rerum natura exsistere negaverint omnesque quas admittimus relationes a mente fingi docuerint. Talia inter alios *Kantium* scimus excogitasse [1].

Contra illos *contendimus esse in rerum natura relationes independenter a mente constitutas.*

Probatio. I. *Directa, ex evidenti experientia.* Cuicumque enim manifesto apparet esse *ordinem* in hoc mundo. Aliae res aliis subordinantur, aliae aliis coordinantur. Effectus *revera* pendet a causa. Sunt res aliae aliis *revera* maiores, minores, similes, aequales etc. Relationes vero illas omnes eadem evidentia clare apparet non a mente constitui, sed *exsistere in rebus, nullo cogitante;* clare enim apparet illas nobis imponi, non nos rebus ipsas imponere.

II. *Indirecte, ex absurdis.* Negata enim hac tam clara evidentia, irruit scepticismus universalis. Praeterea haec

---

[1] Cf. supra p. 151 not. 1, ubi habes eius verba: «Die Ordnung und Regelmäßigkeit an den Erscheinungen, die wir Natur nennen, *bringen wir selbst hinein*» etc.

specialis Kantii doctrina non est nisi applicatio quaedam theoriae ipsius de iudiciis syntheticis a priori et de illusione transcendentali: quam quidem theoriam perabsurdam esse in Criteriologia ostendimus [1]. Neque enim relationes quas in rerum natura reales esse existimamus, sola mentis constitutione effici videmus. *Facultatem* illam quidem *innatam* habemus de similibus e. g. vel dissimilibus extra nos exsistentibus iudicandi; quando vero *actu* iudicamus inter *tales* res *talem* esse relationem, similitudinis e. g., fundamentum huius iudicii intime sentimus non esse in nobis, sed in rebus quae mentem nostram in iudicando tali determinato modo ipsae quasi regant. Est ergo in ipsis rebus relationum illarum fundamentum obiectivum et reale, aliis verbis: *sunt relationes reales* [2].

§ 4. De entitate relationis.

Ad statum quaestionis. Ad relationem constituendam (supra p. 346) diximus tria requiri, nimirum: duo extrema et fundamentum. Relationem vero ipsam *formaliter inspectam* conceptu nobis manifestamus, cuius ratio obiectiva neque est subiectum neque terminus neque

---

[1] Cf. supra p. 157 sq.

[2] «Toute relation envisagée *a priori,* sans être mise en rapport avec le réel, est susceptible aussi bien d'affirmation que de négation. D'où vient que dans les cas particuliers, nous options pour l'un de ces partis, à l'exclusion de l'autre? D'où vient, par exemple, que deux phénomènes étant donnés, nous les jugions semblables et non point dissemblables? Si la faculté de juger du semblable et du différent est une loi constitutive de l'esprit, les applications particulières de cette faculté ne sont-elles pas réglées par les objets mêmes? Mais s'il en est ainsi, c'est qu'il faut reconnaître à certaines relations un fondement objectif et réel, indépendant de notre esprit et de ses modes de connaître» (Traité élément. de philos. [Louvain] I ^{8} 536).

fundamentum, sed illud «*esse ad*», quod subiectum habet relative ad terminum propter fundamentum in ipso exsistens, et quod definivimus: «*habitudo seu respectus unius ad aliud*».

In relationibus proinde realibus relatio formaliter inspecta revera distinguitur a *terminis*, item certo distinguitur *saltem ratione a fundamento*; alio enim conceptu nobis repraesentamus fundamentum, prout est *in* subiecto, alio, prout habet esse *ad* terminum.

Sed quaeri potest ulterius: *Haec distinctio inter relationem formaliter inspectam et eius fundamentum estne etiam realis an rationis tantum?*

Quaestionis solutio. I. Circa propositam quaestionem duplicem habemus philosophorum sententiam.

1. Alii enim qui «Thomistae» hac in re dicuntur, quia sententiam S. Doctoris tueri se existimant, distinctionem illam contendunt esse *realem maiorem, vel saltem minorem* [1]. Quorum rationes praecipuae hae sunt:

a) Ibi adest distinctio realis (saltem infimi gradus), ubi adsunt entitates, quarum una non est alia. Atqui entitas relationis non est entitas fundamenti, si quidem entitas fundamenti est aliquid in se absolutum, ponens aliquid absolutum in substantia, dum entitas relationis est purus ordo seu respectus ad aliud [2]. Ergo relatio et eius fundamentum realiter distinguuntur.

---

[1] Cf. supra p. 305.

[2] «L'examen attentif de la relation fait voir que, pour n'être pas une réalité absolue, elle n'en est pas moins quelque chose: la relation, *comme telle,* fait abstraction de ce que sont, à un point de vue absolu, les termes de la relation, elle ignore même s'il sont subsistants en eux-mêmes ou inhérents à autrui; elle consiste uniquement en *ce qu'un* des termes corrélatifs *est pour l'autre.* Les prédicaments absolus — substance, quantité, qualité — sont *quelque*

b) Entitas relationis distinguitur ab entitate fundamenti, si relatio addit novum esse supra esse fundamenti. Atqui relatio addit novum esse supra esse fundamenti, scilicet esse ad aliquid, quod certe distinctum est ab esse entitativo fundamenti; v. g. esse simile est certe diversum ab albedine, quae est fundamentum similitudinis. Ergo esse relationis vere distinguitur ab esse fundamenti [1].

2. Alii, inter quos princeps Suaresius, non nisi distinctionem rationis cum fundamento in re admittunt. Sic autem argumentantur: «Si relatio a suo fundamento realiter distingueretur eique inhaerendo aliquid reale afferret, accessio vel discessio eius nequaquam posset esse sine mutatione reali subiecti, de quo dicitur. Atqui accessio vel discessio eius est sine tali mutatione. Ergo relatio praedicamentalis non est aliquid distinctum a suo fundamento.» [2] Rationes vero, quas fautores prioris sententiae afferunt, rem non attingere contendunt. Relatio enim secundum Thomistas illos est res alia ac fundamentum, quia est «*respectus ad aliud*» (supra I 1 a) vel quia est «*esse ad aliquid*» (I 1 b). Sed hoc ipsum, sic aiunt adversarii, in contentione ponitur, utrum scilicet «respectus ille ad aliud», «esse illud ad aliquid», sit *res* quaedam fundamento superaddita necne. Neque ullo modo concipi posse relationem ut entitatem fundamento superadditam, quia talis suppositio induceret progressum in infinitum relationum realium similitudinis, quae in his realitatibus fundarentur [3].

---

chose, aliquid; le prédicament relatif est *pour quelque chose, ad aliquid.* La substance subsiste *in se;* l'accident absolu existe *in alio;* la relation est *ad aliud*» (*Mercier,* Métaphys. gén. [5] 339 sq).

[1] Cf. *Mercier* l. c. 338 sqq.

[2] *Lepidi,* Elem. philos. christ. I 232. Cf. etiam *Lehmen,* Lehrbuch der Philos. I [3] 426 sq.

[3] Cf. *Lehmen* l. c. I [3] 426.

II. De *mente vero S. Doctoris* hac in re interpretes non conveniunt, «quidam enim, litterae forte nimis addicti, eum realem distinctionem tenere, alii negare profitentur; alii demum, quid senserit D. Thomas, ut incertum relinquunt» [1]. In favorem distinctionis realis haec inter alia afferunt eius verba: «Relatio est debilioris esse inter omnia praedicamenta; ideo putaverunt quidam eam esse ex secundis intellectibus. . . . Secundum igitur hanc positionem sequeretur, quod relatio non sit in rebus extra animam, sed in solo intellectu, sicut intentio generis et speciei. . . . Hoc autem esse non potest. In nullo enim praedicamento ponitur aliquid, nisi res extra animam exsistens; nam ens rationis dividitur contra ens divisum per decem praedicamenta. Si autem relatio non esset in rebus extra animam, non poneretur *ad aliquid* unum genus praedicamenti.» [2] In 1 vero Sent. dist. 26, q. 2, a. 2 ad 3 haec habet: «Relationi ex hoc, quod ad alterum dicitur, non debetur, quod sit res quaedam; est tamen res aliqua, secundum quod habet fundamentum in eo, quod refertur.»

III. Quae cum ita sint, distinctio realis neganda esse videtur, secundum principium: «*Non sunt multiplicanda entia sine ratione sufficienti.*» Neque tamen ad probandum infirma dici potest sententia eorum, qui illud «*esse ad aliud*» tamquam realitatem, tamquam *modum* e. g., perspectum a fundamento realiter distinctum esse contendunt.

Corollarium. Circa relativa haec duo praesertim vigent axiomata:

I. Relativa sunt simul natura. «Simul natura» dicuntur res, quarum una non potest poni, quin altera ponatur. Simul sunt natura extrema relationis, si sumuntur forma-

---

[1] *Lepidi* l. c. I 233 not.

[2] De potentia q. 7, a. 9.

liter. Pater v. g. ut pater non potest poni, quin sit filius, et vicissim filius simul est cum patre. Sed pater ut homo (materiale significatum) prior natura est filio.

II. Relativa sunt simul cognitione, i. e. cognitio unius implicat cognitionem alterius. Sic, quid sit pater, non potest cognosci, quin cognoscatur, quid sit filius, et vicissim.

ARTICULUS III.
DE ACTIONE ET DE PASSIONE SIVE DE CAUSIS.

Praenotamen. Notiones actionis et passionis intime conectuntur cum notionibus causae et effectus. Actio enim dicitur esse *causalitas causae efficientis.* Quid sint actio et passio, intellegitur proinde ex notione causae efficientis priore loco explananda. Immo, cum notio causae in genere sit una ex praecipuis notionibus metaphysicis, totam doctrinam de causis hoc loco breviter declarandam suscipimus.

Duabus sectionibus hoc articulo dicemus: 1. de causis generatim inspectis; 2. de causa efficienti et de causa finali speciatim.

SECTIO I.
DE CAUSIS GENERATIM INSPECTIS.

§ 1. Notio causae explanatur.

Exemplum causae habemus in artifice statuam conficiente. Inter statuam et artificem exsistit relatio quaedam realis; item inter artificem et statuam. Statua enim producitur, et *artifex ad eius productionem* **confert.** Confert autem actione sua. Verum non artifex solus, suo modo, sed et alia, aliis modis, ad statuam producendam conferunt. Confert e. g. *lucrum* speciali ratione, *inclinans* scilicet artificem ad actionem suam eliciendam; item confert marmor e. g. praebens *materiam, ex qua* conficitur statua etc. Unde pluribus modis specialibus singulas res ad alias producendas conferre videmus. Quibus *specialibus*

modis neglectis, possumus proinde ex his omnibus conceptum colligere, qui ratione sua obiectiva contineat tantum illud «*conferre ad rem producendam*», et sic nobis notiones efformamus, quas vocamus causam et causalitatem.

Definitur autem causa: *id, quod ad alicuius rei productionem confert quocumque modo.*

In productione rei a causa triplex proinde elementum distingui potest: 1. illud, quod ad productionem confert et dicitur *causa;* 2. id, quod producitur, vel *effectus;* 3. ipse *influxus* causae in effectum producendum, qui vocatur *causalitas* (actio e. g. artificis).

Ad tertium vero illud elementum sive influxum maxime attendendum est illi, qui claram causae notionem sibi efformare vult.

Primo enim requiritur, ut *influxus ille revera exsistat* inter rem, quae dicitur causa, et eam, quae ipsam consequitur ut effectus; neque enim sufficit *mera conexio consecutionis unius* post *alterum* (conexio extrinseca), qualis est conexio consecutionis inter auroram et diem. Aliis verbis: requiritur, ut conexio consecutionis inter effectum et causam sit *intrinseca,* talis scilicet, ut id, quod dicitur effectus, *in suo esse* dependeat a causa.

Secundo requiritur, ut influxus ille fiat *in ordine physico* («influxus physicus»), i. e. inter res realiter exsistentes *ut entia realia* sive extra intellectum sive in ipso intellectu [1]. Qua quidem nota influxus causae distinguitur ab influxu, quem principium logicum [2] habet in conclusionem vel in veritatem utcumque ab ipso dependentem; aliis verbis: requiritur, ut conexio consecutionis sit physica, non logica.

Cum autem id, a cuius exsistentia pendet exsistentia alterius, dicatur esse prius natura, haec doctrina saepenumero sic exprimitur: *Ut aliquid revera sit causa, re-*

---

[1] Cf. supra p. 266 sq. [2] Cf. supra p. 268.

quiritur, ut sit prioritas naturae inter ipsum et illud, quod ab ipso procedit.

Quibus notis causa distinguitur a *principio,* quod generatim definitur: *illud, a quo aliquid* **procedit** *quocumque modo, sive per conexionem logicam sive per conexionem physicam, illamque sive extrinsecam sive intrinsecam.* Est ergo principium notio quaedam generica, quae notionem causae continet tamquam partem logicam. Quae doctrina hac synthesi illustrari potest:

Principium
(id, a quo aliquid procedit)

logicum (procedit per conexionem logicam)		ontologicum vel reale (procedit per conexionem realem)	
minus proprie dictum (principium in sensu latiore, p. 268).	proprie dictum (principium in sensu stricto, p. 270).	minus proprie dictum (per conexionem intrinsecam vel extrinsecam).	proprie dictum, i. e. *causa* (per conexionem intrinsecam).

Qua principii notione, cum tam late pateat, utuntur theologi ad sensum mysterii SS. Trinitatis explicandum. Cum enim, iuxta dogma fidei, Filius a Patre procedat, nulla autem inter Patrem et Filium prioritas naturae admitti possit, theologi Patrem principium quidem Filii esse et dici posse contendunt, non autem causam Filii.

Praeter prioritatem naturae plerumque etiam prioritas *temporis* invenitur inter causam et effectum. Sic, in creaturis, pater non solum natura, sed etiam tempore prior est quam filius. Est autem haec prioritas intellegenda de causa *materialiter* sumpta, non formaliter, prout relatione causalitatis afficitur. «Relativa enim sunt simul» (p. 353).

Ut autem haec de prioritate doctrina recte intellegatur, notandum est:

1. Duplex generatim distinguitur prioritas: prioritas rationis et prioritas realis.

Prioritas *rationis* vel *logica* ea est, quae non exsistit in rebus realiter, sed a nostro concipiendi modo pendet. Definitur vero: prioritas, quae rei attribuitur, quae, quamvis neque natura neque tempore alteram praecedat, fundamentum tamen praebet, ut secundum nostrum concipiendi modum prior altera cogitetur. Hoc modo essentiam divinam priorem esse dicemus divinis attributis.

Prioritas *realis* ea est, quae est in rebus independenter a nostro concipiendi modo. Duplex praesertim est:

a) Prioritas *temporis:* ea est, quae competit rei quatenus exsistit altera nondum exsistente. Talis prioritas est e. g. inter B. Petrum et Pium X.

b) Prioritas *naturae* vel causalitatis: ea est, quae competit rei, quatenus ab eius exsistentia pendet exsistentia alterius. Talis prioritas est, in creaturis, inter patrem et filium.

2. Ad duplicem vero illam prioritatis speciem theologi afferunt tertiam prioritatem, quam «*prioritatem originis*» vocant: ea est, quae competit enti, a quo aliquid procedit sine ulla prioritate, neque naturae neque temporis: «*origo sine prioritate*». Haec autem prioritas non nisi inter tres divinas Personas locum habet et proinde ad theologiam exclusive pertinet.

Qua de re rationi fide admonitae haec sola quaestio solvenda est: *Potestne evidenter ostendi conceptum principii sine ulla prioritate* (neque naturae neque temporis) *repugnare?*

Resp. Hoc ostendi non potest. Hoc enim tunc solum ostenderetur, si quis ostenderet notam prioritatis, sive naturae sive temporis, ita in conceptu principii includi, ut sine illa nota principium concipi non possit. Sed hoc ostendi non potest. Bene enim concipitur principium sine nota prioritatis naturae, ut in exemplo aurorae, a qua dies procedit: item concipitur principium sine prioritate temporis, ut quando de sole cogitamus, quatenus est principium radii a se emissi.

§ 2. De divisione generali causarum.

Causam diximus generatim esse id, quod ad alicuius rei productionem confert quocumque modo; vel id, a quo aliquid procedit influxu quodam positivo et physico, ita ut inter principium et principiatum sit conexio consecutionis intrinseca.

Influxus vero ille positivus et physicus diversae potest esse naturae. Diversae proinde ex hac parte distingui possunt causarum species.

I. Potest enim res aliqua in rem producendam influere, eo quod est elementum ipsum *intrinsecum,* quo res in sua specie constituitur, qualis est e. g. influxus marmoris in statuam conficiendam. Marmor enim confert materiam, ex qua statua conficitur. Haec causa dicitur essentialis, et in corporibus duplex est, nimirum: *causa materialis,* vel id, ex quo aliquid producitur: materia; et *causa formalis,* vel illud rei intrinsecum, quod materiam ita determinat, ut sit talis vel talis actus: ipsa forma marmoris (forma substantialis) vel forma *statuae* in marmore (forma accidentalis).

II. Secundo potest influxus consistere in eo, quod aliquid rei producendae *extrinsecum* actione sua rei alteri actum aliquem confert, ut quando artifex sua actione formam statuae in marmore producit. Et haec causa dicitur *efficiens,* quae vulgo intellegitur, cum de causa sermo est.

III. Tertius denique influxus consistere potest in eo quod aliquid causae efficienti dat *inclinationem* ad agendum, ut cum cultus B. M. Virginis promovendus vel lucri desiderium artificem ad statuam exsculpendam inclinat. Ens autem sic influens in productionem effectus dicitur *causa finalis.*

Quattuor proinde distingui possunt causae species: causa materialis vel materia, causa formalis vel forma, causa efficiens, causa finalis vel finis.

Iam vero de causa efficienti et de causa finali speciatim est agendum. De materia autem et de forma uberius sermo erit in Cosmologia.

SECTIO II.

DE CAUSA EFFICIENTI ET DE CAUSA FINALI SPECIATIM.

§ 1. De causa efficienti.

1. *Notiones.*

Causa efficiens generatim definitur: *principium, quod* **actione sua** *producit esse novae rei.*

Dicitur: «quod *actione sua* producit», quibus verbis indicatur ratio specifica causae efficientis, *causalitas* scilicet eius specialis, qua distinguitur ab aliis causis.

Est autem *actio* aliquid medium inter causam vel potentiam operativam et effectum, et idem est ac *motus potentiae operativae* vel tendentia activa potentiae considerata ut a potentia procedens [1].

Actioni correspondet *passio,* quae est ipse ille motus potentiae operativae, consideratus non ut a potentia operativa procedens, sed ut in potentia receptiva alius rei receptus. In exemplo artificis statuam conficientis motus sculpendi, quatenus ab artifice procedit, dicitur actio (artifex sculpit); idem vero motus, quatenus in marmore recipitur, dicitur passio (marmor sculpitur).

Actio, passio, motus proinde *re* sunt idem, distinguuntur tamen ratione cum fundamento in re. Et haec est communis veterum sententia, auctoritate S. Doctoris et multorum recentium firmata [2].

---

[1] Cf. supra p. 282.

[2] «Actio et passio conveniunt in substantia motus et differunt solum secundum diversas habitudines» (S. theol. 2, q. 45, a. 2 ad 2). — Et alibi: «Idem actus secundum rem est duorum secundum diversam rationem: agentis quidem, secundum quod est ab eo;

Quae cum ita sint, tot actionis distingui possunt species, quot sunt divisiones motus potentiae operativae, ita ut sit actio immanens, actio transiens, eaque mechanica, physica, chemica, etc. [1]

A causa efficienti proprie dicta duo sedulo distinguenda sunt principia, quae non nisi improprie loquendo dicuntur causae: condicio scilicet et occasio.

1. *Condicio* est *id,* **quod requiritur,** *ut causa agat, quin actione sua effectum causae producat.* Sic e. g. quando scribis, causa scribendi tu es, lux vero est condicio. Requiritur autem condicio eo sensu, quod virtutem causae vel praeparat, vel disponit, vel applicat ad agendum, vel saltem impedimentum removet, quod actionem impedit.

a) Quando condicio *absolute* necessaria est, ita ut nullis aliis condicionibus suppleri possit, dicitur *condicio sine qua non;* admotio ignis ad lignum e. g. est condicio, sine qua lignum non comburit.

---

patientis autem, secundum quod est in ipso. . . . Ex eo quod actio et passio sunt unus motus, non sequitur quod actio et passio vel doctio et doctrina sint idem; sed quod motus, cui inest utrumque eorum, sit idem. Qui quidem *motus* secundum unam rationem est *actio,* et secundum aliam rationem est *passio;* alterum enim est, secundum rationem, esse actum huius, ut *in hoc,* et esse actum huius, ut *ab hoc;* motus autem dicitur *actio* secundum quod est actus agentis, ut ab hoc; dicitur autem *passio* secundum quod est actus patientis, ut in hoc. Et sic patet quod, licet motus sit idem moventis et moti, propter hoc quod abstrahit ab utraque ratione: tamen actio et passio differunt propter hoc, quod has diversas rationes in sua significatione includunt» (In Phys. 3, lect. 5). — «Dans le fait il n'y a qu'une réalité, le mouvement; mais cette réalité unique peut être considérée à deux points de vue: En tant qu'elle affecte le sujet qui la subit, elle s'appelle *passion;* en tant qu'elle dépend de l'agent qui la produit, elle s'appelle *action*» (*Mercier,* Métaphys. gén. [5] 429).

[1] Cf. supra p. 282 sq.

b) Quando condicionis munus in hoc consistit, ut impedimentum removeat, dicitur «*causa removens prohibens*». Compedum e. g. solutio est causa removens prohibens actionis currendi, sed non causa proprie dicta. Est condicio tantum, causa enim proprie dicta efficiens est ipse homo currens.

2. *Occasio* autem est *id omne, ad cuius praesentiam aliquid fit.* Sic impius qui, dum sacerdotem videt praetereuntem, blasphemat, blasphemiae est causa, sacerdos vero occasio. — Convenit occasio cum condicione eo, quod propria actione effectum non producit; differt eo, quod eius praesentia ad effectum producendum *non requiritur.*

Notandum tamen: «Occasio realiter considerata seu illa res, quae est occasio, saepe simul habet rationem causae alicuius sive efficientis sive finalis, in quantum scilicet allicit ad agendum, et quidem in quantum allicit ad sui consecutionem vel effectionem, habet rationem causae *finalis;* in quantum vero allicit seu impellit ad aliud quid obtinendum vel efficiendum, habet rationem causae *efficientis moralis.* (In theologia morali et catechismo occasio vitanda intellegitur hoc sensu, scilicet pro ea, quae allicit ad peccandum.)»[1]

2. *Species.*

Causa efficiens, si in tota sua latitudine haec notio consideratur, dividitur in primam et secundam.

Causa *prima* ea est, cuius virtus a nulla alia dependet. Solum vero Deum esse causam primam intellegemus ex dicendis in Theodicea.

Causa *secunda* ea est, cuius virtus ab alia dependet. Causae secundae sunt creaturae omnes.

In Ontologia vero de causa secunda praesertim sermo est. Agitur enim hoc tertio libro de ente prout invenitur

---

[1] *Frick,* Ontologia[4] 193.

in rerum natura. — Causam autem secundam communiter dividunt in physicam et moralem.

a) Causa *physica* ea est, *quae actione sua effectum producit.* Qui latronem occidit e. g., est causa physica huius occisionis.

b) Causa *moralis* ea est, *quae influxu quodam morali,* i. e. suasionibus, consiliis, imperiis, *voluntatem liberam ad agendum* inclinat. Qui alterum ad homicidium patrandum verbis suis incitat, causa huius homicidii est moralis.

Iam vero, cum causalitas causae moralis consistat in *inclinatione* causae efficienti physicae tribuenda, non pauci sunt, qui causam moralem ut speciem quandam ad causam finalem referant.

Sed quidquid est de hac idearum ordinatione, causae moralis influxus consistit in eo, quod aliam causam imperio, consilio, precibus etc. ad effectum producendum inducit [1]. Dividitur autem causa moralis, sicut ipsa causa physica, in proximam et remotam, per se et per accidens, totalem et partialem etc., de quibus notionibus iam sumus dicturi.

Ad causam efficientem physicam proinde attendentes ipsam uberius declaramus, ut sit ea, quae actione sua sive materiali sive spirituali rem producit. Sol e. g. actione sua materiali est causa physica vegetationis; intellectus actione sua spirituali est causa physica idearum.

Praecipuae vero huius causae physicae divisiones hae sunt:

1. Ratione *influxus, prout ab agente* profluit, dividitur in principalem et instrumentalem.

Principalis ea est causa, quae ad effectum propria virtute efficiendum *vim alterius sibi subordinat et dirigit.* Sic artifex malleo utens ad ferrum fingendum est causa principalis huius actionis fingendi.

---

[1] Quomodo vero a causa finali distinguatur, ex natura huius causae finalis infra (p. 372—374) explananda intelleges.

Instrumentalis (instrumentum) ea est, «*quae vim suam exserit ab alio directam*», ut est malleus in exemplo allato.

«In causa instrumentali, uti ex dictis agnosci potest, duplex actio spectari debet: una, quae fluit e forma sua, quaeque est propria eius; nam malleus ad fingendum ferrum et serra ad scindendum lignum operam suam praestant. Altera vero, quam a causa principali recipit, quatenus ei subicitur ad efficiendum id, quod causa principalis agit. Haec motio in re, quae dicitur instrumentum, fluenter recepta, *causationem instrumentalem* proprie constituit.»[1]

2. Ratione *effectus, prout a causa* **intenditur,** dividitur in causam per se et causam per accidens.

Causa per se dicitur causa relative ad effectum, quem «*secundum intentionem naturae*», vel, si causa est libera, *secundum liberam intentionem* producit. Effectus proinde, cuius aliquid dicitur causa per se, talis est, ut ad ipsum producendum haec causa vel determinata sit a sua natura, vel, si libera est, se ex intentione determinaverit. Cibus e. g. est causa per se augmentationis virium corporearum, item venator, cum in leporem sclopetum efficaciter explodit, fit causa per se occisionis leporis.

Causa *per accidens* illa est, quae effectum, cuius dicitur causa, praeter intentionem naturae vel *praeter intentionem liberam agentis intellectualis* producit. Cibus e. g. potest esse causa per accidens debilitationis vel morbi; item venator potest esse causa per accidens occisionis alicuius

[1] *Lepidi,* Elem. philos. christ. II 268. — Ad rem S. Doctor: «Quamvis enim serra», inquit, «habeat aliquam actionem, quae sibi competit secundum propriam formam, ut dividere, tamen aliquem effectum habet, qui sibi non competit, nisi in quantum est mota ab artifice, scilicet facere rectam incisionem et convenientem formae artis: et sic instrumentum habet duas operationes: unam quae competit ei secundum formam propriam; aliam, quae competit ei secundum quod est motum a per se agente, quae transcendit virtutem propriae formae» (De verit. q. 27, a. 4).

hominis. Stricte proinde loquendo effectus causae per accidens non oritur ex hac causa formaliter inspecta, sed ex alia, quae cum ipsa aliquo modo coniungitur; effectus per accidens «*coincidit*». «Id accidere potest *ex parte causae,* et quidem vel ex accidentali causae dispositione, ut v. g. curvitas motus ex curvitate pedum, vel ex accidentali concursu plurium causarum, v. g. compressio hominis inter duos currus collidentes. Potest etiam accidere *ex parte effectus,* ut e. g. occisio alicuius innocentis non intenta, sed orta ex eo, quod per accidens sit in turri ab hoste legitime in bello iusto explosa; vel inventio thesauri in fossione terrae ad agrum colendum facta.»[1]

3. Ratione *propinquitatis ad effectum* est vel proxima vel remota.

Causa *proxima* vel immediata, in serie causarum ordinatarum, ea est, quae effectum immediate attingit vel producit: Potentia operativa e. g. est causa proxima effectus, puta intellectionis.

Causa *remota* ea est causa, quae causam vel causas alias ipsius effectus ponit. Essentia e. g. vel natura est causa remota effectus potentiae. Si plures sunt causae in illa serie, tunc causa remota, quae *in determinato ordine* a nulla alia dependet, dicitur prima, aliae vero *mediae* vel *intermediae.* De his causis viget axioma: Causa causae est causa causati. Notandum tamen hoc effatum non valere nisi de causa formaliter sumpta, i. e. reduplicative ut causa. Certo enim qui arma e. g. conficit, dici non potest causa occisionis omnis, quam arma illa producere possunt.

4. Ratione *quantitatis influxus* est vel totalis vel partialis.

Totalis est, quae sola totum effectum producit.

Partialis ea est, quae effectum producit cum consortio alterius. Si plures homines e. g. simul operantur

---

[1] *Frick,* Ontologia[4] 194.

in eodem agro effodiendo, singuli sunt causa partialis totius effectus.

5. Ratione *similitudinis* effectus cum causa dicitur univoca vel aequivoca.

Causa *univoca* est causa, quae producit effectum *sibi similem quoad speciem.* Quercus e. g. est causa univoca quercus.

Causa *aequivoca* ea est, quae producit effectum *non sibi similem quoad speciem.* Sol e. g. est causa aequivoca plantarum.

6. Denique ratione *modi,* quo causa ad agendum *determinatur,* est vel necessaria (naturalis) vel libera.

Necessaria ea est, quae, positis omnibus ad agendum requisitis, *intrinsece* ad effectum producendum determinatur. Ignis e. g. est causa necessaria combustionis.

Libera ea est, quae, positis omnibus ad agendum requisitis, *intrinsece non determinatur* ad agendum, sed indifferens manet. Sic homo his in terris est causa libera cultus, quem Deo exhibet.

3. *De exsistentia causarum efficientium.*

Ad statum quaestionis. Quaeritur hic, utrum revera inter res creatas sit relatio causalitatis, qualem ipsam supra declaravimus: utrum scilicet res sint aliae aliis ita succedentes, ut ab ipsis *intrinsece dependeant,* necne; aliis verbis: utrum conceptus causae, quem habemus, sit *obiectivus* an subiectivus, i. e. merum figmentum mentis.

Iam vero *Sensistae* (Locke, Hume), *Positivistae* hodierni (Taine)[1], *Neo-critici* multi, *Idealistae,* cum conceptum omnem metaphysicum reiciant, hanc quoque causae efficientis notionem inter figmenta mentis reponunt[2]. Iuxta ipsos non

---

[1] Cf. supra p. 176 sq.

[2] *Occasionalistae* qui dicuntur non *omnem* sed *creaturarum* tantum causalitatem negant; unicam causam efficientem esse Deum

cognoscimus nisi conexionem consecutionis externam, vel meram rerum successionem, quia sensus nihil nisi hanc successionem percipiant. Causa, sic aiunt, est *antecedens* vel complexio quaedam condicionum quibus positis sequitur semper idem *consequens*[1]. Esse vero conexionem illam intrinsecam «metaphysicis» et «theologis» «otiose» docendum fastidiose ipsi remittunt[2].

Nos vero *contendimus notionem causae efficientis, qualem ipsam declaravimus, esse obiectivam, non figmentum mentis, ita ut verae exsistant causae efficientes.*

Thesis probatio. I. *Directa.* — a) *Experientia interna.* Conscientia enim teste, in nobis ipsis atque etiam in rebus extra nos exsistentibus varias et multiplices modificationes ita producimus, ut nobis persuasum habeamus tales modificationes non solum nobis succedere, *sed etiam a nobis efficienter produci.* Sic e. g. non solum experimur cogitationes, volitiones, alia eiusmodi in *nobis fieri* et nobis exsistentibus in sua exsistentia succedere, sed intime etiam scimus cogitationes et volitiones illas a *nobis produci,* a nobis suam exsistentiam habere. Quae quidem perceptio conscientiae tam evidens est, ut omnem illusionem subiectivam excludat. Nisi enim tam evidenti conscientiae

---

contendunt, res creatas vero propria carere causalitate, neque aliud esse nisi *occasiones* quoad divinam operationem. Quorum errorem in Cosmologia infra refutabimus.

[1] «La cause est la série des conditions, l'ensemble des antécédents, sans lesquels l'effet ne serait pas arrivé et qui sont invariablement suivis du même conséquent» (*Taine,* Le positivisme anglais 63). — «La cause est la somme des conditions négatives et positives prises ensemble, la totalité des circonstances et contingences de toute espèce; lesquelles, une fois données, sont invariablement suivies du conséquent» (*Stuart Mill,* Logica l. 3, c. 5, § 2 et 3).

[2] Cf. supra p. 177.

testimonio realitatem obiectivam tribuamus, necessario in scepticismum incidimus [1].

b) *Experientia externa et ratione.* Experientia enim externa perspicimus multas res de novo fieri; sic videmus nova oriri animalia, novas plantas oriri, res fere omnes perpetuo novis essendi modis indui. Quas quidem res clare videmus aliis succedere in exsistentia, sed non eodem omnes modo. Alias enim per consecutionem quandam externam aliis videmus succedere, alias vero aliis per consecutionem *intrinsecam causalitatis.* Quae cognitio, licet directa tantum et imperfecta, certa tamen et evidens est, quia *clare* distinguimus inter res, quae per meram successionem sibi succedunt, et res, quae sibi succedunt per conexionem internam. Adhibito autem intellectu, exsistentiam illius conexionis reflexe cognoscimus; quia clare videmus id, quod sic esse incipit, esse suum habere ab alio. Nam quidquid, quod antea non erat, incipit esse, aut de nihilo sui et causae est, aut ipsum se producit, aut ab aliquo alio a se distincto producitur. Atqui ex nihilo sui et causae nihil fit, in nihilo enim nulla essendi ratio reperitur; neque ipsum se producit, ageret enim, antequam esset: quod repugnat. Ergo ab aliquo alio producitur. Proinde, si non esset aliquid aliud, a quo res in esse producuntur, nihil posset de novo esse. Et sic experientia et intellectu assurgimus ad notionem causae, quae obiective realis esse debet, nisi ipsam vim rationis negemus et sic in scepticismum incidamus [2].

c) *Ex consensu omnium hominum.* Constat enim omnes homines, sive doctos sive indoctos, sedulo distinguere inter res, quae simpliciter sibi succedunt, et res, quae ita sibi succedunt, ut consequens physice et interne cum antecedente conectatur, i. e. efficienter producatur. Est

---

[1] Cf. supra p. 197.

[2] Cf. *Lepidi,* Elem. philos. christ. II 256.

nemo sanae mentis, qui de realitate obiectiva huius perceptionis dubitet. Sunt enim haec tam clara, tam aperta, ut non nisi ex quadam animi supinitate vel inquietudine negari possint.

II. *Indirecta:* ex falsitate fundamenti Sensistarum et Positivistarum. Ideo enim negata est notio causae a Lockio, Humio, Positivistis, quia ipsi reiciunt cognitionem intellectivam. Revera enim notio causae non ex sola cognitione sensili habetur, sed noscitur ex experientia coniuncta cum intellegentia. Vim autem intellectus et realitatem obiectivam eius perceptionis falso a Sensistis et Positivistis negari in Criteriologia declaratum est [1].

4. *De principio causalitatis.*

Sensus. Principium causalitatis vulgo enuntiatur: *Nihil fit sine causa.* Accuratius vero exprimitur: *Nihil de nonexsistendo ad exsistendum transit, quin sit aliquid aliud, a quo exsistentiam accipit;* vel *positive: Omne ens cuius essentia non est ipsa exsistentia, cum exsistit, necessario ab alio exsistit,* vel: *quidquid contingenter exsistit, efficientem sui causam equirit ad hoc ut exsistat.*

Consulto vero in principio illo enuntiando *rationem temporis* omittimus ne dicamus: «quidquid *incipit* exsistere . . .», cum valeat etiam in iis quae *ab aeterno* fierent. Et re quidem vera, si mundus e. g. ab aeterno creatus esset, ab aeterno sui efficientem causam requireret [2].

---

[1] Cf. supra p. 177 sqq.

[2] «Kant propose de dire: *,Tout ce qui arrive a sa cause',* en d'autres mots: *tout ce qui commence à exister* demande une cause. Cet énoncé n'est pas assez général; il restreint arbitrairement l'application du principe aux choses dont l'existence est temporelle. Or, il n'est pas evidemment impossible qu'il y ait des êtres dépendants d'une cause et dont l'existence n'aurait pas de commencement dans le temps. St. Thomas admettait la possibilité intrinsèque

Distinguitur hoc principium a *principio rationis sufficientis*, quod latius patet quam principium causalitatis. Amplectitur enim principium rationis sufficientis omnem ordinem et possibilium et realiter exsistentium[1]. Principium vero causalitatis rationem tantum declarat eorum, quae *exsistentiam* recipiunt (contingentium).

Distinguitur quoque a *principio motus*, de quo supra (p. 283 sq) diximus, sicut species a genere, ut comparanti haec duo clare cuique apparet.

Eius veritas. Probatur hoc principium eodem fere modo ac principium motus.

1. *Experientia* enim iam *directe* eius veritas apparet. Si quidem observatione universali compertum habemus ea, quae de novo fiunt, semper ab alio dependere, a quo in esse producantur, ita ut inter consequens et antecedens sit conexio intrinseca (p. 355).

2. *Ratione* vero *perfecte* haec ipsa veritas eodem modo ostenditur ac veritas principii motus.

Quidquid enim de non-exsistendo ad exsistendum transit, est in potentia ad actum exsistentiae acquirendum. Actum illum proinde non habet, alioquin non esset in potentia exsistendi, sed iam esset actu exsistens. Sed

---

de créatures ‚ab aeterno'. Le commencement temporel, la ‚novitas essendi', ainsi que s'exprime Suarez, est, *pour nous, l'indice* ordinaire de l'existence d'une causation, mais n'est point un élément formel de la dépendance causale. Nous exclurons donc du principe la notion de temps pour ne garder que la notion de contingence et nous dirons: Un être dont l'essence n'est pas l'existence demande nécessairement, lorsqu'il existe, une cause de son existence; ou plus brièvement, l'existence d'un être contingent demande une cause» (*Mercier*, Crit. gén.[6] 264 sq; item Traité élément. de philosophie I[4] 402).

[1] Recole ea, quae de sensu principii rationis sufficientis supra (p. 270) declaravimus.

quidquid actum exsistentiae non habet, ipsum sibi dare non potest.

a) Propter rationes generales iam supra memoratas (p. 283 sq: «nemo dat quod non habet»).

b) In specie vero quoad exsistentiam hoc omnino repugnat.

α) Ageret enim antequam esset, *sed agere sequitur*, non praecedit *esse*.

β) Praeterea, si exsistentiam haberet a se, ipsam haberet ab essentia, *quatenus possibilis est;* sed si essentia, quatenus possibilis est, ratio esset sufficiens exsistentiae, omnes essentiae possibiles actu exsisterent, immo omnia individua eiusdem essentiae exsisterent: quod aperte experientiae et rationi contradicit.

Ergo quidquid actum exsistentiae non habet, illum sibi dare non potest.

Neque a nihilo ipsum habere potest; in nihilo enim iam multoties diximus (p. 270 et 284) nullam essendi rationem inveniri.

Invenitur proinde haec ratio in alio, ita ut reali influxu ab hoc alio exsistentiam suam recipiat; nisi enim hoc reali influxu exsistentiam ab ipso acciperet, nullam cum eo relationem haberet, et proinde illud aliud ipsi esset, ac si non esset.

Sed res, quae alii, reali influxu, exsistentiam tribuit, dicitur eius causa efficiens.

Ergo: *Nihil fit sine causa,* vel: *Nihil de non-exsistendo ad exsistendum transit, quin sit aliquid aliud, a quo exsistentiam accipiat.*

Principium causalitatis proinde, praesertim cum formam eius positivam perspexeris, iudicium *analyticum* esse videbis; tale enim est, ut ex analysi subiecti et praedicati inveniatur *ratio* eius universalitatis et necessitatis [1]; neque

---

[1] Cf. supra p. 283.

enim negari potest, quin eo ipso negetur principium contradictionis [1]. Ex conceptu «Entis cuius essentia non est exsistentia» eruitur ratio indifferentiae ad exsistendum, ex quo sequitur dependentia in exsistendo ab alio, sicut rem supra ostendimus [2].

3. Confirmatur denique *communi sensu hominum*. Omnes enim homines (genus humanum ut tale) hoc principium ut inconcussum admittunt. Quod colligitur:

a) «ex eo, quod omnes quam primum cognoscunt dari aliquid novi, e. g. novam aliquam realitatem, sive explicite sive implicite pro certo habent, esse aliquam causam eiusmodi rei;

b) «ex eo, quod, cum inquirunt causam novae realitatis, non quiescunt, dum invenerint causam vere proportionatam productioni illius novae realitatis;

---

[1] «Le principe ainsi énoncé est analytique; non pas que le prédicat soit formellement contenu dans le sujet, mais parce qu'il suffit de rapprocher le prédicat du sujet pour voir le lien nécessaire qui les unit. On ne peut le nier sans se contredire. En effet, soit un être contingent E que, de fait, je suppose existant. Cet être E peut être considéré comme une essence qui d'elle-même n'est pas existante, et d'autre part, de fait, elle est existante. Ou bien, cette essence E à ces deux points de vue est formellement la même, et alors on se contredit; ou bien, l'essence E dans les deux cas n'est pas formellement la même, ce qui revient à dire qu'au premier point de vue E est l'essence toute seule *(essentia nuda)* et au second point de vue E est l'essence soumise à une influence extrinsèque (*essentia quatenus substat influxui extrinseco)*, c'est-à-dire qu'elle est sous l'influence d'une cause, qu'elle est causée» (*Mercier,* Traité élément. de philosophie I [4] 402 sq). Cf. etiam apud eundem Crit. gén. [6] 265.

[2] Cf. in libello periodico «Revue néo-scolastique» 1912, 453 sqq, quae de hac re disseruit *I. Laminne* commentatione quae inscribitur «Le principe de contradiction et le principe de causalité». Cf. etiam *Lehmen,* Lehrbuch der Philosophie I [3] 437; *Hagemann,* Metaphysik [6] 53 sq; *Willems,* Inst. philos. I 512 sqq.

c) «ex eo, quod eum, qui rem absque ulla causa accidisse dixerit, pro stulto et insano habent.»[1]

Sed haec tam universalis, tam constans, tam invincibilis persuasio aliter explicari *sufficienter* non potest, nisi admittatur fundari in ipso *vocis naturae* dictamine, in quo error esse non potest[2].

Ergo principium causalitatis verum est.

§ 2. De causa finali.

1. *Notiones.*

Causa finalis saepenumero dicitur *finis*. Est tamen amplitudo notionis finis maior quam extensio causae finalis.

Finis enim *generatim* dicitur: *quidquid rei alicui terminum ponit.*

Quodsi *speciatim* consideratur in ordine actionum, finis est *id, quo obtento operatio agentis desinit.* Potest autem talis finis dupliciter considerari:

1. in ordine *exsecutionis,* et tunc est terminus ipse operationis quatenus adeptus;

2. in ordine *intentionis,* et tunc est idem ipse terminus, non quatenus adeptus, sed quatenus adipiscendus. Finis sic intellectus, cum agenti inclinationem det ad agendum, revera habet rationem causae et dicitur *causa finalis.* Definitur autem communiter, ut sit *id, cuius gratia aliquid fit.*

Causalitas causae finalis consistit proinde in *inclinatione* vel sollicitatione causae efficienti communicata, quae sollicitatio, si consideratur ut ex causa finali procedens, *activa* est (sollicitat), passiva vero (sollicitatur), si consideratur in appetitu causa finali moto[3]. Haec causalitas causae

---

[1] *Frick,* Ontologia[4] 200. [2] Cf. supra p. 230.

[3] «La finalité est donc, disons-nous, lorsqu'on la considère du côté de la cause finale, un *attrait;* considérée du côté de la volonté qui subit l'attrait, elle est une *affection* passive» (*Mercier,* Métaphys. gén.[5] 451).

finalis dicitur *finalitas,* quae, si ad principium ipsius attendis, duplicis est speciei: intrinseca est vel extrinseca.

Finalitas *intrinseca* est inclinatio, *quae ut naturalis quaedam propensio non exterius rebus additur, sed ex intima rerum natura oritur.* «Quae tamen inclinatio diversimode invenitur in diversis naturis, in unaquaque secundum modum eius. Unde in natura intellectuali invenitur inclinatio naturalis secundum voluntatem, in natura autem sensitiva secundum appetitum sensitivum, in natura vero carente cognitione secundum solum ordinem naturae in aliquid.» [1]

Finalitas *extrinseca* est inclinatio vel *directio quaedam rebus extrinsecus illata* quaeque ipsis in esse suo plene constitutis advenit. Qua finalitate extrinseca una res his in terris alteri directionem imprimit, et haec altera alteri, ita ut oriatur admirabilis illa diversarum rerum conspiratio vel directio in finem unum, qui est perfectio universi [2].

Quibus notionibus perspectis, clare apparet quomodo causalitas causae moralis (p. 362) a causalitate causae finalis differat. Haec enim in *inclinatione per se producenda* consistit, causae vero moralis influxus id maxime efficit, ut subiectum liberum *ad inclinationem illam recipiendam vel respuendam* disponat et incitet. Qui furem ad rapien-

---

[1] *S. Thom.,* S. theol. 1, q. 60, a. 1.

[2] «Chaque substance possède un principe interne de finalité, grâce auquel elle réalise une fin qui lui est propre et fait servir à cette fin les forces qui émanent d'elle. Puis tandis que les êtres réalisent ainsi chacun leur fin propre, leurs actions mutuelles s'adaptent à des buts *extérieurs* et réalisent une harmonie générale qu'ils ne paraissaient pas poursuivre et que, de fait, ils ne poursuivaient pas *immédiatement.* D'après cette conception téléologique, l'harmonie de l'ensemble *résulte* de dispositions internes spéciales aux éléments; *la finalité* extrinsèque *est postérieure aux tendances intrinsèques* des substances individuelles» (*Mercier,* Métaphys. gén.[5] 447). — Cf. *Pesch,* Phil. nat. I 107 sq.

dam pecuniam consiliis e. g. incitat, is liberam furis voluntatem ad inclinationem a causa finali (a pecunia) recipiendam disponit; ad respuendam vero inclinationem illam incitat qui furtum dissuadet. Rectius proinde causam moralem ad causam efficientem ut speciem referunt.

A fine distinguendum est *medium*.

Medium enim est id, quod a causa efficienti ad finem obtinendum adhibetur.

Et ea est inter finem et medium diversitas, quod id, quod dicitur finis, appetitur propter se et ratione sui, i. e. propter bonitatem suam, sive veram et realem, sive apparentem, medium vero appetitur propter finem, ad quem perducit.

Apta dispositio mediorum ad finem dicitur **ordo.**

2. *Species.*

Causae finalis vel finis species praecipuae hae sunt:

1. Finis qui et finis cui.

Finis *qui* est res ipsa, quae appetitur, e. g. lucrum pro artifice statuam conficiente.

Finis *cui* (vel cuius gratia) est subiectum, cui res appetitur. Familia sustentanda e. g. est finis cui operatur artifex.

2. Ratione *ordinationis* in aliqua serie finium est vel proximus vel remotus.

Finis *proximus* est ille, ad quem alius non ordinatur, ipse vero ad alium ordinatur. Sanitas e. g. est finis proximus seminaristae sumentis medicinam.

Finis *remotus* est is, ad quem alii ordinantur. Est vel intermedius vel ultimus.

a) Finis *intermedius* est ille, ad quem alius ordinatur, et qui ipse ad alium ordinatur. Studium e. g. est finis intermedius seminaristae sumentis medicinam.

b) Finis *ultimus* generatim est ille, ad quem alii fines ordinantur, cum ipse ad ulteriorem non ordinetur. Est vel relative ultimus vel absolute ultimus.

α) Finis *relative ultimus* ille est, qui in *aliquo ordine* ad ulteriorem non ordinatur quidem, etsi ad alium finem, in alio ordine, ordinari potest. Talis est e. g. pro seminarista sanitati consulente perfecta mentis et voluntatis efformatio acquirenda.

Finis relative ultimus, quando ultimus est in aliquo ente, ita ut *in hoc ipso ente* nulli alii subordinetur, dicitur finis ultimus *internus*. Sic finem ultimum hominis internum in Anthropologia dicemus esse ipsius hominis beatitudinem.

β) Finis *absolute ultimus* ille est, qui in *omni ordine* est ultimus, ita ut ad ulteriorem non solum non ordinetur, sed neque ordinari possit. Talis est in omnibus gloria Dei, ut rem ostendemus in Theodicea. Cuiusmodi finis ex parte creaturarum consideratus semper proinde est *externus*.

3. Ex parte *gradus influxus* est vel primarius vel secundarius.

Finis *primarius* vel principalis ille est, qui praecipue movet agens et *per se sufficit*. Gloria Dei e. g. est finis principalis studii boni seminaristae.

Finis *secundarius* vel accessorius ille est, qui adiungitur fini principali, sed ita ut non praecipue moveat. Sic delectatio spiritualis vel utilitas vel bona existimatio possunt esse fines secundarii seminaristae studiis incumbentis.

4. Finis dividitur etiam in finem operis et finem operantis.

Finis *operis* est id, ad quod actio vel opus natura sua ordinatur. Finis operis eleemosynae e. g. est sublevatio pauperis.

Finis *operantis* est id, ad quod operans actionem suam dirigit. Saepenumero est ipse finis operis; potest vero a fine operis esse diversus. Sic finis operantis eleemosynas tribuentis potest esse vana gloria adipiscenda.

5. Theologi denique distinguunt finem naturalem et supernaturalem, prout est secundum vel supra exigentias vel vires naturae.

3. *De exsistentia causarum finalium.*

Ad statum quaestionis. Exsistentiam causarum finalium negaverunt omnes omnium temporum *Materialistae* [1] et nostrorum temporum *Positivistae,* qui placita *Darwinii* [2] hac in re secuti phaenomenorum omnium causas ex solis apparatibus mechanicis repetunt.

Contra hos omnes *contendimus esse finalitatem in mundo, prout ipsam, sive intrinsecam sive extrinsecam, supra explicavimus.*

Huius thesis veritas ex iis praesertim menti apparebit, quae in Anthropologia et Theodicea circa finalitatem orga-

---

[1] *Materialistae* dicuntur illi pseudophilosophi, qui contendunt omnia entia mundana esse materialia neque ullum esse effectum, qui viribus materialibus explicari non possit. Differunt a *Positivistis,* quorum doctrina est minus crassa. Hi enim, cum nullum aliud cognoscendi medium admittant nisi experientiam sensilem, entia spiritualia, *si quae sint,* a nobis *cognosci posse* negant. Positivistae proinde non exsistentiam, sed cognoscibilitatem entium spiritualium directe negant, sicut rem supra (p. 175) declaravimus. Materialismum professa est iam antiquis temporibus schola, quae dicitur «atomistica» *Leucippi* et *Democriti* (circa a. 470—370 a. Ch.), qui systema illud atomisticum et materialisticum ita perfecit, ut mox in scholas *Stoicorum* et *Epicureorum* introductum fuerit. Saeculo XVII p. Ch. n. materialismum professus est *Hobbes,* saeculo XVIII eius fautores praecipui fuerunt La Mettrie, *Helvetius, Holbach.* Inter recentiores Materialistas numerandi sunt: Strauß, Feuerbach, qui pater recentioris materialismi dicitur, Büchner, Haeckel in Germania, Moleschott in Hollandia natus, Cabanis et Broussain in Gallia.

[2] *Carolus Darwin* (1809—1882) de origine specierum et speciatim de hominis origine multa conscripsit. Percelebris fuit per multos annos eius *theoria de evolutione* vel *transmutatione specierum, qua theoria omnem finalem tendentiam exstirpare conatus est,* et in eius locum «naturalem selectionem» subiecit. De hac re uberius in Anthropologia.

nismi et ordinem mundi sumus dicturi. Interim hoc loco huius probationis praecipua capita tantum referemus.

Thesis probatio. Esse finalitatem in mundo constat:

1. Experientia *interna*. Evidenti enim *conscientiae testimonio* scimus saepissime nos agere non ex impulsu nescio quo mechanico, passive recepto, sed *sub influxu inclinationis* diverso modo receptae. In actibus liberis e. g. eliciendis sentimus nos ante actionem varie inclinari, ad obiecta scilicet saepenumero contraria, ita tamen ut deinde certa mente et consilio agamus. Sed haec aperte probant esse principium quoddam illarum inclinationum necnon determinatae huius directionis actionibus nostris impressae; aliis verbis: esse causas finales.

2. Experientia *externa*. In rebus enim mundanis, sive considerantur singillatim sive in suo complexu, quem vocamus naturam, tam admirabilem invenimus operationum processum, qui aliter *sufficienter* explicari non possit, nisi in ipsis rebus admittamus tendentiam immanentem finalem [1], et extra totum illum complexum ens quoddam ab ipso distinctum et totius universi ordinatorem.

Ut miram e. g. organismi evolutionem omittamus, de qua sermo erit in Anthropologia, ipsis «in rebus anorganicis universalis corporum inter se attractio ad eum modum temperata est, ut inde ordo summa dignus admiratione per universum mundum pertingens emergat: tanta lux celeritate per omnes partes diffunditur, ut res debito modo oculis patefiant; aëriformium corporum proprietates chemicae ita determinatae sunt, ut, quae iis constet atmosphaera, ad vitam organismorum aptissima evadat; aër ipse ea praeditus est elasticitate, quae sono propagando summopere conferat; cohaesio denique atque

---

[1] De exsistentia et ratione finalitatis intrinsecae corporum uberius dicemus infra, in Cosmologia lib. 2, cap. 4.

expansio, quibus typus cuiuslibet corporis in ordine physico constituitur, eo gradu et modo adsunt, ut corpora omnia in hac rerum universitate mutua cum harmonia atque quasi quadam concordia simul esse unaque agere possint. Cuius generis innumerabilia alia sunt exempla, quorum moles eo magis excrescit, quo plura in dies variae naturales disciplinae nova atque abscondita proferunt. Haec omnia qui diligenter consideraverit, non dubitanter dicet ex nulla interveniente tendentia finali evenire non posse.»[1]

Corollaria. I. Ex his sequitur, quid de *casu* sit sentiendum. Nonnumquam enim casu effectum dicimus id, quod *per accidens* producitur, ut cum quis agrum effodiendo casu thesaurum invenisse dicitur. Qui sic loquitur, non negat exsistentiam causae, sed effectum *praeter intentionem* agentis productum esse affirmat. Immo «casus» potius significat *effectum* quam causam, ita ut ille effectus dicatur casus, qui non per se operationem causae sequitur neque ex intentione agentis fit. Unde arbores v. g. non dicuntur casu producere folia, sed casu vulnerare, si cadentes laedunt praetereuntem; ita etiam qui mortem intendit sibique infert, is non censetur casu periisse. «Casus igitur est effectus, qui per accidens sequitur operationem causae seu effectui per se producto per accidens coniungitur. Iam vero aliquid, quod tantum per accidens cum operatione causae coniungitur, inconstanter et raro obtinet; propterea proprietas aliqua, ex qua effectus casualis dignosci potest, est *inconstantia et raritas*. Haec raritas autem intellegitur relativa ad operationem causae. Itaque effectus, qui per se, sed rarissime a causa producitur, non est casualis; constanter enim et semper ex operatione causae oritur. Haec eadem inconstantia est ratio, cur homines ex natura causarum non possint praevidere casum,

[1] *Pesch,* Inst. phil. nat. I[2] 91.

quapropter *haec* impossibilitas praevisionis recte affertur ut signum effectus casualis.»[1] Qui de casu ita loquitur, eius sententia vera est, neque improbari potest eius dicendi modus.

Sunt autem, qui effectum casu ortum intellegant rem aliquam sine ulla causa, neque efficienti neque finali, ad novum esse productam. Qui talia docent, quatenus rem sine causa efficienti produci posse declarant, contra principium causalitatis peccant et proinde absurdum dicunt; prout vero in rebus mundanis complicatissimis et simul ordinatissimis finalitatem negant, non minus inepte loquuntur.

II. Ex doctrina circa causas haec communiter eruuntur axiomata:

1. *Nihil est causa sui ipsius.*
2. *Causa causae est causa causati.*
3. *Sublata causa, tollitur effectus.*
4. *Finis est causa causarum.*
5. *Qui vult finem, vult media.*
6. *Finis primum in intentione, postremum in exsecutione.*

APPENDIX: DE NOTIONE PULCHRI.

Cum notionibus transcendentalibus unitatis, veritatis, bonitatis intime conexa est notio pulchritudinis. Neque tamen transcendentalis haec notio dici potest: secundum communem enim loquendi usum pulchrum dici non potest ens quatenus est ens, sed *quatenus ut tale ens determinatum speciali quodam perfectionis gradu eminet.*

In pulchritudinis notione declaranda non omnes conveniunt[2]. Inter tot vero opiniones, quae veriora esse

[1] *Haan,* Philos. nat.[3] 70.

[2] Discernere in rebus, quae sint pulchra, quae deformia, non est admodum difficile; definire vero in communi, quid sit ratio

videntur, hic breviter explicanda suscipimus via analytica progrediendo.

1. *Elementa materialia pulchri referuntur.*

1. Quod pulchrum dicitur, debet esse *perfectum* quodam modo, i. e.

a) in *unitate* sua perfecte constitutum, ita ut partes, si unitas est compositionis, debite sint proportionatae et dispositae ad unum quid efformandum [1];

b) *bonitate* sua physica vel morali praeditum; res enim, in qua aliquid perfectionis debitae deest, eo ipso quia manca est, non pulchra, sed difformis dicitur;

c) immo non quacumque bonitate physica vel morali fruens, sed nobiliore quodam gradu. «Et vere quidem si aliquid integrum esset res atque perfectum, habens quidem suam essentiam, suum modum, suum ordinem, vile tamen ac sordidum, ad ordinem infimarum rerum pertinens, pulchrum minime diceretur. Etenim pulchra ab omnibus dicuntur ea, quibus perceptis erigit se animus circa ipsa, gratulatur, admiratione suavique stupore afficitur.» [2]

2. Res, quae pulchra dicitur, debet esse *vera,* i. e. habere debet conformitatem vel conformabilitatem cum potentia cognoscitiva, et hanc non qualemcumque, sed perfectam, talem scilicet, ut *sine vi, facili et delectabili vel*

---

illa, ex qua res omnes, corporales et spirituales, formaliter pulchrae sunt et esse videntur, res haec est magnae difficultatis. Pulchritudo enim, quae est veluti corona perfectionis in ente, sua subtilitate, nobilitate, habitudine, cognatione sua cum superioribus in altis habitans, non cuique intuenti se revelat» (*Lepidi,* Elem. philos. christ. II 113).

[1] «La beauté ne consiste que dans l'ordre, c.-à-d. dans l'arrangement et la proportion» (*Bossuet,* Connaissance de Dieu et de soimême c. 1, § 8).

[2] *Lepidi,* Elem. philos. christ. II 114.

iucunda perceptione, animo appareat. Aliis verbis: res, quae dicitur pulchra, debet habere *claritatem.* Unde pulchritudinem definiunt, ut sit *splendor veritatis.* «Ad pulchritudinem», ait S. Doctor, «tria requiruntur: Primo quidem integritas sive perfectio: quae enim diminuta sunt, hoc ipso turpia sunt; et debita proportio sive consonantia; et iterum claritas. Unde quae habent colorem nitidum, pulchra esse dicuntur.»[1]

2. *Ratio formalis pulchritudinis ostenditur.*

Elementa pulchritudinis materialia hucusque analysi declaravimus, ostendendo scilicet qualis debeat esse res, in qua velut in subiecto pulchritudo refulgeat. Iam vero de ipsa ratione inquirendum est, qua pulchritudo formaliter constituatur.

1. Constituitur autem haec ratio relatione quadam cum subiecto potentia cognoscitiva et appetitiva praedito. Scimus enim, quod pulchrum dicitur, id debere esse *verum ita, ut delectabili vel iucunda perceptione* animo appareat. «Pulchra enim dicuntur», ait S. Doctor, «*quae visa placent.*»[2]

2. Potentiae vero, ad quas pulchrum refertur qua tale, sunt rationales, intellectus scilicet et voluntas. «Brutorum enim sensus perceptione pulchri carere ex observatione constat. Pulchrae enim res *qua tales* bruta non movent. Si qui igitur sensus hominis pulchrum aliquatenus percipere valeant, id non ex se, sed ex coniunctione cum intellectu habent, cui inserviunt.»[3]

3. *Formaliter* tamen pulchritudo non consistit in delectabili, quod voluntati affert. «Nam etsi, aspiciendo

---

[1] *S. Thom.,* S. theol. 1, q. 39, a. 8 c.
[2] Ib. 1, q. 5, a. 4 ad 1.
[3] *Frick,* Ontologia[4] 223.

pulchra, iucunda quaedam affectio inde in animo efficitur, tamen non omnia, quae delectabilia sunt, hoc ipso statim ut pulchra haberi possunt. Delectabilis est enim dulcis comestio et suavis odor; non tamen pulchra ista sunt. Quod delectabile est, proprie appetitum respicit; quod pulchrum vero, cognitionem. ‚Pulchrum', ait S. Thomas, ‚respicit vim cognoscitivam; pulchra enim dicuntur quae visa placent.'»[1]

4. Est ergo ratio formalis pulchritudinis sita *in consonantia tali rei perfectae cum intellectu, ut grata inde oriatur animi affectio vel delectatio.* Consistit vero in homine haec consonantia in eo, quod res nobilis atque perfecta facile correspondet archetypo, quod de hac re mens in se exprimit vel iam a se expressum habet.

His dictis intelleges, quid sit «gustus aestheticus», et cur fiat, ut alii aliis facilius de pulchro iudicent, et etiam, cur sint qui pulchra quaedam, puta pulchra moralia, non percipiant.

Definiri ergo potest pulchritudo: «splendor veritatis» vel «splendor ordinis» vel «consonantia rei nobilis atque perfectae cum archetypo in mente»[2]; vel etiam, quoniam archetypum istud primo et per se in mente divina exsistit, definire potest: «est quaedam splendida refulgentia divinae claritatis in rebus»[3].

Ex quibus omnibus facile intelleges, quid sit pulchrum *sensibile,* pulchrum *intellectuale;* pulchrum *physicum,* pulchrum *morale;* pulchrum *naturale,* pulchrum *artificiale.* Pulchritudo enim diverso modo dividi potest, ratione scilicet

---

[1] *Lepidi,* Elem. philos. christ. II 115.

[2] «La beauté est la qualité d'une œuvre qui, par une coordination heureuse de ses diverses parties et de ses moyens d'action, exprime et fait admirer un type idéal, auquel elle est rapportée» (*Mercier,* Métaphys. gén.[5] 540).

[3] *Lepidi* l. c. II 118.

obiecti in quo invenitur, ratione bonitatis in qua fundatur, ratione modi quo oritur, ratione effectus quem producit, etc.; ita ut de pulchro *sublimi* loquantur et de venusto vel *gratioso*. Perfectio enim rei, «si tanta est, ut cognitionem nostram multum superans in mente nostra etiam stuporem quendam et quasi reverentiam excitet, pulchrum *sublime* vocatur. Quodsi perfectio est eius generis, ut affectum tenerum excitet et suavitatis abundantiam, pulchrum *venustum* vel *gratiosum* dicitur.»[1]

---

[1] *Pesch*, Inst. log. II 2, 213.

COSMOLOGIA.

PRAENOTIONES.

I. **Cosmologiae definitio.** Cosmologia (κόσμος et λόγος) est: *scientia mundi per supremas eius causas naturali lumine comparata.* Dicitur:

scientia, i. e. cognitio per causas, sicut rem supra (p. 1 et 249 sqq) definivimus.

mundi. Quid sit mundus, ex dicendis in ipsa Cosmologia philosophice cognoscetur: essentia enim vel natura mundi est una ex eius causis supremis. Nomine autem mundi hic significamus universitatem rerum corporearum, sive viventium sive non viventium. Quam quidem universitatem Graeci κόσμος, Latini mundum, propter ipsius elegantiam et ordinem, appellaverunt.

Hac voce *mundi* indicatur cosmologiae *obiectum materiale,* quo scilicet convenit cum omnibus aliis scientiis, quae de mundo disserunt, puta cum cosmogonia, et distinguitur ab iis, quae de ipso non agunt, qualis est e. g. theodicea vel etiam anthropologia.

per supremas eius causas. Quibus verbis exprimitur huius scientiae *obiectum formale* vel differentia specifica, qua distinguitur a scientiis illis, quibuscum habet obiectum materiale commune. Sunt autem causae illae:

causa ultima *intrinseca* vel *essentia* (quid sit);
causa ultima *efficiens* (a quo sit);
causa ultima *finalis* (cur sit).

naturali lumine comparata, ut distinguatur cosmologia a disciplinis omnibus, quae theologice, i. e. sub lumine supernaturali (revelationis), circa supremas mundi causas instituuntur.

II. **Cosmologiae divisio.** Iam vero cum de corporibus viventibus, quatenus viventibus, sermo sit in Anthropologia, investigationes nostras philosophicas hoc tractatu maxime restringimus ad res corporeas cognoscendas, *quatenus sunt corporeae.*

Ut autem hac in re de magis notis ad minus nota via analytico-synthetica procedamus, tribus libris dicemus:

I. De quantitate corporea.
II. De activitate corporum.
III. De causis supremis mundi corporei, i. e.:
A. De natura mundi corporei (de causa eius essentiali).
B. De origine mundi (de causa eius efficienti).

De causa vero *finali* mundi sermo erit in Theodicea.

Liber I.

DE QUANTITATE CORPOREA.

Caput I.

NOTIO QUANTITATIS.

Articulus I.

ELEMENTA QUANTITATIS ANALYSI EXPONUNTUR.

Res corporeas inspicientibus haec ultro nobis occurrunt:

I. Videmus alia corpora naturaliter cum aliis habere relationem quandam praesentiae, fundatam in eo, quod aliud vel alia tangant aliud ipsumque superficie sua ambiant. Quae superficies concava corporis rem aliam continentis dicitur huius rei *locus* (de quo infra cap. 3, sect. 1 uberius dicemus). Accidens autem rei superveniens ratione eius praesentiae ad locum dicitur *ubi.*

II. Ad modum vero attendentes, quo corpus est in loco, perspicimus omnem substantiam corpoream natura-

liter partes suas ita habere dispositas in loco, ut *una non sit ubi est alia, ratione huius loci:* et haec proprietas dicitur *extensio externa* vel *localis* vel *actualis*. Definitur autem, ut sit: *proprietas, qua fit, ut partes corporis sint extra partes in ordine ad locum.*

III. Rem deinde maturius intuentes facile intellegimus partes illas non posse sic esse unam extra aliam ratione loci, nisi prius una non sit alia, et una revera sit extra aliam in ordine ad se ipsas. Quam quidem proprietatem vocamus *extensionem internam* vel *virtualem* vel *aptitudinariam,* quia per eam fit, ut corpus habeat aptitudinem ad habendum actu extensionem externam. Est autem *positio partium extra partes in ordine ad se.*

IV. In extensione illa denique tria alia videmus esse implicata: *impenetrabilitatem* scilicet, qua corpus excludit quodcumque aliud corpus a loco occupato; *divisibilitatem,* qua fit, ut partes extensae et unitae separari possint; *mensurabilitatem,* qua maior vel minor quantitas determinari potest.

Articulus II.

ELEMENTUM QUANTITATIS ESSENTIALE DETERMINATUR.

Proprietates illae omnes, quas analysi in re corporea invenimus, vulgo tribuuntur quantitati. Ut autem definitionem essentialem quantitatis statuere possimus, requiritur, ut sciamus, quaenam ex illis proprietatibus sit ipsius elementum constitutivum, vel, ut aiunt, quidnam sit quantitatis *effectus formalis primarius,* i. e. quid sit illud quod quantitas primo et per se substantiae corporeae tribuat.

Iam vero multae hac de re exsistunt philosophorum sententiae:

Prima est sententia eorum qui elementum formale quantitatis in *mensurabilitate* reponunt, qua res apta fit, quae mensuretur ipsa vel aliud mensuret.

Secunda sententia docet quantitatem in sola *impenetrabilitate* positam esse.

Tertia sententia eorum est qui formalem rationem quantitatis in *extensione actuali* vel *externa* consistere docent. «Huc referenda est illa quantitatis cogitatio, quae in Cartesii necnon Leibnizii errore invenitur. Quoties enim illi erroribus suis irretiti quantitatem vel extensionem cogitant, nihil aliud in mente habent quam extensionem externam (localem), quae actualis sit.» [1]

Quarta est sententia *Capreoli,* qui cum nonnullis aliis quantitatis elementum essentiale in *divisibilitate* posuit. Ut enim res habeat partes, quae extra partes poni possint, effici a divisibilitate putabant.

Quinta sententia, quam *thomisticam* vocant, eorum est qui effectum formalem quantitatis in eo esse dicunt, quod substantiae tribuat *compositionem entitativam,* quae est ex partibus *integrantibus.* Ita *Nys* [2] sententiam explicat, quam *Aristoteli* tribuit atque *D. Thomae.*

---

[1] *Pesch,* Inst. philos. nat. II² 23.

[2] «Aristote, saint Thomas et bon nombre de scolastiques anciens et modernes placent l'essence de la quantité dans la composition entitative du corps. Expliquons-nous : D'elle-même, c'est-à-dire abstraction faite de toute ajoute accidentelle, la substance corporelle ne comprend que deux réalités distinctes, la matière et la forme. Il existe donc en elle une composition qui la rend susceptible de division. Mais la division ne peut séparer ici que les deux élements hétérogènes et consubstantiels dont l'être est constitué. On donne à ce genre de composition le nom de *composition substantielle.* Il n'en est pas question à l'heure présente. Outre cette dualité de principes essentiels, nous concevons dans les corps une multiplicité beaucoup plus grande et d'une toute autre nature. Tout corps en effet se laisse fractionner en parties nombreuses homogènes, dont chacune contient une portion de matière et de forme. Les deux constitutifs unis d'une manière indivise sont ici le sujet de la division, de sorte que les parties

Sublata enim quantitate, sic aiunt huius sententiae fautores, substantia corporea non habet compositionem nisi *substantialem* ex materia et forma. Neque enim corpus dici potest in ipsa sua essentia iam habere partes integrantes, alioquin eadem ratione dici potest in essentia sua habere aptitudinalem extensionem. Tunc autem rueret omnis distinctio realis inter substantiam corpoream et eius quantitatem [1]. Effectus proinde primarius quantitatis in eo est quod substantiae corporeae tribuat *compositionem entitativam.* Neque tamen ipsam *realitatem* partium tribuit sed tantum *rationem partium,* qua substantia fit divisibilis [2].

---

obtenues s'appellent à bon droit ‚parties intégrantes' de l'être corporel. Elles ne concourent point, on le voit, à la constitution première de l'être substantiel, mais à l'intégrité de sa masse. Pour distinguer ce nouveau mode de composition, on le désigne par le terme de *composition entitative.* D'après l'opinion thomiste, la substance matérielle n'a d'elle-même que le premier mode de composition; les parties intégrantes lui font totalement défaut. Aussi se montrerait-elle réfractaire à la division, si la quantité n'introduisait en elle la multiplicité potentielle. *Essentiellement composée de parties, la quantité, en s'unissant à la substance, lui communique la composition qu'elle porte en son sein, et en fait un tout divisible*» (Cosmologie [2] 277 sq).

[1] «Si, comme le soutient Suarez, l'essence corporelle possède, d'elle-même, des parties intégrantes, pourquoi ces parties n'auraient-elles pas aussi, d'elles-mêmes, une aptitude naturelle à recevoir l'étendue? Qu'y a-t-il de plus conforme à la nature d'un tout matériel que cette prise de possession d'un espace déterminé? Il nous paraît donc inutile de greffer encore sur les éléments intégrants de la substance, à l'effet de les prédisposer à l'actuation de l'étendue les nouvelles parties intégrantes de la quantité suarezienne. A notre sens il y a là une superfétation manifeste, où vient s'évanouir l'être réel de la quantité» (*Nys,* Cosmologie [2] 276 sq).

[2] «Est-ce à dire qu'elle (la quantité) donne à son sujet la réalité des éléments intégrants dont il est constitué? Nullement; autant vaudrait affirmer que l'accident produit la substance qui lui

Sexta denique sententia docet essentiam quantitatis in *extensione* esse *interna,* i. e. in positione partium extra partes in ordine ad se. Quae sententia tribuitur *Suaresio*[1] neque a mente *Aquinatis*[2] videtur esse aliena[3]. Est autem haec eius ratio praecipua:

Illud est elementum alicuius rei constitutivum, quod in ea concipitur ut primum esse et tamquam radix omnium

---

sert de soutien. Mais la quantité est la raison pour laquelle la masse substantielle, d'elle-même indivisible, devient un tout potentiel, un multiple fractionnable en parties intégrantes» (*Nys,* Cosmologie[2] 278).

[1] Metaph. disp. 40, n. 15: «Unde ad usum terminorum distinguere possumus triplicem extensionem: una est entitativa, quae non pertinet ad effectum quantitatis, ut dictum est, sed potest inter partes substantiae et qualitatis reperiri sine quantitate. Alia dici potest extensio localis seu *situalis in actu.* Et haec posterior quantitate. Alia denique est extensio quantitativa, qua dici potest *situalis aptitudine,* et in hac ponimus rationem formalem quantitatis.»

[2] Qui «Positio», inquit, «quae est ordo partium in toto, in quantitatis ratione includitur, est enim quantitas positionem habens» (Summa c. gent. l. 4, c. 65); et alibi (4, dist. 44, q. 2, a. 2): «Quantitas dimensiva est quantitas habens situm»; item in opusc. 42 c. 16 aperte docet: «*Pars et pars in aliquo est per quantitatem.*»

[3] «Est vero», ait Pesch, «inter optimos quosque auctores controversia, utrum formalis ratio quantitatis sit primario aptitudo ad impenetrabilitatem (ut volunt scholastici multi recentiores) an ad ipsam extensionem localem (ut affirmat Suarez), an sit primario et per se ipsa extensio interna, i. e. extensio partium in ordine ad totum (id quod S. Thomas videtur docuisse). Hanc sententiam Suarez *communem* apertis verbis dicit atque protestatur se non impugnare eam, sed explicare velle (In Summam theol. 3, d. 48, s. 1, n. 21). *In qua controversia maior est verborum quam rerum discrepantia,* et nobis quidem persuasum est sententias illas non difficulter inter se posse conciliari (Inst. philos. nat. II[2] 24).

aliarum proprietatum[1]. Atqui talis non est nisi extensio interna. Etenim prius intellegitur substantia habere partes in ordine ad se, i. e. unam extra aliam sitam, quam habere partes in ordine ad locum; sicut prius est habere pecuniam quam pecuniam dare. Item prius est habere partes, quarum una est extra aliam, quam dividi posse. Ratio proinde, cur substantia occupet locum vel habeat extensionem externam, item ratio, cur substantia sit divisibilis, impenetrabilis, mensurabilis, est, quia substantia est in se ipsa extensa, habet extensionem internam. Compositio vero entitativa, qua scilicet corpus *in ipsa sua substantia* habet partes integrantes, oritur non ex *quantitate* sed ex essentia, qua corpus est corpus. Et re quidem vera, sublata quantitate, materia, quae est pars corporis constitutiva, maneret *entitative* extensa, quia non desineret esse *materia*[2].

Sed haec obscuriora sunt quam ut solo rationis lumine clare perspici possint[3].

Quodsi lumen, quod ex revelatione nobis affulget, lumini naturali admoverimus, hac in re sic argumentari

---

[1] Cf. supra p. 286.

[2] De hac re contra sententiam a Nys propugnatam subtiliter disputavit *E. Lanusse* in libello periodico qui inscribitur «Revue néo-scolastique» 1904, 176 sqq.

[3] Sunt qui *physicarum* rerum cognitione magis quam *metaphysicarum* imbuti quantitatem continuam per duplicem vim, expansivam scl. et attractivam, ratione bene explicari posse contendant. «Vis enim expansiva», sic aiunt, «facit, ut partes entitativae materiae sint ab invicem distantes; vis vero attractiva continet eas in unitate» (sic *Gust. Pécsi*, Cursus brev. phil. I 257). Sed qui talia loquuntur, ii rem de qua quaeritur, non attingunt. Neque enim hic quaeritur, *quanam vi physica* partes physicae distineantur atque contineantur, sed quaeritur quid sit illud quod quantitas *primo et per se substantiae tribuat,* divisibilitatemne *primo* tribuat, an impenetrabilitatem, an extensionem, an alias ex illis proprietatibus quas analysi in re corporea invenimus.

licebit: Iuxta sententiam communem theologorum corpus Christi Domini in Sanctissima Eucharistia retinet quantitatem suam, nec tamen habet extensionem externam; non enim alia pars eius est in alia parte loci, alia in alia, sed totum est in singulis partibus loci, nec expellit alia corpora e loco, nec est divisibile nec mensurabile.

Ergo potest esse quantitas sine extensione externa, sine impenetrabilitate, sine divisibilitate, sine mensurabilitate. Sed id, sine quo esse potest quantitas, non est eius elementum constitutivum vel essentiale.

Ergo elementum essentiale quantitatis neque est extensio externa, neque impenetrabilitas, nec divisibilitas, nec mensurabilitas.

Remanet ergo, ut elementum quantitatis essentiale sit *extensio interna* vel etiam *compositio entitativa*[1].

Articulus III.

ENTITAS EXTENSIONIS DECLARATUR.

Assertio I. — Extensio est obiectiva quaedam realitas. Extensionem corporum nihil aliud esse nisi formam quandam subiectivam sententia erat Kantii et eorum, qui, doctrinam eius evolventes, in idealismum inciderunt[2]. Nec desunt inter recentiores «philosophos», qui, ut Überweg, Lange, Ioan. Müller[3], Kantii sententiae hac in re faveant.

Sed haec omnia non solum gratis affirmantur[4], sed etiam contra tam evidens conscientiae testimonium sunt excogitata, ut merito inter scepticorum dementias reiciantur. Et re quidem vera, fides illa totius generis humani de realitate obiectiva extensionis tam universalis est, tam

---

[1] Cf. *Pesch,* Inst. philos. nat. II[2] 24 sq; *Lehmen-Beck,* Lehrbuch der Philosophie II[3] 32 sq; *Haan,* Phil. nat.[3] 20 sq.

[2] Cf. supra p. 144 et 161 sqq.

[3] Cf. *Ioan. Müller,* Physiologie des Gesichtssinnes c. 2, p. 54 sq.

[4] Cf. supra p. 156.

constans, rationi et experientiae tam conformis, ut non nisi ex motu naturali potentiae cognoscitivae oriri potuisse dicenda sit. In voce autem naturae nemo, nisi scepticus esse velit universalis, errorem ponere potest [1].

Praeterea, nisi ipsa activitas corporum negetur, operationes corporum obiective extensas esse clare constat. Ergo et ipsa natura corporum, cuius haec operatio non est nisi effluxus quidam, obiective extensa esse dicenda est [2]. Ergo extensio est obiectiva quaedam realitas.

Assertio II. — In ordine entitatum realium extensio est accidens. Manifesto enim apparet illud «habere partes alias ab aliis distinctas et alias extra alias dispositas» esse entitatem, cui convenit esse, non in se, sed in alio, et proinde esse accidens.

Assertio III. — Extensio, externa praesertim, videtur esse accidens absolutum. Quaerunt scholastici, utrum accidens illud sit absolutum an modale tantum. Iam vero *solo rationis lumine* haec quaestio solvi non potest, quia natura extensionis, praesertim internae, nobis non satis nota est. Quilibet igitur philosophus sincere sapiens, ut philosophus, assensum suum hac in re sibi ignota cohibeat necesse est [3].

Sed si, ad extensionem externam maxime attendentes, lumini rationis *lumen fidei* admoverimus, legitime inferre poterimus quantitatem esse accidens absolutum. Est enim communis theologorum sententia in Sanctissima Eucharistia, sublata post consecrationem substantia panis, *perdurare* eius *quantitatem, cui reliqua accidentia inhaereant.* Quam perdurationem explicant, non ut Cartesiani volunt, per affectiones subiectivas a corpore Christi praesente, vel

---

[1] Cf. supra p. 198 et 230.

[2] Cf. *Lehmen-Beck* l. c. II [3] 24.

[3] Cf. *Lepidi,* Elem. philos. christ. II 185. — De notione vero accidentis absoluti et accidentis modalis vide supra p. 338 sq.

ab aëre circumstante, vel a quacumque alia causa effectas, sed docendo accidentia panis et vini supra omnem naturae ordinem ipsa se, nulla alia re nixa, sustentare [1].

Assertio IV. — Evidenter ostendi non potest separabilitatem quantitatis a substantia rationi repugnare.

Cum quantitas videatur esse accidens absolutum, ulterius in Schola quaeritur, num talis sit naturae, ut a substantia separari possit. Sed nec altera haec quaestio solo rationis lumine solvi potest [2]. Quare satis nobis christianis philosophis esse videbitur, si lumine naturali intellexerimus neminem ostendere posse separabilitatem quantitatis a substantia evidenter repugnare.

Facile vero intellegitur hoc ostendi non posse.

1. Neque enim ostendi potest hac in re evidens repugnantia *interna*, quia:

a) Probari non potest, sublata substantia, eo ipso auferri entitatem quantitatis. Sicut enim nos certo ostendere non possumus essentiam quantitatis constitui entitate propria, ab entitate substantiae aliter ac modaliter distincta, sic nec adversarii ipsi *certo* ostendere possunt illam entitatem *non esse nisi modum,* quia nec ipsis, lumine naturali utentibus, haec entitas satis est nota.

b) Probari non potest accidentia, sublata substantia, fieri substantias, quia simplex *ablatio* substantiae *nihil affert* entitati accidentium, quae remanent in sua infirmitate constituta.

Repugnantia proinde, si qua adesset, esset extrinseca tantum, orta scilicet ex defectu alicuius causae, quae accidentia in hoc statu separabilitatis sustentare valeat.

---

[1] Cf. Conc. Trid. sess. 13, can. 2; Catech. Conc. Trid. P. II, de Eucharistia. — *Lepidi,* Elem. philos. christ. II 186.

[2] Cf. supra p. 338 et 339.

2. Sed neque *externa* repugnantia vel impossibilitas ostendi potest. *Evidenter* enim ostendi non potest hoc a Deo saltem fieri non posse.

Primo enim nemo certo ostendere potest Deum vel ens infinite perfectum non exsistere: quod ex Theologia naturali patebit. Immo hoc ipso tractatu ostendemus revera exsistere ens quoddam a se et proinde infinite perfectum, quod est huius mundi creator.

Sed, admissa interim Dei exsistentia,

a) certo probari non potest separabilitatem illam repugnare *potentiae* Dei, quippe qui facere possit immediate, quod facit mediantibus causis secundis;

b) neque evidenter ostendi potest sustentationem illam accidentium repugnare *sapientiae* Dei. Quis enim hominum investigabit vias Eius? Quis consiliarium Eius se constituere audebit?

Immo afferunt theologi rationes, propter quas conveniens videtur esse Deum res sic ordinasse.

Caput II.

DE DIVISIONE GENERALI QUANTITATIS.

Quantitas, cuius notionem supra declaravimus, in sensu proprio et stricto erat accepta. Haud raro tamen vox quantitatis *sensu quodam latissimo* usurpatur ad significandum *quamlibet perfectionum magnitudinem vel partium extensionem sive multitudinem.* Quo sensu accepta quantitas dividitur generatim in quantitatem virtutis et in quantitatem dimensivam.

Quantitas *virtutis* vel quantitas *improprie dicta est magnitudo perfectionis sive* **essentiae** *cuiusdam sive* **exsistentiae** (durationis) *sive agendi* **virtutis.** Haec quantitas rebus spiritualibus aeque ac corporalibus convenit. Sic quaeri potest, *quanta* sit excellentia animae humanae, angelorum, ipsius Dei.

Quantitas *dimensiva* vel *proprie dicta* vel *corporea* est *partium extra partes positio.* Non agitur hic nisi de quantitate proprie dicta vel corporea, cuius diversae distinguuntur species.

I. Est enim quantitas, si consideratur *modus, quo partes sunt positae una extra aliam,* vel permanens vel successiva.

Quantitas dimensiva *permanens* est partium extra partes positio talis, ut *omnes simul exsistant.* Talis est e. g. quantitas arboris, lapidis, multitudinis cuiusdam hominum.

Quantitas *successiva* est partium extra partes positio talis, ut una post aliam fluat neque umquam simul exsistant. Talis est quantitas motus stricto sensu accepti (motus successivi)[1].

Ad quantitatem permanentem refertur *spatium,* ad quantitatem vero successivam *tempus,* de quibus infra uberius dicemus.

II. Si ad *conexionem diversarum partium* attenditur, dividitur quantitas in discretam et continuam.

Quantitas *discreta* est partium extra partes positio talis, ut nullo communi vinculo copulentur. Haec est quantitas e. g. *multitudinis* cuiusdam hominum. Quantitas discreta non raro dicitur etiam quantitas *numerica,* quatenus scilicet est *quantitas multitudinis mensuratae per unum* vel numeri[2].

Quantitas *continua* est partium extra partes positio talis, ut omnes communi quodam vinculo copulentur. Quantitas *permanens continua* est quantitas sensu proprio et stricto accepta, atque uberius definitur: accidens extensivum substantiae in partes in ordine praecipue ad ipsam substantiam.

III. Si *modus eius essendi* consideratur, quantitas est vel physica vel mathematica.

---

[1] Cf. supra p. 281. [2] Cf. supra p. 300.

Physica est quantitas considerata *prout est in rebus in concretione* sua materiali.

Mathematica vel intellegibilis est quantitas *prout consideratur a mente* abstracte *ab omnibus qualitatibus sensibilibus* ita, ut nihil retineatur nisi extensio [1]. Quam quidem quantitatem dividunt in corpus mathematicum, superficiem, lineam.

a) *Corpus* (mathematicum) est quantitas *tribus* constituta dimensionibus: longitudine, latitudine, profunditate.

b) *Superficies* definitur: quantitas *duabus* constituta dimensionibus: longitudine, latitudine. Quae duplex distingui potest. Est enim:

vel superficies *simpliciter dicta*; qualis est superficies *convexa* turris e. g. in aëre constitutae;

vel superficies *ambiens* vel continens, qualis est aëris e. g. turrim ambientis superficies *concava*.

c) *Linea* est quantitas *una* constituta dimensione: longitudine [2].

Caput III.

DE DUABUS PRAECIPUIS QUANTITATIS SPECIEBUS SIVE DE SPATIO ET DE TEMPORE.

Sectio I.

DE SPATIO.

Articulus I.

NOTIO SPATII EVOLVITUR.

Ad notionem spatii ex notione loci devenimus. Prius ergo evolvenda est notio loci.

---

[1] Cf. ea, quae in Logica de abstractione mathematica (p. 22) diximus.

[2] Ex disciplinis mathematicis omnibus satis notum est *punctum* non esse quantitatis *speciem*, sed ita esse quantitatis *terminum*, ut *in se* nulla ratione quantitatem retineat. Punctum enim *in se* nullam habet ex his tribus dimensionibus.

I. **De notione loci.** Locus generatim duplex distinguitur: internus et externus.

Locus *internus* alicuius rei est extensio vel superficies simpliciter dicta [1] huius rei *considerata tamquam receptaculum* eius molis. Talis locus est independens a coexsistentia aliorum corporum; nam e. g. si unicum esset corpus, hoc haberet suum locum internum et diceretur contineri intra suas dimensiones.

Locus *externus* vero, qui communiter intellegitur, quoties locus simpliciter enuntiatur, est: *superficies concava rem locatam primo ambiens eaque immobilis.* Dicitur:

superficies *concava,* i. e. superficies alicuius corporis rem locatam *continentis,* et quidem superficies tantum, qua res locata mensuratur, non autem ipsum corpus. Sic locus, in quo est turris, non est totus aër, sed est superficies aëris, qua aër turrim attingit fitque ei continguus.

rem locatam *primo ambiens,* i. e. immediate ambiens, ut distinguatur locus *proprius,* de quo hic agitur, a loco *communi,* qui est superficies remota, quae plura, mediantibus aliis, circumscribit. Sic, quando plures homines in eadem sunt aula, locus proprius uniuscuiusque est superficies ipsum immediate extrinsece ambiens, locus vero communis est e. g. aula.

eaque *immobilis,* quo verbo indicatur superficiem corporis continentis non habere rationem loci secundum quantitatem suam physicam neque secundum materialem suam entitatem, quae potest mutari, quemadmodum mutatur aër circa turrim et aqua fluens circa scopulum; sed habere rationem loci *secundum quantitatem intellegibilem* vel mathematicam, in qua consideratur unice *situs, ordo* atque *distantia* alicuius puncti immobilis, puta ad polos vel ad centrum terrae [2].

---

[1] Quid sit superficies simpliciter dicta, supra declaratum est.

[2] Recole ea, quae supra (p. 399) circa quantitatem mathematicam diximus.

II. De ipso conceptu spatii. Spatium autem est extensio ex non interrupta coexsistentium corporum serie constituta, considerata ut receptaculum locandorum corporum motuumque localium[1].

Spatium proinde ipsum quoque *superficies* est et extensio, quasi corporum receptaculum. Sed cum locus pars spatii sit, quae corpore occupatur et impletur, spatium est totum magnitudinis intervallum ab illo corpore nondum impletum[2].

Iam vero spatium duplex distinguitur: reale et imaginarium.

Spatium *reale* est *extensio realis ex non interrupta coexsistentium corporum serie constituta,* considerata ut receptaculum locandorum corporum motuumque localium.

Spatium *imaginarium* est «immensa illa vacuitas ac spatiosum nihil, quod extra huius mundi limites ad instar spatii realis sine fine diffusum et immobile in animo pingimus»[3].

ARTICULUS II.

ENTITAS SPATII DECLARATUR[4].

I. Quoad spatium reale. 1. Primo quidem admittendum est spatium illud, quod vocamus reale, revera esse *aliquid reale,* neque esse *formam quandam a priori* menti innatam, sub qua phaenomena sensibus externis percipiantur. Haec enim a Kantio excogitata sententia, cum gratis asseratur, gratis negatur, nec ullo modo infirmare potest iudicium, quo, natura duce, spatium esse aliquid exsistens in se a perceptione animi non pendens evidenter admittimus[5].

---

[1] Cf. *Pesch,* Inst. philos. nat. II² 126 sq.

[2] Cf. *Lepidi,* Elem. philos. christ. III 105. [3] Ib.

[4] Diversas opiniones circa naturam spatii accurate explicatas invenies apud *Nys,* La nature de l'espace d'après les théories modernes 5—141. [5] Cf. supra p. 156 et 166.

2. Neque tamen in ordine realium spatio nimium tribuendum est. Imprimis vero improbanda est sententia *Newtonii,* qui spatium *immensitatem Dei* esse contendit. «Deus», inquit, «est aeternus et infinitus per essentiam . . . durat semper et est ubique, et exsistendo semper et ubique *durationem* et *spatium* constituit.»

Iam vero spatium esse immensitatem Dei dupliciter intellegi potest. Primo quidem eo sensu, ut intellegatur immensitatem Dei spatio *significari* posse, quatenus, quaecumque spatia imaginari possunt, tanta semper admittenda sit immensitas Dei, ut ipsis illis spatiis essentia et virtute sua adesse supponatur. Et hoc sensu vera est Newtonii sententia; nihil enim magis aptum est ad divinam immensitatem repraesentandam, quam animo concipere: posse Dei virtutem spatia imaginaria sine fine diffusa sine fine implere. Secundo autem spatium esse immensitatem Dei eo sensu intellegi potest, ut admittatur spatium non significare, sed *esse* ipsam immensitatem Dei, attributum scilicet quoddam Dei. Quo sensu prorsus improbanda est Newtonii sententia. Spatium enim, quod nobis repraesentamus, concipimus ut aliquid finitum constans partibus, quarum una non est alia, quae omnia conceptui entis infiniti repugnant [1].

3. Neque admittendum est spatium esse ens quoddam reale, quod, *ut commune corporum receptaculum,* a parte rei exsistat ut res ab extensione corporum realiter distincta. Spatium enim concipimus ut ens, quod sit omnium extensorum quasi *receptaculum.* Iam vero si illud receptaculum, *prout est receptaculum extensum,* supponimus esse ens reale, ab aliis corporibus distinctum, ipsum revera non erit spatium illud, quod concipimus, quia ipsum, utpote extensum realiter, alia re indigebit, in qua reci-

---

[1] Cf. *Lepidi,* Elem. philos. christ. III 108.

piatur. Quae, si revera adesset, alio itidem indigeret receptaculo, et ita deinceps in infinitum [1].

4. Spatium proinde, quatenus est aliquid a parte rei, aliquid reale, *est ipsa extensio*, quam obiective realem esse supra (p. 394 sq) ostendimus.

5. *Formaliter* autem acceptum spatium non est extensio concepta ut talis, vel continuata corporum extensorum series, sicut Cartesius rem explicavit. Alium enim nobis conceptum efformamus, cum de serie corporum extensorum vel de sola extensione cogitamus, alium vero cum spatium nobis repraesentamus: siquidem spatium concipimus ut ens quoddam *continens*, seriem vero corporum extensorum ut in spatio *contentam*.

6. Spatium proinde *formaliter sumptum*, ut est extensio concepta *ut capax continendi* corpora motusque locales, est *ens rationis cum fundamento in re*. Est ens rationis, quia *ut receptaculum* revera non exsistit in rerum natura nec exsistere potest, sed *esse obiective habet tantum in intellectu* [2]. Est tamen ens rationis *cum fundamento in re*, quia est ens, cui extra mentem ex rerum partibus respondet aliquid positivi, quod praebet fundamentum directum huiusmodi conceptus efformandi. Illud autem fundamentum invenitur in extensione rerum omnium coexsistentium [3].

II. **Quoad spatium imaginarium.** Quae hucusque de entitate spatii diximus, ad spatium reale maxime referenda sunt. Neque tamen spatium imaginarium ut forma quaedam mere subiectiva habendum est, cui nihil extra mentem respondeat. Habet enim suum fundamentum *in possibili-*

---

[1] Cf. *Lehmen-Beck*, Lehrbuch der Philosophie II [3] 39; item *Pesch*, Inst. philos. nat. II [2] 135.

[2] De notione entis rationis vide supra p. 266 sq.

[3] Cf. *Lehmen-Beck* l. c. II [3] 42 sq; item *Pesch* l. c. II [2] 144 sq.

tate illa a mente humana independente, qua fit, ut praeter haec, quae modo sunt spatia, innumerabilia alia a Deo creari possint per novam et indefinitam corporum productionem [1].

Articulus III.

De corporum praesentia in spatio vel in loco.

§ 1. De accidente ubi.

Notio. Eo ipso quod res corporeae simul coexsistunt ita, ut alius quantitas dimensiva commensuretur quantitate alius, in ipsis oritur accidens quoddam, quod dicitur *ubi.* Definitur autem: *accidens resultans in rebus ex eo, quod exsistunt in loco vel in spatio et eo commensurantur.*

Species. Esse autem in loco generatim dupliciter intellegi potest:

1. *Circumscriptive* vel localiter vel *proprie* aliquid est in loco, quando est in ipso secundum commensurationem propriae *quantitatis dimensivae,* i. e. cum extensione externa ita, ut alia pars eius sit in alia parte loci, alia in alia, et totum in toto, unde a loco mensuretur, circumscribatur, contineatur. Sic omnia corpora iuxta legem naturae sunt in loco. Accidens vero rei superveniens ratione huiusmodi essendi in loco dicitur *ubi circumscriptivum.*

2. *Definitive* vel *improprie* est in loco id, quod loco praesens est secundum *quantitatem virtutis* [2], ita ut loco non circumscribatur, sed essentia vel virtute sua ipsum attingat, et, cum non habeat partes, secundum totam suam essentiam sit tota in singulis loci partibus; sic spiritus sunt in loco, sic in specie anima humana est in corpore. Accidens rei creatae superveniens ratione huiusmodi essendi in loco dicitur *ubi definitivum.*

---

[1] Cf. *Lepidi,* Elem. philos. christ. III 106.

[2] Quid sit quantitas virtutis, supra p. 397 declaratum est.

Exemplum huius rei sensibile et proinde imperfectum habemus in sono, qui totus est intra aliquam sphaeram et etiam quodam modo totus in singulis huius sphaerae partibus. Notandum tamen esse gradus tali modo essendi in loco. Angelus enim e. g. movens aliquod corpus non eodem modo praesens est ipsi corpori quo Deus.

3. Theologi, propter mysterium sanctissimae Eucharistiae, tertium distinguunt modum essendi in loco, esse scilicet *sacramentaliter* vel *ubi sacramentale:* qui est modus, quo corpus est in loco secundum extensionem *internam* tantum et proinde sine commensuratione partium ad locum.

§ 2. De compenetratione et replicatione corporum.

1. *De compenetratione corporum.*

Universali experientia evidenter compertum est corpus quoddam localiter extensum arcere semper aliud corpus a loco suo, ne simul cum ipso eundem locum occupet. *Proprietas vero, qua fit, ut corpus quoddam localiter extensum arceat aliud corpus a loco suo, ne simul cum ipso eundem locum occupet, dicitur impenetrabilitas.*

Impenetrabilitas proinde est proprietas, quae *secundum legem naturae* omni corpori convenit.

Quaeri tamen potest, *num rationi repugnet* plura corpora ita compenetrari, ut simul in eodem loco *circumscriptive* esse possint; et ad hanc quaestionem ponimus

Thesim. *Compenetrationem proprie dictam esse impossibilem impossibilitate metaphysica certo ostendi non potest.*

Status quaestionis. Non quaeritur hic de compenetratione illa physica, qua fit, ut unum corpus intret *in poros* alterius. Hanc enim compenetrationem fieri posse

et revera fieri sine ullo miraculorum interventu omnibus manifestum est.

Sed quaeritur de compenetratione stricto sensu accepta, quae fit, cum unum corpus eundem omnino locum occupat ac aliud.

Hanc compenetrationem *physice impossibilem* esse omnes admittunt, ipsam vero miraculo nonnumquam contigisse theologi catholici docent, ut quando Christus ianuis clausis ad apostolos subintravit, vel etiam cum corpus Domini Nostri resurgentis e sepulcro prodiit.

Nobis proinde philosophis satis erit, si ostenderimus hanc theologorum sententiam absurdam esse, certo ostendi non posse.

Thesis probatio. Compenetrationem esse metaphysice impossibilem tunc solum certo ostendi posset, si ostendi posset impenetrationem vel repulsum *actualem* corporis alterius esse de essentia quantitatis. Sed hoc cum certitudine ostendi non potest, cum aliunde iam constet hoc non esse nisi effectum secundarium quantitatis, effectum autem primarium quantitatis esse solummodo extensionem internam cum impenetratione aptitudinali.

Cum autem Deus facere possit quidquid intrinsece non repugnat, manifestum quoque est certo ostendi non posse ex parte efficientiae divinae compenetrationem esse extrinsece impossibilem.

Corollarium. Ex his etiam intelleges absolute non repugnare rem extensam *proprie* [1] esse *nullibi.* Ex iis enim, quae hucusque declaravimus, constat extensionem externam actualem non esse de essentia quantitatis, sed tantum extensionem externam aptitudinalem vel extensionem internam. Proinde esse proprie in loco non est de

[1] Quid sit esse *proprie* in loco, supra (p. 404) declaratum habes.

essentia rei extensae. Atqui quod de essentia alicuius rei non est, id potest, metaphysice saltem, ab illa separari; potest proinde res ita exsistere in se, ut nullibi sit.

Et re quidem vera, extrema ora huius mundi corporei nullibi est, et tamen extensa est. Item si Deus unicum crearet corpus, quod non repugnat, hoc corpus nullibi esset [1].

2. *De replicatione corporum in spatio.*

Secundum legem naturae, item experientia scimus corpora omnia ita esse in uno loco, ut simul in alio loco esse non possint. Unde fit, ut, cum sciamus aliquem fuisse in tali loco determinato, cum *certitudine physica* inferamus ipsum, eodem temporis momento, non fuisse alibi.

Sed quaeri potest, num rationi repugnet corpus aliquod simul esse pluribus locis. Quae quaestio duplicem habere potest sensum:

Primo enim quaeri potest, *num* **absolute** *loquendo*, i. e. abstractione facta a modo, quo fiat illa replicatio, *rationi repugnet idem corpus esse simul pluribus locis.*

Altera vero quaestio est, *num unum idemque corpus possit* **circumscriptive** *esse pluribus locis simul.*

Prioris quaestionis solutio.

Thesis. Absolute *non repugnat unum et idem corpus pluribus locis simul esse.*

Probatur. Tunc solum absolute repugnaret unum idemque corpus pluribus locis simul esse, si esse in aliquo loco simul diceret non esse alibi, e. g. si esse Metis simul diceret non esse Romae. In hoc enim casu affirmare aliquid esse simul pluribus locis esset affirmare et negare simul idem de eodem.

---

[1] Cf. *Lepidi,* Elem. philos. christ. III 101.

Etsi autem *secundum legem naturae* semper *fit,* ut corpus, cum in uno loco sit, simul non sit in alio, *secundum conceptum* tamen hoc minime necesse est esse. Etenim:

a) Esse in aliquo loco dicit tantum exercere relationem praesentiae ad hunc locum, non autem simul dicit nullam aliam relationem praesentiae exercere.

b) Quando res dicitur esse in pluribus locis, tunc non idem de eadem re affirmatur et negatur, sed diversa de eadem re sub diversa ratione affirmantur; eadem enim res affirmatur esse hic secundum unam relationem praesentiae, et esse alibi secundum aliam relationem. Sic e. g. corpus Christi una praesentia *circumscriptive* est in caelo, aliis vero praesentiis *sacramentaliter* est in pluribus locis simul, ubicumque scilicet sunt species eucharisticae.

Alterius quaestionis solutio.

Utrum vero *circumscriptive* unum idemque corpus possit esse pluribus locis simul necne, inter philosophos non constat.

a) *S. Thomas* enim et alii multi, inter quos *S. Bonaventura,* corpora pluribus locis circumscriptive simul inesse repugnare docent. Probant autem suam sententiam hoc praecipuo argumento: «Aliquod corpus esse localiter in aliquo loco nihil est aliud, quam corpus circumscribi et comprehendi a loco secundum commensurationem propriarum dimensionum; quod autem comprehenditur a loco aliquo, ita est in ipso loco, ut nihil eius sit extra locum illum; unde ponere, quod sit localiter in loco, et tamen sit alio loco, est ponere contradictoria simul.» [1]

b) Alii contra, inter quos *Scotus, Suarez, Franzelin,* contradicunt, dicendo hoc absolute non repugnare, ita

[1] *S. Thom.,* Quodlib. q. 3, a. 2.

ut per miraculum corpus quoddam pluribus locis circumscriptive simul esse possit.

Sic autem argumentantur: Occupare locum localiter vel circumscriptive est effectus *secundarius* quantitatis; nam quantitas formaliter inspecta, quatenus est extensio interna, non occupat locum circumscriptive, sed extensio externa. Proinde, sicut extensio externa impediri potest, ita etiam potest per miraculum multiplicari, non multiplicato effectu primario.

Ad difficultatem vero ab adversariis molitam respondent distinguendo hoc modo: Corpus esse circumscriptive in loco expostulat, ut nihil eius sit extra, i. e. ita ut nihil sit, quod ibi non sit, *conc.*; ut nihil sit, quod non sit solum ibi, *nego*.

De modo denique, quo multilocatio illa fiat, multiplex est philosophorum sententia.

Sunt (Suarez inter alios) qui censeant *reproduci* ipsam substantiam. Unde actionem, qua fit multilocatio, vocant *reproductivam*.

Alii vero (inter quos Scotus, Bellarminus, Vasquez, Lugo) solam *relationem praesentiae* vel «ubi modale» reproduci censent, ita ut actionem corpus multilocantem dicant *adductivam*.

«Poni enim in diverso loco», aiunt, «nihil aliud est quam habere duas ubicationes diversas, respondentes diversis spatiis; at has ens habere potest per solam actionem adductivam. Quae fit sine motu locali, quia non fit translatio, sed res retenta loco priore simul in alio eoque dissito constituitur.» [1]

Haec altera sententia videtur esse verisimilior. Quapropter minus recte dicere videntur qui affirmant corpori compluribus locis constituto omnia omnino competere posse in diversis locis, quae duobus vel pluribus corpori-

[1] Cf. *Pesch,* Inst. philos. nat. II² 158.

bus eiusdem speciei in compluribus locis propria sint vel accidere possint: ita ut homo quidam multilocatus in uno loco esurire, in altero simul satiari possit; hic peccare, ibi bene agere; hic esse felix, ibi infelicissimus; se ipsum interficere in uno loco et in altero manere superstitem; alia eiusmodi. Sed audiendus est magis P. Lepidi, qui «quaecumque fiunt circa esse substantiale corporis», inquit, «in uno loco, fiunt circa idem etiam exsistens in alio loco; hinc si calefiat, si frigescat, si sentiat, si ratiocinetur in uno loco, calefit, frigescit, sentit, ratiocinatur in alio loco, in quo pariter exsistit. Verum quaecumque fieri contingunt ut consectaria quaedam praesentiae localis, non tribuuntur corpori, nisi ut est in loco, ubi illa contingunt; et proinde de uno eodemque corpore contrariae relationes fundatae in multiplici habitudine praesentiae ad diversa loca possunt praedicari: sicut potest simul stare et moveri, esse sursum et deorsum, esse propinquum et remotum.» [1]

Item fieri potest, ut hic fruatur luce, ibi sit in tenebris, ut homo unus ingentem et integrum efformet exercitum quoad localem praesentiam, non vero quoad virtutem agendi [2].

Sectio II.

DE TEMPORE.

Articulus I.

NOTIO TEMPORIS EVOLVITUR.

I. **Ex comparatione eius cum spatio.** Sicut spatium, ita et tempus habet partes diffusas: spatium enim est extensio ex non interrupta serie corporum constituta (extensio quantitatis permanentis); tempus vero constituitur ex non interrupta serie *successionum* motus (extensio quanti-

---

[1] *Lepidi,* Elem. philos. christ. III 104.

[2] Cf. *Pesch,* Inst. philos. nat. II² 154 sq.

tatis successivae). Item sicut spatium formaliter sumptum est ipsa illa extensio, considerata ut receptaculum omnium corporum, ita et tempus formaliter considerari debet ut receptaculum vel mensura successionum motus.

Illud proinde est inter spatium et tempus *discrimen*, quod partes spatii sint permanentes (quantitas permanens), temporis vero partes continuo fluant (quantitas successiva). Spatii partes una exsistunt, temporis vero partes aliae post alias exsistentiam acquirunt. Quare philosophi docent diffusionem partium temporis constitui *per prius et posterius*.

In temporis diffusione partium tria elementa distinguuntur: praeteritum, futurum, praesens, quod dicitur etiam nunc vel instans. Est autem illud *nunc* prorsus indivisibile. Etenim, si dividi posset, dividi deberet secundum prius et posterius; in praesenti autem nunc non est prius nec posterius. Apparet ergo tempus non esse nisi continuationem motus. Ubi motus, ibi tempus; sine motu autem tempus non concipitur.

Recte proinde tempus definiri potest: *extensio vel diffusio, ex non interrupta serie successionum motus, secundum prius et posterius constituta, considerata ut receptaculum vel mensura successionum.* Sumitur vero vox motus sensu stricto, qualem ipsum in Ontologia (p. 281) declaravimus.

II. **Ex comparatione eius cum aliis durationibus.** Tempus sic *proprie* sumptum distinguitur ab aeternitate et aevo (aeviternitate). Tempus, aevum, aeternitas conveniunt quidem in eo, quod tria haec significant *durationem* quandam, i. e. *permanentiam rei in esse.* Differunt tamen ex parte immutabilitatis ipsius huius permanentiae.

1. Quae differentia maxime apparet, si *subiectum* consideramus, quod immutabile permanet, vel in quo fit mutatio.

Aeternitas enim est duratio entis, quod exsistit modo perfectissimo, sine ortu, sine interitu, *sine ulla mutatione,*

idem omnino in se permanens ita, ut recte definiatur: *duratio rei omnino invariabilis,* vel cum Boethio: «interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio» [1].

Aeviternitas vero significat durationem rei, quae ortum quidem habet, et proinde non omnino est immutabilis, sed tamen, postquam de non-esse ad esse transiit, *mutationis substantialis expers est* et non admittit nisi mutationes accidentales. Talis est duratio angelorum et animarum rationalium. Aeviternitas proinde definitur: duratio rei *in essentia immutabilis,* mutabilis vero in affectionibus.

Tempus denique est duratio motus stricte sumpti, i. e. duratio mutationis, quae in re corporea exsistit, secundum quam res eadem per successivam progressionem aliter se habet nunc et prius, et proinde in *suo esse,* sicut initium habuit, ita continuo finem habet et *innovatur.*

2. Si *perfectio* consideratur huius immutabilitatis in duratione, haec praecipue apparet differentia:

Ens *aeternum* non solum *actu* sed etiam *potentia mutationis substantialis* expers est, ita ut non solum totam suam *essentiam,* sed etiam totam suam *exsistentiam* simul possideat.

Res vero *aeviterna,* etsi *actu* mutationis substantialis expers est, eo sensu, quod revera non transit de esse ad non-esse, *potest* tamen semper in nihilum transire, immo *ex se* tendit continuo in nihilum, quia non desinit esse ens contingens; proinde non retinetur in esse nisi continuo influxu eius, a quo pendet. Tale ens proinde, *etsi quovis momento totum suum esse habet, tamen continuationem sui esse non habet totam simul.* Nemo enim est qui dubitet, quin angelus e. g. secundum aliam partem durationis coexstiterit mundi primordiis, secundum aliam coexsistat hisce temporibus. Adiumentum enim, quod accepit angelus,

---

[1] De consol. philos. l. 5, c. 6.

ut in esse perseveraret in primordiis mundi, omnino diversum est ab eo, quod nunc recipit et ad quod tunc non erat nisi in potentia. Et hac praecipue ratione aeviternitas distinguitur ab aeternitate Dei, qui totum suum esse et posse sui esse simul habet.

In rebus denique, quae proprie sunt in *tempore*, invenitur prius et posterius cum *inveteratione et renovatione ipsius esse*, quod perdurat: in motu enim successivo (e. g. in motu locali) aliqua proprietas habita amittitur vel non habita acquiritur: qua inveteratione et renovatione constituitur *ipsum esse* motus localis [1].

Notandum est non raro aeternum dici id, quod non habet initium neque finem, etsi eius duratio est successiva. Item saepenumero aeternum vocant id, quod nos aeviternum dicimus. Sed modis illis omnibus non nisi improprie dicitur aeternitas: rationi enim aeternitatis repugnat omne prius et posterius [2].

Articulus II.

DE DIVISIONE TEMPORIS.

Tempus, sicut et spatium, est vel imaginarium vel reale.

I. Imaginarium vel absolutum est extensio vel diffusio, ex non interrupta serie successionum *motuum possibilium*, secundum prius et posterius constituta, considerata ut receptaculum vel mensura omnium successionum possibilium.

II. Reale est extensio vel diffusio, ex non interrupta serie successionum *motuum actualium*, secundum prius et posterius constituta, considerata ut receptaculum vel mensura omnium successionum realium.

---

[1] Cf. *Pesch*, Inst. philos. nat. II[2] 174 sq.

[2] Cf. *S. Thom.*, Opusc. 44 de tempore c. 4.

Tempus vero reale dividitur in internum et externum.

1. *Internum* est duratio propria et intrinseca alicuius motus; e. g. duratio motus alicuius rotae, considerata in se ipsa.

2. *Externum* est duratio motus extrinseca, considerata ut mensura, quacum tempus aliquod intrinsecum comparari potest. Et illud quidem est vel generale vel particulare:

a) *generale:* duratio motus caelestis, inserviens ad alios motus omnes mensurandos;

b) *particulare:* duratio motus alicuius particularis, inserviens ad aliquos motus mensurandos: duratio motus horologii e. g.

Articulus III.

ENTITAS TEMPORIS DECLARATUR.

De realitate temporis idem monendum est ac de realitate spatii, idque iisdem rationibus. Proinde:

1. Reicienda est sententia Kantii, qui docet tempus, sicut et spatium, non esse nisi formam a priori menti inditam [1].

2. Neque audiendus est Newton, qui tempus asserit esse aeternitatem Dei.

3. Neque admittendum est tempus reale esse aliquid a parte rei ab ipsa serie successionum motuum distinctum. Tempus enim, quatenus est aliquid a parte rei, est ipsa illa series successionum motus. Cum vero illa series successionum motuum compleatur per nunc praesens, per praeteritum, per futurum, e tribus autem his elementis solum nunc praesens actu sit, praeteritum vero in memoria tantum servetur, futurum denique in animi exspectatione sit, sequitur, ut *totalis ratio temporis per operationem animi*

---

[1] Recole ea, quae supra (p. 401 sqq) de entitate spatii declarata sunt.

formaliter impleatur. Unde illud Aristotelis a S. Doctore laudatum: «*Si non esset anima, non esset tempus.*»

4. *Formaliter* proinde acceptum tempus est ens rationis cum fundamento in re [1]. Etsi enim extra animam exsistit series illa successionum, tamen non exsistit, nec exsistere potest in rerum natura formaliter ut capax successionum et mensura earum, qualis ratione repraesentatur.

5. Tempus denique imaginarium nec ipsum ut forma quaedam mere subiectiva habendum est, cui nihil extra mentem respondeat. Habet enim suum fundamentum *in possibilitate illa a mente humana independente,* qua fit, ut praeter illas quae modo sunt actuales motuum successiones, innumerabiles aliae esse possint. Ante creationem enim mundi, e. g., revera independenter a mente humana indefinitus erat numerus momentorum possibilium, quibus creatio incipere potuit.

Articulus IV.

DE ACCIDENTE QUANDO.

1. Sicut accidens *ubi* supervenit rei creatae ratione commensurationis quantitatis dimensivae, i. e. ratione relationis praesentiae unius partis huius quantitatis permanentis ad aliam, ita accidens *quando* oritur ex commensuratione quantitatis successivae duorum motuum et proinde definitur: accidens resultans in rebus ex eo, quod exsistunt in tempore et eo mensurantur.

2. Esse autem in tempore diverso modo intellegi potest.

Proprie dicitur esse in tempore id, quod habet tempus internum ita, ut aliam partem sui esse habeat in alia parte temporis externi, aliam in alia. Sic motus alicuius horologii est in tempore, sic etiam motus omnis localis.

Minus proprie sunt in tempore ea omnia, quae tempus internum non habent et proinde totum suum esse

[1] Cf. supra p. 267).

habent in qualibet parte temporis, sed non totam durationem. Sic e. g. spiritus creati sunt in tempore, proprie vero in aevo.

Omnino improprie in tempore est Deus, qui tempore nullo modo mensurari potest, quia in ipso nulla omnino mutatio, nulla successio reperitur. Non est in tempore, nisi ut coexsistens cum coexsistente, sine ulla diffusione partium suae durationis. In ipso enim non est praeteritum nec futurum, sed *nunc perpetuum.* Rectius dicitur Deus esse *cum* tempore quam in tempore.

Caput IV.

DE TRIBUS PRAECIPUIS QUANTITATIS PROPRIETATIBUS.

Quantitas omnis corporea, eo ipso quod est *extensio* quaedam, tribus praecipue insignitur proprietatibus: est continua, est finita, est divisibilis. De his omnibus, ut natura extensionis clarius perspiciatur, breviter iam est disserendum.

Articulus I.

DE CONTINUITATE QUANTITATIS.


§ 1. Notio continuitatis evolvitur.

Quantitatem continuam diximus (p. 398) esse partium extra partes positionem talem, ut omnes communi quodam vinculo copulentur.

Continuitas vero est proprietas, quae ex ipsa illa copulatione oritur. Consistit autem in eo, quod quantitas, quae dicitur continua, spatia, quae intra suam extensionem includit, ita implet, ut nullo limite in se ipsa sit distincta.

Continuum proinde dicitur *quantum extensum, quod nullo limite in se ipso est distinctum.* Distinguunt vero continuum perfectum et continuum imperfectum.


Continuum *perfectum* illud est, quod omnia spatia, quae intra suam extensionem includit, perfecte implet (fig. I).



Fig. I.

Continuum *imperfectum*, quod aliqua ex spatiis, quae intra suam extensionem includit, non implet (fig. II).

A continuo sedulo distinguendum est contiguum et distans.

Continuum enim est illud, cuius partes inter se ita copulantur, ut extremitates non habeant (extrema sunt unum) (fig. I).



Fig. II.



Fig. III.

Contiguum vero illud est, *cuius extrema sunt simul cum alia* (fig. III).

Distantia autem ea sunt, quorum *extrema non sunt simul* (fig. IV).

Figura V repraesentat *contiguum imperfectum.*


Fig. IV.


Fig. V.

§ 2. Continuitatis natura et exsistentia in corporibus declaratur.

Circa continuitatem quantitatis corporum nonnulla scientiis inferioribus non satis sunt explorata. Unde multa de hac re tam obscura et salebrosa a philosophis subtiliter inquiruntur. Nobis quidem satis videbitur, si sequentia ut certa statuerimus.

1. «In omni extenso oportet esse aliquod perfecte continuum, quod nullum interpositum spatiolum admittit. Etenim si nullibi in re extensa perfectum continuum exstaret, extensio re ipsa non esset, aut ex inextensis esset;

quod dicere cum ratione pugnat; ergo saltem ultimae moleculae corporis continuae esse debent.

«Sed etsi primigeniae partes, unde extensio primo oritur, perfecte continuae esse debeant, sine ullo interstitio in ipsis; pars tamen extensi ab alia parte eius interposito aliquo spatio distare potest, et de facto distat. Nam tum nudis oculis tum microscopiis videmus corpora esse plena poris, angustis nempe foraminibus atque meatibus. Id ipsum appositis experimentis colligitur; corporum enim dilatatio atque contractio, absorptio extraneae materiae sine voluminis augmento, pelluciditas, quae innumeros meatus pro transitu lucis supponit, molecularum vibratio in sonu, in calore, in coloribus, quae vibratio sine molecularum aliquali distantia nequit esse, dictam veritatem ostendit.

2. «Haec spatiola autem non sunt omnino vacua; sed subtili et tenui quadam materia replentur: purum enim vacuum non datur, *vacuum enim perfectum nihil est.* Praeterea, in continuis istis, quae penes nos apparent, una molecula agit in alteram; sed si una distaret ab altera, sine ulla substantia interiecta, foret tunc actio in distans, quod esse non potest.» [1]

3. Cuius autem naturae sit vinculum illud, quo partes unum aliquod efficiunt, constabit ex iis, quae circa naturam corporum dicenda sunt; quomodo vero in continuo perfecto partes insint, utrum actu an potentia tantum in eo sint distinctae, infra articulo quarto dicemus.

Articulus II.

DE QUANTITATIS LIMITATIONE.

Extensionem corporum illorum omnium, quae experientia sensili sunt cognita, limitatam esse apprime compertum est. Utrum vero extensio *omnium omnino corporum co-*

---

[1] *Lepidi,* Elem. philos. christ. III 93 94.

exsistentium sit sine limite necne, cognitione sensili immediate non apparet. Unde ex ratione quaeritur:

Utrum detur vel dari possit quantitas infinita necne.

Status quaestionis. Agitur hic de quantitate dimensiva vel corporea, non autem de quantitate virtutis. Quam quidem quantitatem dimensivam generatim duplicem esse scimus: continuam scilicet et discretam.

Item ex disciplinis ontologicis scimus infinitum esse duplex: infinitum actu et infinitum potentia [1].

Quaeritur proinde, an quantitas sive discreta sive continua actu vel saltem potentia infinita esse possit.

Quantitatem autem *discretam* quod attinet scimus eam esse vel *multitudinis* vel *numeri* [2].

Iam vero *numerus*, cum sit multitudo mensurata per unum, infinitus actu esse non potest; eo ipso enim quod per unum illud actu mensuratur, actu limitatus atque finitus est. Unde, quando de *numero* actu infinito minus recte hic loquuntur, revera quaeritur, *num detur vel dari possit* **multitudo** *infinita actu* [3].

Qua in re non omnes omnium temporum philosophi erant concordes.

Philosophi enim Graeci, inter quos Aristoteles maxime eminebat, multitudinem actu infinitam esse asserebant. Idem, recentioribus temporibus, ipse Leibnizius et alii, non multi, affirmaverunt [4]. Dicuntur «infinitistae».

Communis autem scholasticorum sententia tenet multitudinem actu infinitam et consequenter molem *infinitam actu* omnino repugnare, non autem multitudinem potentia

---

[1] Cf. supra p. 298.

[2] Cf. supra p. 398; item p. 300.

[3] Cf. *Frick*, Ontologia [4] 221.

[4] Cf. etiam *Nys*, La nature de l'espace 151—162: «Un espace réel infini est-il possible?»; *Gutberlet*, Allgemeine Metaphysik [4] 176 sqq.

infinitam. Cuius sententiae fautores, quos «finitistas» vocant, praecipui sunt Scotus et S. Bonaventura.

S. Doctor vero, Magistri sententia non leviter perculsus, priore tempore dubius hac in re haesisse videtur, ut constat ex opusculo 23, cui titulus: De aeternitate mundi contra murmurantes [1]. Alias autem, longius aetate provectus, illam repugnantiam admisit [2].

Quare scholasticorum sententiam secuti hanc ut certam statuimus

Thesim. *Quantitas sive discreta sive continua actu infinita repugnat, potentia tamen infinita optime concipitur* [3].

Thesis probatio per partes. I. *Quoad quantitatem discretam vel multitudinem.*

1. *Multitudo* (et a fortiori *numerus*) *actu infinita* esse non potest. Probatur:

---

[1] Ubi docet «adhuc non esse demonstratum, quod Deus non possit facere, ut sint infinita actu».

[2] Cf. S. theol. 1, q. 7, a. 4, ubi statuit et probat conclusionem: «Impossibile est esse multitudinem per se, vel per accidens actu infinitam; possibile est autem eam esse in potentia.»

[3] De hac thesi subtiliter nuper disputavit *Nink* S. J. in libello periodico «Philosophisches Jahrbuch» 1912, 462 sqq, commentatione quae inscribitur «Über die Möglichkeit einer aktual unendlich großen Menge von existierenden Dingen, ebenso einer aktual unendlichen Größe». Neque tamen placet definitio, qua infinitum declarat, ut sit: «*id quod finities repetita finita ademptione exhauriri non potest*» (Unendlich ist das, was durch endlich oft wiederholte endliche Wegnahmen nicht erschöpft werden kann). Omnis enim numerus qui vel una unitate maior est quam ille qui finities illa repetita ademptione constituitur, revera, demptis illis unitatibus finitis, non exhauritur neque tamen infinitus est. Dicendum esset fortasse: «*Indefinities* sed tamen actu finities repetita finita ademptione»; sed tunc haec definitio incidit in alteram: «*Definitum actu est id quod limitem non habet in esse actuali.*»

a) *Ex ipso conceptu multitudinis infinitae.* Infinitum actu est id, quod limitem non habet in iis, quae realiter habentur. Proinde multitudo infinita actu illa esset, quae tot iam unitates actu includeret, ut crescere per additionem novae unitatis concipi non posset. Sed hoc revera esse non potest. Quantacumque enim fuerit multitudo, licebit unitatem ei addere. «Sit e. g. equorum alborum actu exsistentium numerus infinitus: proclamabunt, credo, adversarii huic numero ne unam quidem unitatem addi posse, cum equi omnes albi iam in illo numero contenti sint. Sit nunc quoque numerus equorum nigrorum, quorum color niger subito in album mutetur. Et iam mirabile dictu evenit, ut horum numerus numero infinito equorum alborum, qui primo aderant, addi non possit, cum numerus ille infinitus sit; et simul tamen addi possit, cum de numeris agatur.»[1] Ergo multitudo actu infinita repugnat[2].

b) *Ex absurdis, quae sequerentur.* Admissa enim sententia adversaria, sequeretur esse multitudinem vel numerum, qui minui non posset, quin absurda ilico sequerentur. «Certo enim unum individuum demi ab illo numero posset, quo tamen dempto numerus neque finitus neque infinitus dici posset: non finitus, nam una addita unitate esset infinitus; non infinitus, quia alius numerus maior exsisteret.»

---

[1] *Pesch,* Inst. philos. nat. II[2] 95.

[2] «‚L'infini en nombre ou en quantité est contradictoire. En effet, supposez qu'il existe et divisez-le en deux parties. Ces deux parties sont finies ou infinies. Si elles sont finies, comment deux parties finies peuvent-elles faire un tout fini? Le fini ajouté à du fini, quoiqu'en dise Locke, ne peut donner que du fini. — Si elles sont infinies, l'infini est alors égal à deux infinis, ce qui est contradictoire. — Veut-on qu'une partie soit infinie et l'autre finie? La contradiction reste, car l'infini serait alors égal à l'infini + une autre quantité' (*E. Durand,* Psychologie 221—222). Donc un nombre infini, un espace infini, un temps infini n'existent pas et ne peuvent exister» (*G. Sortais,* Traité de philosophie I[3] 408).

Sequeretur etiam numerum determinatum se ipso esse maiorem. «Si v. g. decempedae numero infinitae exsisterent, numerus quoque pedum infinitus esset et nihilo secius decuplatus numerus decempedarum. Si infinitus numerus hominum esset, numerus digitorum, capillorum etiam esset infinitus et tamen multitudinem hominum excederet. Detur porro singulis aureus unus et cogantur deinde omnes, ut suum quisque aureum in unum conferant cumulum. Quo facto poteruntne singuli ex illo cumulo decem aureos sibi arripere? Non poterunt, quia tot sunt aurei, quot sunt homines. Et tamen poterunt, quia numerus infinitus exhauriri non potest.»[1]

Difficultates quas infinitistae contra has rationes moliuntur, omnes ex eo oriuntur quod, quidquid est de nomine, *conceptum* infiniti actu cum conceptu infiniti in potentia confundunt[2].

---

[1] *Pesch,* Inst. philos. nat. II[2] 96.

[2] Sic *Nys* in libro citato (La nature de l'espace 158): «Supposons, par exemple», inquit, «qu'à l'heure présente il existe dans l'univers une infinité de plantes. Comme chacune d'elles porte un certain nombre de feuilles, il y aura, en effet, plus de feuilles que de plantes. Cela veut dire qu'à chaque unité de la première multitude correspondra dans la seconde multitude une unité plus riche qui sera peut-être de vingt, trente ou mille feuilles. Mais les deux collections formées d'éléments d'inégale complexité jouiront toutes les deux de *l'infinitude*, en ce sens qu'*aucune limite réelle n'est imposée à leur extension*» (infinitum in potentia? Potest augeri extensio!). «Si donc, dans l'hypothèse d'un espace infini, on réunissait par la pensée en une seule collection tous les corps minéraux et organisés, la multitude ainsi obtenue serait plus grande au point de vue ontologique que l'une ou l'autre série d'êtres qui la constituent. Elle comprendra proportionnellement plus d'unités, mais elle ne sera ni plus ni moins infinie que chacune d'elles, *puisque toutes excluent la possibilité d'un dernier terme*» (potest augeri: infinitum in potentia). Et infra (p. 160): «Redisons-le, le sens vrai et adéquat de l'infini trouve son expression dans *la négation du*

2. Esse autem potest numerus *infinitus potentia,* i. e. numerus a mente in infinitum potest augeri. Etenim infinitum potentia est id, quod limitem non habet in iis, quae habere potest, etsi secundum ea, quae habet, finitum est. Numerus proinde infinitus potentia ille est, qui actu habet collectionem unitatum finitam, ad quam tamen aliae unitates sine fine addi possunt. Talis vero numerus optime concipitur, iuxta ea, quae supra diximus; quicumque enim fuerit, semper ipsi licebit novam unitatem addere.

II. *Quoad quantitatem continuam vel magnitudinem vel molem.*

1. Magnitudo vel moles *actu infinita* repugnat. Probatur:

a) *Ex conceptu magnitudinis.* — Si qua magnitudo actu esset infinita, certo aliqua intellegentia perfecta, puta divina intellegentia, perspicere eam posset, in eaque deprehenderet mensuram quandam finitam, metrum e. g., infinities contineri. Numerus autem infinitus ex iis, quae supra dicta sunt, repugnat. Ergo et magnitudo infinita.

b) *Ex absurdis, quae sequerentur.* — Longum est omnia quae ex contradictoria sententia sequuntur absurda, vel breviter ostendere. Sit vero unicum exemplum: Supponamus hunc mundum corporeum esse magnitudinis actu infinitae et proinde infinitae longitudinis; item supponamus in illa infinita longitudine viam alternis kilometris lapidibus nigris et albis consitam. Demptis nigris kilometris, alba dici non possunt constituere longitudinem

---

fini ou de la limite. Une multitude, qu'elles que soient, d'ailleurs, les modifications auxquelles on la soumet, conserve donc rigoureusement son infinitude si, dans les directions données, ses éléments intégrants se multiplient toujours sans atteindre un terme final» (infinitum potentia!). — Cf. etiam *Gutberlet*, Allgemeine Metaphysik, ubi (p. 177) habes haec eius verba: «Denn erstens behaupten wir nicht die *Existenz* einer unendlichen Größe, sondern nur ihre *Möglichkeit.* Als eine schlechthin unendliche Menge nehmen wir bloß die möglichen Dinge in Gottes Geist» etc.

infinitam, quia minor est eorum longitudo quam ea, quae ex albis et nigris simul sumptis constituitur; et tamen dici debet haec longitudo infinita actu, quia constat serie kilometrorum alborum actu infinita [1].

2. Potest autem magnitudo a mente concipi ut *infinita in potentia.* Cum enim numerus potentia infinitus non repugnet, omnis moles, quantacumque est, nova quantitatis parte addita, crescere in indefinitum mente nostra concipi potest.

Corollarium. Ex his sequitur, ut neque *spatium* huius mundi neque *tempus* reale actu sit infinitum. Potentia tamen utrumque infinitum esse recte dicitur, eo sensu quod, quantumcumque est, maius semper esse potest.

De tempore vero huius mundi uberius infra dicemus, ubi de tempore creationis sermo erit.

ARTICULUS III.
DE DIVISIBILITATE QUANTITATIS.

Divisibilitatem scimus esse *proprietatem illam, qua partes extensae et unitae separari possunt.*

Iam quaeri potest, qualis sit illa divisibilitas, *quousque scilicet sese extendat in corporibus.*

Qua in re distinguendum est inter corpus mathematicum et corpus physicum.

I. Corpus *mathematicum* quod attinet:

1. *Est divisibile in indefinitum, i. e. in partes potentia infinitas numero.* In corpore enim mathematico non consideratur nisi quantitas, in qua nihil invenitur divisioni in indefinitum repugnans. Quaecumque enim quantitas quantumvis minima, dempta ope divisionis parte aliqua, decrescere in indefinitum mente nostra concipi potest.

---

[1] Cf. *Pesch,* Inst. philos. nat. II[2] 112 sq.

Quam quidem rem philosophi facili argumento geometrico probant.

Sit e. g. inter duas lineas parallelas *AB* et *CD* linea perpendicularis *ML*. Ex puncto *C* ducantur lineae ad superiorem lineam *AB*, quae usque extendatur. Linea *ML* a lineis *Ca*, *Cb*, *Cc*, *Cd* etc. in tot dividitur partes,




Fig. 18.

quot lineae rectae a puncto *C* ad lineam *AB* perduci possunt. Atqui manifestum est lineam *AB* in indefinitum augeri posse. Proinde indefinitae ad ipsam lineae produci possunt. Ergo linea *ML* in indefinitum divisibilis est.

2. Sicut autem quantitas actu infinite magna repugnat, ita etiam quantitas actu infinite parva esse non potest, id quod ex eodem argumento geometrico apparet; et proinde *nec divisio actu infinita alicuius corporis mathematici admitti potest.* Praeterea ex tali divisione induceretur numerus infinitus actu, quem rationi repugnare vidimus.

II. Corpus autem *naturale* nec potentia nec actu in infinitum dividi potest. *Non actu,* propter easdem rationes, quibus divisionem actu infinitam corporis mathematici impossibilem esse ostendimus; *non potentia,* quia talis divisio, etsi ratione *quantitatis* fieri potest, ratione tamen *specialis naturae* huius corporis impossibilis est. Experientia enim teste, in omni corpore minimum quoddam quantitatis requiritur, ultra quod divisio produci non potest, quin corpus pereat.

In omni proinde divisione corporis alicuius naturalis ultimo deveniendum est ad partem indivisibilem, sed tamen extensam [1].

Articulus IV.

DE MODO QUO PARTES IN CONTINUO INSINT.

Status quaestionis. Continuum supra (p. 416) diximus esse *quantum extensum, quod nullo limite in se ipso est distinctum;* aliis verbis (p. 417), cuius partes inter se ita copulantur, ut extremitates non habeant (extrema sint unum).

Quae notio uberius iam est explananda.

Dubium quidem non est, quin continuum corpus, ante divisionem, partes aliquo modo (sive actu sive potentia distinctas) contineat.

In contentione vero ponitur a doctoribus, utrum partes illae in continuo actu distinguantur an potentia tantum.

Iam vero in continuo partes esse, quae *secundum entitatem* actu distinguuntur, ita ut in ipso insint quasi «partes materiales», quae, terminis appositis, *fieri possint* partes formales, ultro concedimus: *partes* enim **extra** partes (quoad extensionem saltem internam) continuum habere non potest, si partes sunt identicae neque *entitative* saltem distinguuntur. Sed contendimus hic partes illas *entitative* distinctas *terminis* non actu distingui sed potentia tantum. Unde

Thesis. *In continuo termini partes distinguentes non actu sed potentia tantum adsunt.* Etenim:

1. Cum quantitas continua in indefinitum *possit* dividi, sequitur, ut *possint* saltem terminis hae partes in infinitum distingui, quod idem est ac in continuo terminos partes distinguentes potentia saltem adesse.

---

[1] De indivisibilibus illis corporum partibus uberius dicemus infra, in huius tractatus libro III.

2. Termini vero illi *non nisi potentia* adsunt, i. e. actu in ipso non inveniuntur. Si enim in ipso essent termini partes actu distinguentes, actu in omni continuo essent partes numero infinitae, quod repugnat [1]. Ergo termini partes distinguentes in continuo actu non adsunt [2].

Liber II.
DE ACTIVITATE CORPORUM.

Caput I.
DE EXSISTENTIA ACTIVITATIS CORPORUM.

Thesis. *Corpora fruuntur vera activitate physica.*

Status quaestionis. Corpora hic contendimus vere per se ipsa aliquem effectum producere, id quod significatur voce activitatis physicae.

Thesis hoc sensu intellecta non est nisi pars quaedam thesis generalioris, quae de exsistentia causarum efficientium in Ontologia stabilita est [3].

Adversarios proinde, ut *Positivistas* omittamus et *Idealistas,* hic habemus: 1. *Materialistas* illos, qui «*mechanismum brutum*» profitentes nihil in mundo esse affirmant nisi motum localem ab uno corpore in aliud corpus transmissum, ita ut nullam praeter materialem causalitatem adesse dicant. Est quidem, iuxta ipsos, in corporibus id, *ex quo* aliquid fit, nullum autem est corpus, *a quo* aliquid fiat. 2. *Occasionalistas,* quorum princeps est *Malebranche* [4].

---

[1] Cf. supra p. 420 sq.

[2] Cf. de hac re *Haan,* Philos. nat. [3] 6 sq; *Lehmen-Beck,* Lehrbuch der Philosophie II [3] 20 sq; *Gutberlet,* Allgemeine Metaphysik [3] 197; *Nys,* Cosmologie [2] 255 sqq. Item supra p. 389 sqq.

[3] Cf. supra p. 365 sqq.

[4] Cf. supra p. 168 n. 1 et 365 n. 2.

Hic res creatas effectuum naturalium non causas, sed *occasiones* tantum esse docuit: causam vero ipsorum esse Deum, qui ipse solus omnia ageret, positis his condicionibus [1].

Contra hos omnes contendimus corpora habere vim, *non creandi* quidem, sed *educendi ex subiecto praeexsistenti sive modos sive formas.*

Thesis probatio. I. *Argumento generali* contra Materialistas simul et Occasionalistas.

Manifesta enim experientia evidenter constat corpora innumerabiles producere effectus.

Alios in organis nostris producunt. Cum enim corpora cognoscimus, organa nostra realiter immutantur, id est, actu acquirunt aliquid, ad quod antea non erant nisi in potentia. Effectus autem illi, experientia testante, producuntur *non a nobis solis,* sed ab ipsis corporibus extra nos exsistentibus. Quae quidem evidentia, cum tam clare sese manifestet, ex dictis in Criteriologia reici non debet.

Alios in rerum natura efficiunt. Producuntur enim, evidenti experientia teste, novae in rebus qualitates: calor, color, electricitas, alia multa; novae producuntur combinationes chemicae, novae generantur substantiae, novae plantae, nova animalia. Sed haec omnia habere debent

---

[1] «Une cause naturelle n'est point une cause réelle et véritable, mais seulement une cause occasionelle et qui détermine l'auteur de la nature à agir de telle et telle manière en telle et telle rencontre.» — «Je dis de plus qu'il n'est pas concevable que Dieu puisse communiquer aux hommes et aux anges la puissance qu'il a de remuer les corps, et que ceux qui prétendent que le pouvoir que nous avons de remuer nos bras est une véritable puissance, doivent avouer que Dieu peut aussi donner aux esprits la puissance de créer, d'anéantir, de faire toutes les choses possibles, en un mot, qu'il peut les rendre tout-puissants» (Recherche de la vérité l. 6, P. II, c. 3, p. 574 et 576).

rationem sufficientem. Ratio vero illa sufficiens non potest esse motus localis simpliciter transmissus vel passivus. Motus enim ille passivus nec rationem ipsius huius fieri nec praesertim rationem *diversitatis* et *uniformitatis* et *constantiae* diversarum efformationum explicat. Nec esse potest solus Deus. Omnes enim homines semper et ubique indubie iudicant effectus illos produci a corporibus ut a veris causis physicis, non autem moralibus.

Fieri autem non potest, ut haec tam firma persuasio falsa sit, alioquin enim Deus veracissimus, id quod Malebranche admittit, nos in errorem invincibilem induceret. Ergo ipsis corporibus inest activitas physica.

II. *Argumentis contra occasionalismum speciatim:*

1. *Ex sapientia Dei* (quam infinitam esse Malebranche admittit). Sapiens enim nihil frustra facit in operibus suis. Atqui si Deus solus omnia facit, corpora autem physice non agunt, multa in ipsis frustra exsistunt. Frustra e. g. corpora viventia aptissimis illis ad agendum organis instructa sunt.

2. *Ex falsis consectariis,* quae necessario ex principio a Malebranche statuto defluunt. Admissa enim sententia Malebranchii, tota ruit certitudo nostra de exsistentia mundi, quem realiter exsistere, ut ens a nobis distinctum, non aliunde novimus nisi ex actione corporum in nobis sensu intimo percepta. Negata proinde veracitate huius conscientiae nostrae dictaminis, inducitur *idealismus* cum omnibus suis consectariis.

Ergo corpora fruuntur vera activitate physica[1].

---

[1] Plura de hac re invenies apud *Mercier,* Métaphysique générale[5] 434—444.

CAPUT II.
DE QUALITATIBUS SENSIBILIBUS[1].

ARTICULUS I.
DIVERSAE SENTENTIAE CIRCA QUALITATES SENSIBILES EXPONUNTUR.

§ 1. Sententia Scholae declaratur.

Praeter proprietates illas, quae quantitati corporeae omni conveniunt, *quatenus est extensio,* scholastici qualitates nonnullas in re corporea reponunt, quibus afficitur quantitas, *quatenus est quantitas physica* talis determinati corporis. Cuiusmodi sunt calor, color, sonus, sapores, aliae.

Qualitates illae, cum quantitati insint, ut est quantitas huius vel alius corporis, dicuntur *qualitates corporales;* quatenus vero sunt sensuum obiecta apprehendenda, dicuntur *sensilia.* Quantitas autem ipsa, his sensilibus instructa, *quantitas* vocatur *sensibilis,* ut opponatur quantitati intellegibili vel mathematicae[2]. Sensilia denique scimus alia esse propria, alia communia[3].

---

[1] De hac re cf. *Pesch,* Inst. philos. nat. II[2] 48 sq; *Lehmen-Beck,* Lehrbuch der Philos. II[3] 55; *Haan,* Philos. nat.[3] 52 sqq; *Mercier,* Psychologie I[9] 154 sq; *Gutberlet,* Lehrbuch der Philosophie. Die Psychologie[2] 15; *Gründer,* De qualitatibus sensibilibus et in specie de coloribus et sonis, Friburgi Brisgoviae 1911; *De Sinéty,* La connaissance sensible des qualités secondaires: Rev. des quest. scient., avril 1911; *Daniel Feuling* O. S. B., Zur Frage der Objektivität der Sinnesqualitäten, in libello periodico «Philosophisches Jahrbuch» 1912 150 sqq.

[2] Cf. supra p. 399.

[3] Cf. supra p. 204. — Ex dictis vero in Ontologia scimus quoque qualitates illas, quatenus consistunt in alteratione rei corporeae, vocari *qualitates patibiles* (cf. supra p. 342).

Quorum sensilium realitatem obiectivam antiquiores philosophi fere omnes uno ore admiserunt usque ad *Cartesii* tempora, qui «persuasionem, quam habemus de realitate sensibilium quae propria dicuntur, primus maiore cum scientiae apparatu labefactare conatus est». Exinde percelebris illa controversia exarsit de realitate qualitatum sensibilium. Qua in re sententia scholastica communiter haec erat: «*Qualitates sensibiles corporum omnes a parte rei exsistunt absolute secundum eum obiectivum modum, quo sanis sensibus sub condicionibus naturae ordinariis a nobis apprehenduntur.*»[1] Hanc veterum scholasticorum sententiam inter recentes propugnant *Pesch* et *Lehmen*[2], *Farges*[3], *Urraburu*[4], alii[5].

§ 2. Sententiae nonnullorum recentium exponuntur.

Sententiae Scholae circa obiectivam realitatem sensilium complures ex recentioribus contradicunt, idque, quia «realismum illum puerilem» scientia physica invictis argumentis profligatum esse autumant. Docent enim «sonum, lucem, calorem esse vires corpora localiter moventes, odorem et saporem vim hucusque ignotam. Intelleguntur autem non quicumque motus locales, sed qui certas et determinatas habent qualitates, ut velocitatem, intensionem, directionem. Itaque obiectum formale sensationum externarum ex hac sententia sunt motus illi locales vario modo determinati, prout nostros sensus actu afficiunt»[6]. Ita post *Cartesium* et *Lockium* inter recentes

---

[1] *Pesch,* Inst. philos. nat. II[2] 49 sq.

[2] Lehrbuch der Philos. II[3] 55 sqq.

[3] In opere, quod inscribitur «L'objectivité de la perception des sens». [4] Psychol. II 552.

[5] Quorum sententiam vocant etiam «Abbildungstheorie» (sic *Lehmen* l. c.).

[6] *Haan,* Philos. nat.[3] 53.

philosophos *Palmieri, Gutberlet*[1], *Linsmeier, Hagemann, Pohle, Gründer*[2], alii, et *physici* fere omnes[3].

Neque desunt nostris temporibus, qui Kantii auctoritate perculsi qualitates illas *nihil esse doceant nisi formas quasdam subiectivas*, dispositiones scilicet organismo *innatas* vel, iuxta alios, consuetudine acquisitas, quas «energias specificas» vocant (Io. Müller). Iuxta ipsos proinde qualitates sensibiles, prout sensu repraesentantur, vel nihil sunt extra mentem (Idealistae) vel ad causam referuntur extra mentem nescio quam (Kantiani) vel symbolum sunt et signum tantum rei extra mentem exsistentis, quae tamen cum ipsis nullam habeat similitudinem (Helmholtz)[4], quorum sententia hac in re dicitur *subiectivismus.*

Articulus II.

DIVERSAE SENTENTIAE CIRCA QUALITATES SENSIBILES AESTIMANTUR.

Non est cur de sententia eorum hic disputemus qui qualitates sensibiles nihil esse docent nisi formas subiectivas mentis. Formalismum enim illum vel idealismum falsum esse subiectivismum, in Criteriologia planum fecimus. Eorum proinde sententiae ratio nobis hic tantum est habenda, qui contra Idealistas contendunt obiectum sensationum nostrarum exsistere a parte rei et a nobis vere percipi, etsi differunt in assignanda causa formali harum sensationum. Unde de sententia physicorum vel de

---

[1] Psychologie[2] 15.

[2] Qui in l. c. tenet doctrinam neoscholasticorum, qui cum physicis et physiologicis docent colores et sonos exsistere in ipsis corporibus fundamentaliter tantum, *videri ceteris sententiis praeferendam.*

[3] Sententiam eorum vocant «Wirkungstheorie».

[4] Qui de «energiis specificis» illis plura desiderat, legere potest *Hagemann*, Psychologie[8] 212 sqq. — Cf. etiam *M. Ettlinger* in libello periodico «Philos. Jahrbuch» commentationem quae inscribitur «Der Anpassungscharakter der spezifischen Sinnesenergien» etc.

«*realismo moderatiore*» et de sententia scholastica, quae «*realismus rigidus*» nonnumquam vocatur, pauca sunt dicenda.

§ 1. Aestimatur sententia physicorum vel «realismus moderatior».

I. *Sententiam docentem qualitates sensibiles non esse formaliter in rebus, sed ea quae ut qualitates sensibiles percipimus non esse nisi motuum localium determinationes quasdam, idealismi errore implicitam esse evidenter non apparet.* Neque enim physici illi contendunt sensationes qualitatum sensibilium esse modificationes mere subiectivas, quibus nullum obiectum correspondeat extra mentem in rerum natura; sed apertis verbis docent nos revera percipere motuum localium determinationes, etsi non formaliter ut sunt motus locales. Ex eo autem quod motuum illorum determinationes formaliter nobis repraesentamus ut qualitates sensibiles, colligi potest sensationem nostram duplici elemento, obiectivo scilicet et subiectivo, constitui, neque tamen cogi potest sensationem illam perfici formis mere subiectivis.

II. *Sententia physicorum realismum illum moderatiorem docens aliquam videtur habere probabilitatem.* Multa enim facta hypothesis illa commode explicare videtur, ut ex rationibus elucet quas in favorem suae sententiae afferunt: «*Sonus*», sic aiunt, «non est nisi motus quidam vibratorius. Neque enim producitur sonus nisi concussione. Sed concussio non efficit nisi motum localem, saltem in anorganicis. Dein sola motus mutatio sufficit ad mutandum sonum; atqui sonus, si esset qualitas realiter a motu locali distincta, non necessario cum motu mutaretur. — Auditur interdum sonus, quin adsit a parte rei, propter indispositionem organi; atqui huius perceptionis causa non videtur esse nisi vibratio quaedam nervorum; ergo videtur vibratio sufficere ad perceptionem soni gignendam. . . . *Calor* similiter sola frictione vel collisione corporum produci potest. Sed frictio et collisio nonnisi motus quosdam

minimarum partium producunt. Ex vibratione minimarum partium maiore vel minore etiam facile intellegitur, cur calore corpora extendantur. — *Color,* qui ad nos transmittitur, est ipsa lux diversa secundum diversitatem undulationum. Iam vero lux aut calore producitur aut fortasse idem est ac calor qui vocatur radians. Ideoque qui admittit calorem consistere in quibusdam undulationibus, facile admittet lucem etiam motibus localibus absolvi.... In hac opinione facilius etiam intellegitur, cur electricitas, quae nervos organorum immediate afficit, ab oculo percipiatur ut lux, ab aure ut sonus, a gustu ut sapor vel amarus vel acidus, a tactu ut concussio.»[1]

III. *Sententia physicorum, quatenus negat qualitates sensibiles formaliter esse in rebus, certitudinem sibi vindicare non potest.* — Non negamus certa esse quae de vibrationibus, «oscillationibus», aliis motibus physicis vel mechanicis vel chemicis, *ut realiter exsistentibus,* viri doctissimi docent. Exsistere enim tales motus in rebus corporeis experientia evidenter comprobatum est, colorem enim e. g. ex motibus mechanicis molecularum corporum oriri scientia physica explorate docet. Sed *nonnisi* hos motus in corporibus esse, ita ut ea quae qualitates sensibiles vocamus, non sint nisi horum motuum determinationes prout nos afficiunt, physici nullo modo evidenter ostendunt. *Omnia enim, quae a physicis ex hac parte afferuntur, non ostendunt qualitates illas non posse adesse in re corporea ut horum motuum effectus* vel etiam ut eorum causas, quatenus ex ipsarum alteratione oriantur.

§ 2. Aestimatur sententia Scholae.

Sententia Scholae propter physicorum auctoritatem non videtur esse reicienda, sed suam servat maiorem probabilitatem. Probatur per partes:

---

[1] *Haan,* Philos. nat.[3] 57 sq.

1. *Sententia Scholae non videtur esse reicienda propter auctoritatem physicorum.* Tantum enim hac in re valet eorum auctoritas quantum valent rationes. Nullum autem adhuc physici factum vel placitum *certum* ex rebus scientificis protulerunt quod sententiam scholasticorum *evertat*[1]. Inconcussum illud quidem putant esse argumentum ex fundamento artis desumptum quae lingua germanica «Dreifarbendruck» (Three-Color-Printing) vocatur. Tribus enim pigmentis «normalibus», coloris scilicet flavi, caerulei, rubri, diversa ratione superpositis conficiunt picturam, in qua aggregatum ex illis coloribus resultans exhibet colores omnino diversos ab illis qui insunt particulis pigmentorum «normalium»; quas si microscopio inspicies singulas videbis mansisse flavas, rubras, caeruleas[2]. Unde concludunt colores aggregati non esse formaliter in pictura nec ullum colorem formaliter exsistere a parte rei, sed tantum fundamentaliter. Verum haec non est recta consequentia. Factum enim probat illud quidem veritatem doctrinae scholasticae, secundum quam in cognitione sensitiva duplex invenitur elementum, obiectivum aliud, aliud subiectivum, unde fit ut obiectum sensuum non sit res qualis est in sua essentia, sed qualis a potentia sensitiva apprehenditur, immutatione in ipsa peracta[3]. Sed colorem formaliter non esse in rebus experientia illa non probatur.

[1] Facta illa explanata invenies apud *Gründer,* De qualitatibus sensibilibus et in specie de coloribus et sonis, Appendix III; item apud *D. Feuling* in Philosophisches Jahrbuch 1912, 154 sqq.

[2] Artificii huius explanationem, pictura ipsa hac arte confecta, invenies apud *Gründer* l. c. Appendix III. Cf. etiam Herders Konversations-Lexikon II 1468 sub voc. «Dreifarbendruck».

[3] «L'objet du sens est *ce qui se présente* à lui. Ce n'est donc pas la chose telle qu'elle est en elle-même, mais telle qu'elle se rend présente à la puissance sensitive, moyennant un changement qu'elle produit en celle-ci, telle qu'elle est connue par elle» (*Mercier,* Psychologie I⁹ 146 sq).

Certe non probatur colores «normales», flavum, rubrum, caeruleum, ibi non esse formaliter, cum microscopio apprehendantur ut tales. Sed neque aggregati ipsius colores diversos ibi non esse formaliter, experientia illa ostenditur. Neque enim valet ratio quae affertur. Ex eo enim quod ope microscopii colores componentes formaliter apparent, cum nudis oculis non perspiciantur, sequitur tantum ut in priore casu obiectum sensus aliter potentiae visivae fiat praesens ac in altero casu: nudis oculis potentiae visivae apparent tantum *effectus* trium illorum colorum in re, microscopio vero cum acrius videatur ipsae *causae*[1] horum effectuum potentiae sensitivae fiunt praesentes[2].

2. *Sententia Scholae suam servat maiorem probabilitatem.*

a) *Ex eius securitate.* Tutius enim haec doctrina idealismi scopulos vitat. Realismus enim ille moderatior, etsi idealismum non evidenter profitetur, in ipsum tamen logice incidere videtur. Neque enim maiore evidentia motuum illorum vel extensionis exsistentiam sensus nobis renuntiant quam proprietatum corporalium. Quare pari iure testimonium circa illas realitates erit reiciendum, si circa has qualitates nihil valere censendum est. Sed qui talia admittit, is ex idealismo subiectivo in scepticismum universalem logice deducitur.

b) *Ex eius cum natura cognitionis nostrae conformitate.* Qualitates enim sensibiles, de quibus disserimus, singulae

---

[1] «Notons-le bien, les véritables excitants des sensations ne sont pas les vibrations comme telles ou les mouvements mécaniques mais, bien les forces, les principes internes qui causent ces phénomènes qui, à un premier examen superficiel, apparaissent comme les excitants proprement dits» (*Mercier,* Psychologie I[9] 158).

[2] Responsa ad alias difficultates invenies apud *Gründer,* De qualitatibus sensibilibus et in specie de coloribus et sonis, Appendix III; item apud *Lehmen-Beck,* Lehrbuch der Philos. II[3] 60 sqq et 92 sqq.

singulorum sensuum sunt obiecta propria. Ad ipsa enim primo et per se apprehendenda clare videmus diversos sensus esse natos. Atqui in motu naturali facultatis ad obiectum suum proprium error esse non potest, ut ex dictis in Criteriologia constat (p. 198).

Sed error videtur esse in motu naturali sensuum ad obiecta propria, si qualitates sensibiles non exsistunt formaliter extra mentem, in rebus. Naturali enim motu sensus nobis renuntiant in foliis e. g. arborum non tantum inesse aliquid, quod repraesentationem coloris viridis in organo excitet, sed ibi revera inesse colorem. Ergo qualitates sensibiles formaliter in rebus inesse videntur[1].

Scholion. Ex iis, quae circa qualitates sensibiles hucusque observavimus, iam apparet, quanam ratione sint obiecta propria diversorum sensuum. Id enim, quod primo et per se in ipsis sensus percipiunt, non est *modus, quo producuntur,* sed earum *ratio formalis,* qua sunt color vel calor, aliud quid. Circa rationem hanc formalem proinde sensus, quoties sub debitis exercentur condicionibus, non fallunt, bene vero errare possunt circa modum illum explicandum. Cuius rei veritas inde praesertim elucet, quod, qui harum rerum cognitione maxime sunt imbuti, vel ipsi firmam circa originem illarum qualitatum sententiam non habent. Suntne sensilia effectus quidam motibus vibrationis vel aliis motibus in re corporea producti, an motus illi, contra, oriuntur ex mutatione in qualitatibus sensibilibus viribus physicis vel chemicis producta? Haec omnia in contentione adhuc sunt posita.

Neque de modo hic sermo est, quo qualitates illae sensibus apprehenduntur: de hac enim re disputatio fit in Anthropologia. Ex dictis vero iam colligi potest recta docere eos, qui rationem diversitatis qualitativae sensa-

---

[1] Cf. *Lehmen-Beck* l. c. 79.

tionum nostrarum partim ex rerum natura partim ex ipsa sensuum dispositione repetunt [1]. Sed de his omnibus uberius in Anthropologia.

Caput III.
DE CORPORUM VIRIBUS.

Articulus I.
NOTIONES EVOLVUNTUR.

Corporum activitas proxime oritur ex potentiis operativis [2]. Potentiae vero operativae, *prout in actu sunt positae,* proprie dicuntur **vires**, communiter tamen ipsa *potentia* operativa, etsi in actu non est posita, dicitur vis. Sic in nobis inesse dicitur vis videndi, etsi actu non videmus. Unde factum est, ut distinguant vim actualem et vim potentialem.

Immo vero nostris praesertim temporibus ipsum motum vel ipsam activitatem, prout aliquid operandi vel efficiendi energiam continet vel «validitatem», vim vocant.

«Voci virium», ait Pesch [3], «alia in physicis huius temporis disciplinis, praesertim post observationes a Frid. Mohr (1837), R. Mayer (1842), Joule (1843), Colding (1843), Ad. Hirn institutas, sententia subicitur, atque ea vox in veterum philosophia adhibetur. Physici enim *validitatem* hoc vocabulo significare solent, qua quaeque res ad certos effectus mechanicos producendos pollet [4]. Quae

---

[1] «Les dispositions *naturelles spéciales* des puissances sensitives, et la *nature des excitants* extérieurs telle est la raison suprême de la diversité *qualitative* des sensations. — Si banale que cette affirmation puisse paraître, elle est le dernier mot de la psychologie des sensations» (*Mercier,* Psychol. I [9] 160).

[2] Cf. supra p. 275.

[3] Inst. philos. nat. I [2] 69 sq.

[4] Cf. *Dressel,* Lehrbuch der Physik 35.

validitas, si ad effectum illum producendum expedita est, *vis viva* dicitur; Peripatetici *impetum* vocant, quem in corpore cadente vel moto inesse videmus. Eadem, si ad effectum physicum progignendum expedita non est, *vis potentialis* nuncupari solet; id quod Peripatetici *nisum ad motum* dicunt. Viribus *vivis* annumerantur inter alia motus mechanicus, motus molecularis, calor. Ad vires potentiales spectant attractio, cohaesio et adhaesio, affinitas chemica. Quibus viribus electricitas, magnetismus attribuenda sint, disputant docti.»[1]

Articulus II.

NATURA VIRIUM GENERATIM DECLARATUR.

Sunt qui vires corporum cum ipsa corporum substantia confundant, cum essentiam corporum in *vi agendi* positam esse autument (Dynamistae).

Alii contra, qui Atomistae vel Mechanicistae dicuntur, cum vim agendi nihil aliud esse doceant nisi motum localem a foris corporibus impressum, vires cum activitate corporum eaque perperam intellecta confundunt.

Vera sententia tenet, 1° vires a *substantia* realiter distingui, quae formaliter sit una, cum vires unius et eiusdem substantiae saepenumero formaliter sint diversae.

2° vires, prout sunt potentiae operativae sive in actu positae sive in potentia, ab activitate vel motu realiter quoque distingui, cum motus ille sit accidens quod accedit

---

[1] Non desunt qui vires illas omnes materiales ad motum mechanicum reduci posse contendant. De hac re legi potest *Gutberlet*, Naturphilosophie[3] 35 sqq: «Mechanische Erklärung der Kräfte». Sed contra vide *Nys*, Cosmologie ou Étude philosophique du monde organique[2], Louvain 1906, 344 sqq. Sententiam illam, quatenus, activitate corporum negata, in corporibus nihil nisi motum mechanicum vel localem esse contendit, idem auctor, Nys, acri subtilique ingenio et iudicio percenset l. c. 43—166.

et recedit, vis autem sit proprietas firma atque stabilis in substantia permanens. Sed haec clarius innotescent ex iis, quae de natura corporum libro proximo sumus dicturi, ubi etiam, quid de dynamismo et de atomismo sentiendum sit, declarabimus [1].

3° Quodsi ad «validitatem» illam de qua supra diximus animum attenderis, ipsam per modum *dispositionis materialis* neque augeri neque minui umquam perspicies, sed varias tantum in variis phaenomenis formas subire. Usu enim et observatione physica haec praecipue comperta habebis:

a) «Summam virium vivarum sive energiam actualem (impetum) et summam virium potentialium (nisum ad motum) in mundo semper esse constantem» [2] (lex conservationis energiae). I. e.:

α) Nulla nova quantitas virium creatur.

β) Nulla quantitas virium annihilatur.

γ) Sed una vis sub certis quibusdam condicionibus in aliam transmutatur [3].

b) Transmutationem illam virium quod attinet, *legem habes entropiae* quam vocant, secundum quam scimus energiam omnem non thermicam sensim mutari in calorem, calorem vero ipsum omnem sensim aequaliter per mundum diffundi [4].

---

[1] Cf. *Pesch,* Inst. philos. nat. II [2] 45.

[2] «*Principe de la conservation de l'énergie.* Si l'on considère un système de corps complètement isolé, la somme de l'énergie actuelle et de l'énergie potentielle est constante, quelles que soient les transformations subies par le système» (*Gauthier,* Leçons de chimie). Quod principium uberius explanatum invenies apud *Nys,* Cosmologie [2] 134 sqq.

[3] Cf. *Gutberlet,* Naturphilosophie [3] 51 sqq: «Das Prinzip von der Erhaltung der Kraft».

[4] Cf. Akad. Monatsblätter 1901, n. 8, p. 168 sqq. — *Gutberlet* l. c. 53. *L. Dressel,* Energie und Entropie, in libello periodico «Stimmen aus Maria-Laach» XXXIX 1 137; item LXXVI 2 153.

CAPUT IV.
DE FINALITATE ACTIVITATIS CORPORUM.

Thesis. *Activitas corporum talis est, ut in ipsis rebus anorganicis appareat quaedam finalitas intrinseca, cuius principium est ipsa rerum essentia vel natura.*

Status quaestionis. Quid sit finalitas, finalitas extrinseca, finalitas intrinseca, recolendum est ex iis, quae in Ontologia (p. 373 sq) declarata sunt.

Exsistere revera finalitatem aliquam in hoc mundo iam probavimus, ubi de exsistentia causarum finalium generatim in Ontologia diximus[1]. Esse vero in rebus mundanis finalitatem extrinsecam, qua singularum activitates ita inclinantur, ut, dum ad proprios fines tendunt, aliarum rerum finibus inserviant, infra uberius ostendemus, ubi de forma mundi sermo erit.

Ad finalitatem autem intrinsecam hic unice attendentes contendimus in rebus corporeis singillatim inspectis apparere finalitatem quandam, quae proxime ex ipsa rerum natura oriatur, idque non solum in corporibus viventibus sed etiam in non-viventibus vel anorganicis. Immo ad haec ultima corpora imprimis hac thesi attendimus, cum de mira operationum vitalium finalitate intrinseca sermo sit in Anthropologia.

Thesis probatio. Activitatem, quam in rebus anorganicis apprehendimus, experientia teste, eo modo scimus exerceri, ut determinatum constanter habeat effectum. Primo enim res ad id tendunt, non solum ut talem determinatum modum essendi sibi acquirant, ut talem habeant formam accidentalem, ut talibus determinatis qualitatibus sensibilibus sint affectae, tali e. g. colore, tali

---

[1] Cf. supra p. 376 sqq.

duritie; sed etiam, ut in statu illo acquisito se conservent. Alia deinde corpora clare videmus in alia secundum certas et determinatas rationes semper agere, et vicissim alia ab aliis secundum certas rationes constanter appeti; unde fit, e. g., ut inter diversa corpora appareant chemicae quae dicuntur affinitates. Sic etiam idem corpus, debitis servatis condicionibus, constanter ad id tendit, ut eandem in sensibus producat impressionem, alia eiusmodi.

Sed huius rei debet esse ratio eaque sufficiens. Quae ratio non potest proxime reponi in Deo, quasi, dum ipse in rebus ageret, hanc vel illam directionem activitati suae imprimeret: talis enim suppositio nihil aliud esset nisi doctrina occasionalismi, quem falsum esse supra ostendimus. Neque sufficienter invenitur haec ratio in diversis motibus ab extra receptis, puta in motibus vibratoriis medii, in quo corpora exsistunt. Motus enim illi iidem non sufficienter explicant diversorum corporum tendentias diversas, diversorum e. g. corporum diversas qualitates sensibiles.

Est proinde haec ratio in ipsa re ponenda ibique in ipsa rei essentia vel natura, ut *constantia* huius tendentiae sufficienter sit explicata. Quaecumque enim alia affertur ratio extra naturam posita constantiae huius, cum sit variabilis, ratio esse non potest.

Dicendum proinde est in omni re corporea ipsum principium ultimum intrinsecum activitatis physicae, vel naturam, habere etiam rationem causae finalis, quatenus non solum activitatem producit, sed etiam *inclinationem* rei dat ad taliter sese evolvendum. Neque mirum, cum certa activitatis directio in conceptu activitatis omnis physicae necessario includatur[1]. Haec autem, quae a natura proficiscitur inclinatio, dicitur *inclinatio naturalis* vel *appetitus naturalis*.

---

[1] Cf. *Lehmen-Beck,* Lehrbuch der Philos. II[3] 128 sq.

Caput v.

DE LEGE NATURAE.

Articulus I.

LEGIS NATURAE NOTIO ET EXSISTENTIA.

I. **Notio.** Inclinatione illa naturali, de qua supra diximus, efficitur, ut corpora modum quendam servent constantem et uniformem sive in essendo sive in operando. Modus vero ille dicitur *lex naturae,* quae proinde definitur: *modus constans et uniformis, quem naturae servant in essendo et in operando.*

Lex naturae, quando speciatim consideratur in operationibus corporum, quatenus sunt entia *physica,* i. e. libertate destituta, dicitur strictius *lex physica,* quae definitur: *modus constans et uniformis, quem agentia physica servant in operando*[1]. Saepenumero tamen eadem est legis naturae et legis physicae definitio.

II. **Exsistentia.** Exsistere leges naturae ultra defluit ex iis quae supra (p. 441 sq) declaravimus circa *finalitatem activitatis corporum;* ex illa enim finalitate fit ut corpora necessario secundum modum constantem et uniformem agant. Neque negari potest illa in essendo et operando constantia nisi ab eo, qui veracitatem sensuum reicit. Manifesta enim experientia constat corpora tum singula tum universa activitatem suam in iisdem circumstantiis eodem semper modo exercere. Sic nix semper frigescit, semper alba est, ignis constanter calefacit et comburit, semper et eodem modo in iisdem circumstantiis arbor sese nutrit et crescit. Quod enim de corporibus anorganicis valet, hoc idem observatur in viventibus, prout libertate sunt destituta.

---

[1] Cf. supra p. 242.

Immo non solum revera exsistere, sed etiam, pro ordine mundi, qualis est constitutus, omnino necessarias esse videmus naturae leges. Nisi enim essent hae leges firmiter constitutae, homo vitam suam his in terris instituere non posset [1]. Iam vero omnium hominum, sive rudes sunt sive exculti, in vita cotidiana agendi ratio clare ostendit ipsos certo cognoscere, quid res naturales sub certis quibusdam condicionibus constanter efficere possint, quidque non possint. Sed haec universalis hominum persuasio, cum non possit esse erronea (p. 230 sq), clare ostendit certas quasdam leges naturae exsistere atque a nobis certo cognosci posse. Ergo exsistunt leges naturae [2].

Articulus II.

LEGUM NATURAE NECESSITAS.

Praenotamen. Vox naturae multiplici sensu accipitur:

1. Sensu *naturae alicuius rei individualis*, et tunc definitur: principium primum (remotum) operationis alicuius rei. Est ipsa rei essentia, considerata non ut fundans τὸ primum esse, sed ut principium operationum [3]. Hoc sensu dicimus: est secundum naturam ignis comburere lignum, cui admovetur.

2. Sensu *universitatis omnium naturarum* creatarum collective sumptarum, «die Natur»; et tunc nihil aliud est nisi mundus consideratus non in suo esse, sed quatenus est principium diversarum operationum. Hoc sensu loquuntur qui dicunt: miraculum transcendit vires naturae.

3. Sensu *auctoris naturae.* Saepenumero enim ipse Deus dicitur Natura, utpote qui principium sit omnis principii operationis; sic dicimus: Natura omnia bene disposuit.

---

[1] Cf. *Lehmen-Beck,* Lehrbuch der Philos. II [3] 138 sq.

[2] Cf. *Haan,* Philos. nat.[2] 87 sqq; *Gutberlet,* Naturphilosophie [3] 87 88.

[3] Cf. supra p. 286.

Iam vero de necessitate legum naturae hic loquentes, ad primum huius vocis sensum animum potissimum intendimus. Neque tamen negamus idem, quod de singulis naturis hac de re docemus, valere etiam de universitate naturarum. Immo rem ita esse ultro defluet ex iis, quae tertio huius tractatus libro circa naturam mundi declarabimus. Neque naturam individualem stricte consideramus, prout est principium operationis, sed latius, prout est principium omnis entitatis, sive ipsius *esse* sive *operari*, secundum definitionem supra declaratam: lex naturae est modus constans et uniformis, quem naturae servant in essendo et in operando.

Doctrinae declaratio. *Assertio I. — Leges mundi, si absolute spectantur, omnes sunt contingentes.* Leges mundi absolute spectantur, si considerantur in se ipsis, abstrahendo a voluntate Dei, mundum libere creare volentis. Sic autem consideratae nobis apparent ut contingentes, i. e. tales, ut possint non exsistere [1]. Res enim, quarum sunt leges, contingentes sunt ipsae, siquidem clare videmus res mundanas ita exsistere, ut nullo modo repugnet eas non exsistere. Ergo leges, quae naturam illarum rerum supponunt, contingentes sint oportet [2]. Recte proinde dicitur: *Leges naturae non sunt absolute necessariae* [3].

Assertio II. — In hypothesi exsistentiae mundi quaedam leges sunt metaphysice necessariae, quaedam non. Metaphysice necessarium vocamus id, cuius oppositum est metaphysice impossibile, utpote absurdum [4]. Iam vero

---

[1] Quid sit necessarium, quid contingens, recole ex dictis in Ontologia p. 297.

[2] Haec veritas clarius apparebit ex iis, quae circa naturam mundi tertio libro dicturi sumus.

[3] Cf. supra p. 297. [4] Cf. supra p. 276 sq.

1. Quaedam sunt leges naturae metaphysice necessariae, in hypothesi exsistentiae mundi. Tales enim sunt, ut cuique facile apparet:

a) leges, quae fundantur in constitutione *essentiarum:* qualis est lex, secundum quam homo constat anima et corpore;

b) vel etiam omnes leges, quae fundantur in *proprietatibus* necessario defluentibus ab essentia; talis est lex, secundum quam ignis natura instruitur, ut comburere *possit,* habeat potentiam comburendi, sicut in homine lex, secundum quam intellegere *potest,* habet potentiam intellegendi.

2. Metaphysice tamen non sunt necessariae leges omnes aliae, quae fundantur in condicionibus et adiunctis, quae a rerum essentia non necessario fluunt, sed esse et non esse possunt, vel aliter esse possunt. Quales sunt leges, quae fundantur in *exercitio* potentiarum creatarum vel in relatione coexsistentiae aliorum corporum, et proinde leges omnes, quae fundantur in relationibus cum spatio. Nulla enim invenitur *repugnantia in conceptu* in eo, quod rebus in exsistentia manentibus hae leges deficiant. Sic ignis bene concipitur ut ignis, etiamsi non exurit martyres. Item quod sol vel terra moveatur, quod homo sit in tali vel tali loco, non necessario defluit ab eorum essentia, neque proinde lex, secundum quam sol modo constanti movetur, secundum quam homo semper est in loco, metaphysice necessaria dici potest.

Assertio III. — Multae sunt leges mundi, quae non nisi physice sunt necessariae. Sequitur huius rei veritas ex altera parte secundae assertionis et ex legitima inductione. Experientia enim scimus multos esse in rebus mundanis essendi et agendi modos, qui ex instituto ordine naturae constantes perseverant atque iidem. Sic enim videmus omne corpus esse necessario in loco, sic planetas scimus

ab ortu ad occasum necessario moveri, sic ignem experimur necessario, debitis servatis condicionibus, lignum cui admovetur comburere, alia eiusmodi. Res illas aliter se habere repugnat quidem ex defectu causae secundae physicae, quae illas aliter ordinare possit, non autem repugnat in conceptu [1].

Liber III.
DE CAUSIS SUPREMIS MUNDI CORPOREI.

Caput I.
DE NATURA MUNDI CORPOREI.

Sectio I.
DE NATURA CORPORUM, PROUT SINGILLATIM CONSIDERANTUR.

Articulus I.
DIVERSAE SENTENTIAE CIRCA CONSTITUTIONEM CORPORUM EXPONUNTUR.

PRAENOTIONES.

Corpora ex pluribus coalescere experientia constat. Omnia possunt dividi in partes, et alia quidem non nisi in partes eiusdem naturae ac totum, ut ferrum, argentum, hydrogenium; alia vero multaque in plures naturas diversas, quarum compositione constituuntur. Priora dicuntur *corpora simplicia,* altera vero *corpora composita.*

Quae quidem corpora composita ita quandoque ex pluribus coalescunt, ut componentia et ipsa sint composita. Iam vero cum propter repugnantiam numeri actu infiniti progressio infinita dari non possit, ultimo devenien-

---

[1] Cf. *Lepidi,* Elem. philos. christ. III 275 sq.

dum erit ad aliquid, quod in alias naturas resolvi non possit. Principia autem illa, ex quibus primo res corporea intrinsecus componitur et in quae ultimo resolvitur, dicuntur *elementa*. Elementa proinde in alia corpora diversae naturae resolvi non possunt, etsi ratione quantitatis in partes eiusdem naturae ac elementum dividi possunt. *Atomus* vero est minutissima pars elementi, quae ratione suae subtilitatis est insecabilis, vel, ut aiunt chemici, atomi sunt *ultimae partes homogeneae, in quas corpora chemice simplicia analysi permutativa* resolvi possunt.

Ultimae denique corporum particulae homogeneae, quae physice, i. e. motibus physicis, porro dividi non possunt, etsi *chemice* [1] dissolvi possunt, dicuntur *moleculae* [2]. Atomi proinde corporum simplicium bene distinguendae sunt ab eorundem corporum moleculis. Moleculae enim illae non ex una tantum, sed ex duabus etiam vel pluribus atomis componi possunt [3].

Atomos unius elementi progrediente vel maximo tempore in atomos alius elementi vel aliorum elementorum transmutatas esse viri doctissimi nostris temporibus affirmant. Observatis enim illis qui «*cathodici*» dicuntur radiis et «*radiis X*» vel «*Röntgen*», observata praesertim corporum multorum «radioactivitate» quam vocant [4], con-

---

[1] Quid sit motus physicus, motus chemicus, recole ex iis, quae supra p. 283 declarata sunt. [2] Cf. *Ira Remsen,* Theoret. Chemie 37.

[3] Cf. *Pesch,* Inst. philos. nat. I² 17 sq.

[4] «Lorsque dans un tube de Geißler, où ne règne qu'une pression très réduite, par exemple, d'un millionième d'atmosphère, on envoie un courant électrique à tension suffisante, la cathode émet des rayons non-lumineux qui se propagent en ligne droite, échauffent les corps et rendent phosphorescente la paroi de verre qu'ils rencontrent. Ces rayons s'appellent *cathodiques*. Bien que doués d'un pouvoir pénétrant relativement faible, ils peuvent cependant sortir de l'appareil producteur à travers une mince lame d'aluminium formant fenêtre dans la paroi vitreuse et manifestent alors

iectura colligunt ex minimis primorum elementorum atomis maiores et stabiliores atomos elementorum quae nostris

des propriétés caractéristiques : ils rendent lumineux l'air qu'ils traversent, impressionnent la plaque photographique, sont déviés de leur direction rectiligne par un aimant, provoquent la luminescence de certaines substances excitables, notablement le platinocyanure de baryum. — Toutes les fois que ces rayons cathodiques frappent un obstacle, ils donnent immédiatement naissance à des rayons particuliers qui ont reçu le nom de *rayons X* ou *rayons Röntgen*. Cette radiation nouvelle diffère de la première par un pouvoir plus grand de pénétration ; elle peut, en effet, traverser une enveloppe de bois, des lames métalliques épaisses qui arrêteraient complètement la radiation cathodique. En second lieu, elle se fait remarquer par sa non-déviabilité sous l'influence d'un aimant. — Ces faits étaient à peine connus, qu'une nouvelle découverte non moins importante, à savoir *l'existence de corps radio-actifs,* venait donner au problème des rayons X et cathodiques une ampleur inattendue. Plusieurs substances en effet possèdent la propriété d'émettre spontanément et d'une manière permanente des radiations semblables à celles que nous venons de décrire ; tels sont par exemple l'urane et ses composés, l'oxyde de thorium et surtout les sels du radium. Bien plus, d'après les travaux de Le Bon, de Heen et de plusieurs autres physiciens de marque, les radiations de ces corps ne sont qu'un cas particulier d'une loi très générale, en sorte qu'il faudrait accorder à tous les corps simples ou composés le pouvoir d'émettre des radiations, soit spontanément, soit surtout sous des influences diverses, telles, la lumière, les réactions chimiques, les actions électriques. Rutherford et Curie, qui ont découvert et étudié la plupart des faits relatifs aux corps spontanément radio-actifs, distinguent trois sortes de radiations. Les unes appelées rayons α rendent l'air conducteur de l'électricité, mais leur action sur la plaque photographique est presque nulle et leur force de pénétration très faible, puisqu'elles sont arrêtées par une simple feuille de papier. Les radiations β sont identiques aux rayons cathodiques. Les radiations γ sont en tout semblables aux rayons X ou de Röntgen. A ces radiations s'ajoute, comme phénomène primitif, l'émission d'une substance appelée par Rutherford *émanation ;* elle finit par se transformer en rayon α et β» (*Nys*, Cosmologie[2] 47 sqq).

exstant temporibus productas esse[1]. Sed quidquid est de hac theoria, atomorum et elementorum definitio manet eadem.

Quibus declaratis, quaeritur hic, quid sint elementa illa prima, ex quorum unione vel compositione corpora efficiuntur; utrum atomi sint ultimum corporum sive simplicium sive compositorum principium, an ipsae quoque in alia principia resolvantur; utrum maneant in composito incorruptibiles, quales sunt in se ipsis, sicut litterae in syllabo et notae in musica, an in corporibus compositis propriam naturam exuentes transformentur ita, ut ex ipsis nova inde efficiatur substantia, quae cum nullo ex elementis specie conveniat. Quidquid denique est de statu atomorum in diversis corporum combinationibus, quaeritur praesertim, utrum ex earum combinationibus substantiale quid efformetur necne, et quomodo haec immutatio fiat.

Triplex autem hac in re adest sententia: *dynamismus, atomismus, hylomorphismus* sive systema materiae et formae (ὕλη, μορφή). Scholasticorum hoc ultimum systema dicitur etiam *physicismus*.

§ 1. Dynamismus exponitur.

Dynamistae docent prima elementa corporum esse substantias quasdam *simplices*, indivisibiles, *inextensas*, incorruptibiles, viribus praeditas, ex quibus oriatur materia et extensio, vel esse *vires* quasdam (δύναμις), quarum natura consistat in continuata quadam motione[2]. Duplici

---

[1] Cf. *L. Dressel* in libello periodico «Stimmen aus Maria-Laach» LXX (1906) 511, et *Willems*, Inst. philos. II 650 sq.

[2] Unde duplicem distinguunt dynamismum: atomicum et transscendentalem. *Atomicus* (Boscovichius) subiectum quoddam admittit simplex cui vires inhaereant, *transcendentalis* vero (Kantii et eius discipulorum) eiusmodi subiectum reicit, cum prima illa elementa solis viribus constitui autument.

vero vi substantias illas esse praeditas: vi scilicet *attractionis*, qua una substantia alteri uniatur, et vi *repulsionis*, qua una substantia, dum ab alia trahitur, certo spatii intervallo distans collocetur. Corpora deinde ex elementis inextensis fieri extensa ex ipsa illa attractione et repulsione elementorum. Diversitas denique corporum iuxta recentiores Dynamistas oritur ex virium vibratione, quae pro varia explicatione virtutis attractivae et repulsivae diversa sit.

Systema illud a *Pythagora* inventum, a *Leibnizio* distincte primum propositum est, qui prima illa rerum principia *monades* vocavit, unde systema eius *monadismus* dictum est. Monades illas, ad instar animae, vi repraesentandi et appetendi praeditas esse censuit [1]. Eius systema a *Boscovichio* S. J. (1711—1787) emendatum et explicatum est eo quod Boscovich monades Leibnizii illas quidem retinuit, sed vi repraesentandi spoliatas atque sola vi attractiva et repulsiva instructas esse docuit. *Kantius* vero systema quoddam *continuitatis perfectae* proposuit, secundum quod «duas vires in omni re inesse ponitur, oppositas et omnino continuas, quae in omni immutatione chemica in partes infinitas dividantur vel potius inter se compenetrent» [2]. Kantii vero discipuli vel qui eum secuti sunt transcendentales (*Schelling, Schopenhauer, E. de Hartmann*, alii) ad efficiendam corporum extensionem non duas sibi oppositas vires, sed unicam attractivam simul atque repulsivam admittunt [3]. Nostris denique temporibus dynamismum cum atomismo quodam componere conatus est *Hirn* [4]. Qui prima corporum elementa chemica *atomos*

---

[1] Cf. quae de Leibnizii monadibus docet *Lehmen-Beck*, Lehrbuch der Philos. II³ 160.

[2] *Pesch*, Instit. philos. nat. I² 369. Cf. etiam *Lehmen-Beck* l. c. 161.

[3] Cf. *Willems* l. c. II 93.

[4] *Gust. Adolfus Hirn* (1815—1890) Logelbach prope Colmar (Alsatia) natus est. Vir fuit *rerum physicarum* peritus. Scripsit

extensas illa quidem sed omnis activae virtutis expertes esse docuit; extra atomos illas in mundo, Dynamistarum more, *vires* quasdam admisit, quae propria exsistentia independenter a materia exsistant et ad quattuor reducantur species, ita ut sint: gravitas, lux, calor, electricitas. — Huc refertur etiam *actualismus* Wundt, Paulsen, aliorum [1].

Neque praetermittendus est *Palmieri* [2], qui *virtualem* quandam primorum simplicium elementorum excogitavit extensionem. Virtute quadam resistiva vires illas quasi impenetrabiles esse docuit, ita ut hac virium expansione ipsarum in spatio extensio constituatur [3]. Sed quidquid est de diversis illis rem explicandi modis, in eo Dynamistae omnes conveniunt quod docent prima corporum elementa esse *vires*, substantias quasdam simplices et inextensas; diversa vero phaenomena, quae in hoc mundo observamus, non esse nisi *modos* continuatae virium illarum motionis [4].

---

inter alia: Recherches sur l'équivalent mécanique de la chaleur; Théorie mécanique de la chaleur; Analyse élémentaire de l'univers; Mémoire sur les anneaux de Saturne; Les pandynamomètres.

[1] Cf. supra p. 327 sq.

[2] Institutiones philosophicae c. II, th. 16.

[3] Quam sententiam *Nys* (Cosmologie [2] 572) sic explicat: «Sans doute, les atomes élémentaires sont simples et absolument indivisibles. Mais ils découpent chacun un volume déterminé dans l'extension spatiale, en ce sens que par leur force de résistance *ils rendent impénétrable la sphère d'action* dans laquelle ils existent. L'atome se trouve donc tout entier dans la portion d'espace qui lui est propre et tout entier dans chacune de ses parties. Son extension est ainsi *virtuelle*.»

[4] «Sous les formes variées du dynamisme on ne découvre qu'un petit nombre de propositions qui puissent être considérées comme la trame essentielle de ce système cosmologique: a) Il n'existe dans l'univers que des éléments ou groupes d'éléments simples, *réellement* inétendus. b) La force constitue toute leur essence. c) La plupart

§ 2. Atomismus exponitur.

Triplex distingui potest atomismus: atomismus mechanicus vel extremus, atomismus dynamicus, atomismus physicus vel chemicus.

I. *Atomismus mechanicus vel extremus.* Huic systemati qui sunt addicti, corpora omnia docent constitui *atomis* vel corpusculis, quae sint a) *extensa* illa quidem, sed omnino *indivisibilia;* b) distincta et *vacuis intervallis inter se separata;* c) omnis *activae virtutis expertia;* d) *immutabilia,* eo sensu quod mutari non possint nisi quoad *motum localem,* quem passive recipiant. «Hisce atomis omnia corpora conflata esse volunt, ita ut cum moleculae tum corpora molis maioris nihil sint nisi cumuli atomorum aliter atque aliter dispositarum, omnesque quae appareant substantiarum *generationes* et *corruptiones nihil sint nisi atomorum in alia loca commigrationes.* Has igitur quas diximus transmutationes omnes, omnes corporum structuras atque adeo totius mundi conformationem solo *motu locali,* quo corpuscula forte fortuna circumferantur, explicare praesumunt, ita ut, quidquid in ingenti hac rerum universitate fieri accidat, aliud non sit nisi maior vel minor atomorum velocitas vel motus hoc illove modo modificatus.» [1]

---

des dynamistes sont partisans de l'action à distance. Plusieurs cependant, tels Leibniz et le P. Palmieri, la rejettent. d) Enfin, les phénomènes, quelle que soit d'ailleurs leur diversité, résultent du conflit des forces élémentaires et ne sont en réalité que des *modes de mouvement*» (*Nys*, Cosmologie [2] 572). — Longum est diversas diversorum illorum philosophorum sententias referre. Qui plura de hac re desiderat, adire potest *Pesch,* Inst. philos. nat. I [2] 366 sq; *Nys,* Cosmologie [2] 565 sqq; item *Lehmen-Beck,* Lehrbuch der Philosophie II [3] 160 sq; *Pécsi,* Cursus brevis Philos. II 20 sqq.

[1] *Pesch* l. c. 326. Cf. quae supra (p. 427 sqq) de «mechanismo bruto» diximus.

Haec materialistica sententia perantiqua est, cum iam a Thalete [1], Democrito [2], Epicurio [3], aliis propugnata sit. Nostris vero temporibus fautores praecipuos habuit L. Feuerbach, L. Büchner [4], Chr. Wiener, E. Haeckel plerosque eorum qui *physicarum* magis quam philosophicarum rerum sunt periti [5].

II. *Atomismus dynamicus.* Fautores huius sententiae docent *atomos esse substantias incorruptibiles, indivisibiles, sed tamen extensione triplici ac* **vi** quadam **mechanica** *praeditas,* quam non pauci ad **vim resistendi** essentialiter reducunt; in composito atomos manere actu, utpote ex sua natura incorruptibiles, ita, ut corpora composita non sint nisi synthesis quaedam plurium substantiarum, quae actu perseverent ac certis definitis legibus invicem combinentur.

Atomistae proinde dynamici ab extremis eo differunt quod theoriam de solo motu locali *passive* recepto reicientes atomos **viribus** *mechanicis* praeditas esse docent,

---

[1] *Thales* (624—548 a. Ch. n.) mundum corporeum ex aqua ortum esse docuit.

[2] *Democritus* (460—370 a. Ch. n.) primo atomos infinitas numero, *homogeneas* omnino omnes atque aeternas esse docuit.

[3] *Epicurius* (342—270 a. Ch. n.) Democriti systema magis evolvit.

[4] Scripsit: Kraft und Stoff.

[5] De hac re *Nys* (Cosmologie [2] 42) haec habet: «Telle est la théorie cosmologique préférée de la plupart des savants modernes. Il existe encore des hommes de science qui gardent en cette matière une prudente réserve. Cependant, si on laisse de côté les ouvrages de seconde main pour s'en tenir à la pensée des maîtres, de ceux-là qui par leur crédit et par leur initiative scientifique donnent à la science son orientation distinctive, il faut bien reconnaître que le mécanisme est la forme dominante de la tendance scientifique de notre époque. ‚Si sur le domaine de la science, dit M. Hirn, le suffrage universel avait une valeur effective, il n'y aurait plus lieu de discuter la question.'»

conveniunt cum iis eo quod atomos omnes «homogeneas», i. e. unius et eiusdem naturae, atque incorruptibiles omnino esse affirmant[1].

III. *Atomismus chemicus* vel *scientificus* est sententia eorum qui animum unice appellunt ad ea quae *chemia* vel *physica* circa constitutiones vel activitates corporum docent. Quarum praeceptis vel inventis contenti se *physicos* vel *chemicos* neque tamen *philosophos* esse profitentur. Unde ad *ultima corporum principia* philosophorum more explicanda animum non adducunt. Cum illis proinde nobis hic res non est[2].

---

[1] «Les idées-mères de ce système se ramènent aux trois propositions suivantes: 1° La matière est essentiellement homogène. 2° Des forces *exclusivement mécaniques* suffisent à rendre compte de tous les phénomènes dont elle est le théâtre. 3° Dans toutes les phases de leur évolution, les atomes intransformables conservent toujours leur être propre. La première et la troisième proposition sont empruntées au mécanisme et constituent le fond commun de ces deux théories. La seconde qui substitue des énergies mécaniques au mouvement local, caractérise l'atomisme dynamique» (*Nys*, Cosmologie[2] 556).

[2] «Remarquons d'abord que l'atomisme est un de ces mots à ententes multiples. Plusieurs philosophes auraient évité les justes récriminations des hommes de science s'ils avaient eu soin, avant de le critiquer, d'en préciser le sens. — Il importe, en effet, de distinguer soigneusement deux sortes d'atomisme: l'un d'ordre purement scientifique, appelé *atomisme chimique;* l'autre d'ordre métaphysique, appelé atomisme *philosophique* ou simplement *mécanisme*. Le premier semble en harmonie parfaite avec les faits et ne relève d'aucun système cosmologique. Il en est tout autrement du second» (*Nys* l. c. 36 sq). Et infra (ib. p. 40) de eodem atomismo chemico haec habet idem auctor: «La théorie atomique appartient exclusivement au domaine des sciences, il n'est même aucun système de philosophie qui ne puisse s'en accommoder. Dégagée, en effet, de toute opinion, soit sur la nature intime des corps élémentaires et de leurs propriétés, soit sur l'essence substantielle de la molé-

§ 3. Hylomorphismus exponitur.

I. *De duplici corporis omnis elemento constitutivo.* — Secundum doctrinam scholasticam corpus omne duplici constituitur principio substantiali: materia prima et forma substantiali.

Materia prima est substratum quoddam *ex se omnino indeterminatum, quod idem est in omnibus corporibus* idemque quantitative semper permanet sub omnibus corporum transformationibus, quod in se nullam habet ex iis determinationibus, quas in corporibus deprehendimus, sed tamen *est in potentia recipiendi* qualemcumque ex iis.

Forma substantialis est entitas illa vel comprincipium, quo materia prima ex se ad multa indifferens determinatur, ut sit talis vel talis actus, ad quem non erat nisi in potentia.

Sic in aqua distinguitur substratum quoddam, quod potest esse aqua, oxygenium, hydrogenium, alia multa, et entitas vel actus, quo fit, ut substratum illud sit aqua neque hydrogenium, vel oxygenium, vel aliud quicquam.

Qua compositione ex partibus essentiae constitutivis substantia corporea distinguitur a substantiis spiritualibus, a spiritibus, qui sunt actus vel formae immunes a compositione ex potentia illa subiectiva receptiva, «sunt intrinsece independentes a materia». Tales sunt angeli, talem etiam in Anthropologia ostendemus esse animam humanam. Habent quidem formae illae creatae potentiam admixtam eo sensu, quod de potentia obiectiva transierunt ad actum essentiae, vel etiam eo sensu, quod ex actu essendi ad potentiam *obiectivam* vel meram possibili-

---

cule du composé dont elle se contente de décrire les facteurs immédiats, elle laisse le champ libre aux conceptions philosophiques qui s'étendent à l'au-de-là des données expérimentales.»

tatem transire possunt, *non autem taliter sunt in potentia, ut possint* fieri aliud in ordine actualium[1].

Iuxta scholasticos proinde omne corpus est *actu* vel *formaliter* tale corpus determinatum, *potentia* vero vel *virtualiter* aliud corpus. Sic aqua actu et formaliter est aqua, potentia tamen vel virtualiter hydrogenium et oxygenium; et vicissim: oxygenium et hydrogenium sunt formaliter oxygenium et hydrogenium, virtualiter autem aqua.

II. *De corporum efformatione.* — Quae cum ita sint, scholastici docent sub influxu agentium naturalium in hoc mundo corporeo novas continuo formas ex potentia materiae educi vel novas *generari* substantias ex *corruptis* aliis corporibus: «*generatio unius est corruptio alterius*». Generationem vero illam et corruptionem sic explicant:

Generatio est productio alicuius substantiae per eductionem novae formae ex potentia materiae[2]. Aqua e. g., cum generatur, educitur quidem ex nihilo *sui,* i. e. ex nihilo suae formae (aquae), quae antea non erat actu; sed non ex nihilo *subiecti,* i. e. non ex nihilo praeexsistentis materiae, educitur enim ex materia induta forma oxygenii et hydrogenii. Qua quidem ratione generatio distinguitur a *creatione,* quae est: *eductio totius substantiae ex nihilo sui* et subiecti.

Corruptio vero est: *transitus alicuius corporis ex esse ad nihilum sui, sed non* subiecti. Sic, e converso, ut exemplo utamur quo supra, cum ex aqua fit hydrogenium et oxygenium, aqua transit ad nihilum sui, i. e. ad nihilum formae aquae, non autem ad nihilum sui *et subiecti,* quia

---

[1] Quid sit potentia obiectiva, potentia subiectiva eaque receptiva, recole ex iis, quae supra (p. 274) declarata sunt.

[2] Haec est generationis *in sensu lato* definitio; *stricte* enim generari dicitur de *viventibus;* sed de hac generatione sermo erit in Anthropologia.

remanet in potentia sui substrati, quod iam exsistit sub forma hydrogenii et oxygenii.

Quodsi transiret ex esse ad nihilum sui et subiecti, ita ut nihil eius remaneret in ordine actualium eius motus ad non-esse, diceretur *annihilatio,* quae definitur: *transitus* **totius** *substantiae ex esse* (in ordine actualium) *ad non-esse.*

III. *De condicione atomorum in transformationibus vel in ipsis compositis substantialibus.* — Scholastici nihil negant de iis, quae recentes chemici docent circa exsistentiam atomorum et diversas quas ineunt combinationes. Leges ab ipsis stabilitas omnes admittunt, *negant vero haec scientiarum placita sufficere ad quaestionem de ultimis corporum principiis solvendam.* Requiritur enim iuxta ipsos in omni corpore principium quoddam, quo fit, ut atomi talem vel talem ineant et conservent combinationem, tali vel tali praeditae sint motu locali, alia eiusmodi. Quod quidem principium contendunt esse aliquid substantiale.

Naturam vero atomorum quod attinet, scholastici fere omnes in eo conveniunt, quod contendunt atomos corporum simplicium, combinatione perfecta, in corporibus compositis non formaliter sed virtualiter tantum manere: «*virtute manent*». Ad explicandum vero sensum huius vocis in multas abeunt sententias [1]. Utrum enim realitates illae, quae in elementis munere formarum funguntur, ad novae rei generationem *totae* corruant necesse sit, an formae tantum rationem amittant, cum forma nobilior extrinsecus oriatur, ab ipsis hylomorphismi fautoribus in contentione ponitur. Cuius ultimae sententiae «vis in eo est praecipua, ut *id, quod* est forma in elementis, manere dicatur, non tamen *eo modo, quo* est in elementis, puta ut forma. Hoc ut exemplo (quod sane non omni ex parte cum re, de qua agitur, convenire videatur) illustre-

[1] Cf. *Pesch,* Inst. philos. nat. I² 289 292 301 sq; *Nys,* Cosmologie² 385 sqq; Revue néo-scolastique 1906, 324 sq.

mus, cum ex triangulo, addito altero triangulo, quadrata figura fit, *limes* triangula separans amoveri debet, non tamen *id, quod* illo limite claudebatur. Vel cum murus altius extollitur, quae summa in eo fuerunt, *manent* realiter, *summa* non manent. Ita formae elementorum, cum in composita immigrent, formarum rationes exuere putandae sunt, cum iam non ultimam determinationem dent internam.»[1] Alii illud «virtute manent» ita explicant, ut elementa constitutiva doceant in statu quodam attenuato esse locata, vel «localizata», ut aiunt, in ipso composito; elementorum ita localizatorum proprietates iis esse analogas quibus praedita erant elementa ante transformationem; formam vero substantialem compositi esse illarum formarum quasi substitutum, cum earum energias fundamentales contineat omnes[2].

---

[1] *Pesch* l. c. I² 303. — De vera S. Doctoris sententia hac in re disputant auctores. Cf. *Nys* l. c. 394 sqq.

[2] «La permanence virtuelle des éléments dans le composé chimique, et partant la possibilité physique de les faire renaître, tiennent à deux causes. La première, ou la cause *éloignée,* réside dans la nature même de la forme essentielle du composé; elle est le substitut naturel des formes élémentaires dont elle contient, malgré son unité, les énergies foncières. — La raison *immédiate* de cette permanence est la reproduction intégrale dans l'être nouveau des propriétés réelles, mais atténuées des composants. Au sein même de la synthèse, chacun des corps simples constitutifs est représenté par un ensemble de propriétés analogues à celles dont il était revêtu au moment de la combinaison. Tel est le sens vrai du ,virtute manent' si souvent employé dans les œuvres d'Aristote et de Saint Thomas. — En second lieu, il est même indispensable, pour l'explication des faits, d'attribuer à chaque groupe de propriétés représentatives des éléments une place déterminée dans la masse du composé. Ainsi, la molécule du sel de cuisine (chlorure de sodium) est un corps réellement un, doué d'une seule forme essentielle; mais elle contient deux parties, *dont l'une représente* spécialement le *chlore* et *l'autre* le *sodium.* Ces parties correspondent

Articulus II.

DIVERSAE SENTENTIAE CIRCA CONSTITUTIONEM CORPORUM AESTIMANTUR.

§ 1. Aestimatur dynamismus.

I. *Dynamismus nullo quod valeat nititur fundamento.* Etenim:

1. Leibnizius exsistentiam monadum quae operationibus illis vitalibus praeditae sint gratuito omnino affirmat, cum neque *experientia sensuum* eius sententia nitatur neque *ratione,* ex effectibus scilicet, illas exsistere deduci possit[1].

2. *Ratione* deinde nullo argumento exsistentia primorum elementorum *simplicium,* quaecumque sunt, probatur. Ex eo enim, quod attractiones et repulsiones in corporibus fieri constat, recte quidem concludimus esse in ipso principium quoddam, a quo actiones illae procedunt; nullo vero modo erui potest illud principium esse aliquid simplex, inextensum, quale Dynamistae ipsum describunt. Unde, *quod gratis affirmatur, gratis potest negari.*

II. *Dynamismus naturam corporum non explicat.*

1. Negat enim realitatem extensionis, quam *evidenter* ut realem percipimus ope sensuum externorum. Neque

---

aux deux quantités de matière fournies au composé par les deux générateurs, en sorte que, dans chacune d'elles, un ensemble de propriétés atténuées rappelle l'élément dont elles proviennent» (*Nys,* Cosmologie[2] 407 sq). Cf. etiam contentionem quam de hac re *Nys* cum P. *Ios. Gredt* O. S. B. habuit in libello periodico «Revue néo-scolastique» 1907, 393: «Homogénéité ou hétérogénéité du mixte», et 1908, 231: «A propos du composé chimique». Cf. etiam *Gredt,* Elementa philos. aristotelico-schol. I[2] 328 sqq, ubi hanc suam sententiam aperit: «In mixtione perfecta elementa non manent actu neque formaliter eminenter, sed virtualiter, in quantum manent qualitates propriae elementorum, formaliter quidem, sed remissae et temperatae.»

[1] Cf. *Lehmen-Beck,* Lehrbuch der Philosophie II[3] 171.

enim concipitur, quomodo ex inextensis primis corporum principiis extensio fieri possit[1].

2. Deinde *rationem substantiae eiusque unius* si minus aperte denegat, at certo non tribuit corpori. Vires enim illae corpus constituentes vel non in se ipsis subsistunt vel subsistentiam habent propriam. Si prius, aliud ens supponunt in quo subsistant ut corporis elemento constitutivo; si alterum, non explicatur corporum *unitas*[2].

3. Neque iuvat quod corpora dicunt esse spatiola vel spatii partes, in quibus activitates inter se oppositae exerceantur. Tali enim declaratione corporis *apparentia* aliquo modo explicatur, nullo vero modo quid sit in se ipso[3].

III. *Dynamismus repugnantia docet.*

Dynamistae enim, cum contendunt corpora fieri extensa ex eo, quod inextensa illa prima elementa, certis spatiolis inter se vi repulsiva distantia, vi attractiva sese attrahentia, exhibent sensibus id, quod extensum vocamus, absurdum docent. Nam eo ipso admittunt esse *distantiam*, quae *nulla sit realitas*, dicunt enim inter entia illa, quae mutuo sese attrahunt et repellunt, *nihil* exsistere. Sed distantia, quae nulla sit realitas, repugnat; mensuratur enim distantia, nihilum vero mensurari non potest. Praeterea theoria de «actione in distans» experientiae plane contradicit. Certis enim experimentis legem habemus exploratam, secundum quam *omnis unius corporis in aliud actio eo est excitatior quo minor inter ea intercedit distantia, eo vero remissior*, quo maior *distantia*. Quae lex, admissa Dynamistarum sententia, nullam habet rationem sufficientem, cum in *nihilo* inter corpora illa supposito nulla ratio impedimenti inveniri possit; bene vero explicatur, si inter ipsa medium

---

[1] Cf. ib. 172.

[2] Cf. *Willems*, Instit. philos. II 97; *Pesch*, Inst. philos. nat. II² 370; *Lehmen-Beck* l. c. II³ 172; item supra p. 328 sq.

[3] Cf. *Lehmen-Beck* l. c. II³ 172.

quoddam recte supponitur [1]. Sententia denique de «extensione virtuali» a Palmieri gratuito omnino excogitata *ubi definitivum* spirituum cum *ubi circumscriptivo* corporum confundit. Unde efficitur, ut subsistentiam illarum virium eandem dicere possis ac spirituum subsistentiam, neque quicquam obstet, quominus a falsa ista ratione proficiscens atomis illis, secundum Leibnizii opinionum commenta, perceptionem tribuas atque appetitionem. Illud autem praesertim in reprehensionem cadit quod neque Palmieri neque ullus ex Dynamistis, qualiacumque eorum sunt inserta, unitatem substantialem corporum explicat [2].

Conclusio: *Dynamismus reiciendus est ut sententia certo falsa.*

§ 2. Aestimatur atomismus.

1. *De atomismo extremo vel mechanico.*

1. *Atomismus extremus est hypothesis inanis,* quia multa eorum, ad quae explicanda supponitur, nullo modo explicat.

Non explicat phaenomena psychica corporum viventium. Actiones enim immanentes toto genere differunt a *motibus mechanicis,* qui non sunt nisi transeuntes, id quod clare apparebit ex iis, quae in Anthropologia circa motum vitalem observabimus.

In corporibus autem sive viventibus sive non viventibus non explicat:

a) *finalitatem intrinsecam,* qua singula corpora praedita sunt. Motus enim passive receptus vel nullam vel ad summum extrinsecam tantum finalitatem communicat. Nec

b) *rerum et legum constantem et certam diversitatem.* «Atomi enim aut eiusdem dicuntur substantiae et speciei et habebunt eundem motum naturalem, nec ulla ratio

---

[1] Cf. *Nys,* Cosmologie [2] 585 sqq.

[2] Cf. *Nys* l. c. 577.

assignatur, unde mirabilis illa ordinata oriatur diversitas, quae in motibus naturalibus inest; aut diversae dicuntur substantiae specieque distinctae, et nulla huius ipsius diversitatis ratio affertur, cum nulla atomismus ponat principia formalia, e quibus ea ullo modo deduci possit.»[1] Nec

c) *constantem modum essendi,* quem communi hominum consensu corpora specifice diversa naturaliter acquirunt et servant. Nullam enim Atomistae afferunt rationem, propter quam atomorum turbulentus grex in illam potius partem quam in aliam ruat, in illum potius quam alium aggregationis statum incidat. Hoc casu forte factum esse dicunt. Sed «casus» *vox* est inanis, quae nihil explicat.

Etsi autem Atomistis dare vellemus atomos casu in talem vel talem aggregationis statum occurrere potuisse, tamen rationem sufficientem *permanentiae* huius status non explicant. «Hamis certis uncisque», inquiunt, «atomi instructae sunt, quibus certa cum firmitate inter se copulantur!» Sed nemo est, qui non videat, quam inepte haec omnia sint excogitata.

2. *Atomismus extremus est hypothesis absurda,* quia absurde docet atomos *vacuis* intervallis inter se *separari,* immo per vacua illa spatiola fieri transitum motus!

Conclusio: *Atomismus extremus est hypothesis omnino reicienda.*

2. *De atomismo dynamico.*

1. *Atomismus moderatior in multis cum experientia optime concordat,* in iis scilicet, quae docet circa exsistentiam atomorum extensarum vi mechanica praeditarum.

2. *Quoad doctrinam vero propriam,* qua moderatiores Atomistae tenent prima elementa corporum esse omni com-

---

[1] *Pesch,* Inst. philos. nat. I[2] 329 sq.

positione carentia et in diversis compositis eandem servare naturam, haec sine studio partis statui possunt:

a) *Haec sententia nullam potest sibi certitudinem vindicare.* Etenim atomos esse substantias omni compositione (etiam materiae et formae) carentes neque sensibus neque deductione rationis apparet: non sensibus, qui naturam illarum atomorum perspicere non possunt; non ratione, nam ratio, quamvis dictet ultimo tandem deveniendum esse ad elementa non composita, tamen non dicit haec ultima principia esse substantias completas, quae sine ulla compositione in natura actu exsistant per se, ut Atomistae volunt.

Eadem ratione certo non constat atomos in corpore composito actu manere secundum eandem naturam, quam antea habebant; immo si ad diversitatem proprietatum hydrogenii, oxygenii, aquae e. g. attendimus, ratio non leviter inclinatur ad concludendum atomos hydrogenii naturam aliam induere in aqua.

b) Praeterea, id quod maxime notandum est, *atomismus dynamicus quaestionem de ultimo atomorum principio non attingit.* Neque enim rationem intrinsecam ostendit, propter quam atomi in diversis corporibus diversam habeant finalitatem internam, diversas explicent vires, diversis praeditae sint motibus [1].

---

[1] Cf. *Lehmen-Beck,* Lehrbuch der Philosophie II [8] 176 sq; *Nys,* Cosmologie [2] 558; item *G. Sortais,* qui «le dogmatisme atomique», inquit, «enseigné par nombre de chimistes modernes, prétend que la matière serait composée d'atomes indivisibles, doués de propriétés géometriques qui se ramènent à l'*étendue,* et de propriétés dynamiques qui se ramènent à la *force.* Cette théorie a une valeur *physique,* car elle est *représentative* de la dualité à laquelle on réduit les propriétés contradictoires de la matière. Mais elle n'a pas de portée *métaphysique,* car elle ne résout pas le problème de la nature *intime* des corps; elle constate, sans essayer de la lever, l'antinomie d'un atome à la foi *étendu* et *indivisible*» (Traité de philosophie II [4] 412).

c) Deinde Atomistae dynamici, cum atomos omnes homogeneas esse contendant, viribus tantum mechanicis conexas, unitatem substantialem corporum, viventium praesertim, non explicant.

d) Theoria denique de viribus omnibus corporeis ad vires mechanicas unice reducendis non videtur esse hypothesis satis probabilis, qua corporum constitutionem explicemus, nisi obscura obscuris explanare velis[1].

e) Neque tamen contendi potest hanc sententiam quatenus docet atomos esse substantias omni compositione, *etiam materiae et formae*, carentes *evidenter* repugnare rationi vel experientiae aperte contradicere. Etsi enim certum est mutationes virium et proprietatum praesupponere diversum modum essendi in re, a qua dimanant, tamen, num modus iste essendi diversus tantus esse debeat, ut necessario praesupponat mutationem, quam scholastici admittunt, *evidenter* non apparet. Immo probabilitatem aliquam habet illa hypothesis, quia multa facta commode explicat, nullo certo experimento *aperte* contradicit, modum explicandi essentiam corporum simplicem admittit[2].

Concludendum ergo est systema atomismi dynamici ratione quodammodo probari, sed, quia non sufficere videtur ad omnes substantiales novitates explicandas, ipsum mentis assensum non necessario ad se trahere; est systema illud in multis quidem *scientificum* neque tamen vere *philosophicum*[3].

---

[1] Ex eo enim quod vires materiae, cum exercentur, semper motum aliquem localem producunt, non recte concluditur eas *nonnisi* motum localem producere, praesertim cum proprietates sensibiles activitate corporum productas observemus, quae motu locali non sufficienter explicantur. Cf. supra p. 438 et 461; item *Nys* l. c. 560.

[2] Cf. *Lepidi,* Elem. philos. christ. III 76 sq. .

[3] «L'atomisme dynamique s'est arrêté à mi-chemin. A l'encontre du mécanisme pur, il a compris qu'à dépouiller la matière de tout principe interne d'activité, on s'interdit manifestement

§ 3. Aestimatur hylomorphismus.

I. *Sententia scholastica circa constitutionem corporum magis consentanea est modo loquendi Ecclesiae* veritates fidei definientis, item ipsis veritatibus fidei christianae videtur esse conformior.

II. *Nullo modo tamen ad fidem pertinet,* immo controversiam de natura corporum inter catholicos agitatam Pius IX *liberam* declaravit eamque doctrinas mere philosophicas respicere, super quibus catholicae scholae diversas sententias sequuntur ac sequi possunt; quoniam suprema Ecclesiae auctoritas numquam pro altera iudicium tulit, quod alteram excluderet.

III. *Propugnata est haec sententia a philosophis prae ceteris praestantissimis,* quales sunt Aristoteles, Albertus Magnus, S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus, Suarez, qui hanc sententiam dogma philosophicum dixit, ipse denique recentiorum omnium philosophorum clarissimus Leibniz.

IV. *Cum omnibus recentium chemicorum placitis componi potest.* Id enim, quod observationibus physicis chemicisque detegitur, non ipsa substantia est, sed qualitates corporales sunt. Doctrina vero circa qualitates illas processusque chemicos a viris scientiarum peritis tradita scholastici utuntur ad conclusiones suas eruendas circa ipsam substantiam, de qua chemici ut chemici nihil docent. Quatenus vero chemici aliqui, philosophorum more, de ipsa

---

l'explication des faits et on livre l'univers aux caprices du hasard. Cédant aux exigences de l'ordre, plusieurs même ont demandé à la substance la raison de ses énergies: conclusion logique, mais incomplète! Car en dernière analyse, il n'y a que la diversité substantielle qui puisse garantir la constance que l'on observe dans la diversité accidentelle des êtres. Ce système est donc un acheminement vers la théorie scolastique et doit fatalement y arriver, sous peine de ne donner qu'une solution partielle du problème cosmologique» (*Nys,* Cosmologie[2] 564).

constitutione corporum agunt, eorum auctoritas in tantum valet, in quantum sunt philosophi, non autem in quantum sunt chemici.

V. Valorem denique conclusionum scholasticarum quod attinet:

1. Contra Dynamistas *certum est in omnibus corporibus vel in ipsis elementorum atomis admittendum esse principium quoddam materiale*, i. e. principium entitatem corporis diffundens per spatium (principium passivitatis et potentialitatis). Agere enim sequitur esse. Atqui physica et chemica testantur corpora omnia naturaliter activitatem exercere, quae in spatio sit diffusa atque extensa. Ergo principium, a quo activitates illae procedunt, extensum sit oportet in ipsa sua entitate.

2. Contra Atomistas, mechanicos praesertim, item *certum est in omnibus corporibus admittendum esse principium quoddam formale,* quo scilicet fit, ut corpus sit taliter vel taliter determinatum. Hoc enim omnino requiritur ad declarandam rationem sufficientem finalitatis intrinsecae rerum et legum constantis certaeque diversitatis, item rationem constantis modi essendi, quem corpora specifice diversa naturaliter acquirunt et servant.

Ratio enim illa sufficiens:

a) non invenitur in atomis casu nescio quo passive motis (p. 429);

b) neque invenitur in condicionibus medii, in quo versantur corpora; constat enim, mutatis saepenumero his condicionibus, in eodem corpore eandem servari constantiam activitatis processus, item videmus in iisdem medii alicuius condicionibus diversos esse diversorum corporum specierum modos essendi et activitatis evolutiones;

c) neque in ipsa causa prima vel Deo invenienda est. Est in ipso quidem haec ratio, sicut aliae omnes, ultimo ponenda ut in causa extrinseca. Sed hic non quaeritur de ultimo fundamento externo, sed de ratione sufficienti

immediata huius finalitatis et constantiae, et hanc rationem sufficientem non esse Deum sufficienter constat ex iis, quae supra (p. 427 et 429) contra occasionalismum diximus.

Est proinde ratio illa in ipsa constitutione corporis ponenda.

Hic autem *sufficienter* non invenitur in condicionibus combinationum atomorum vel in atomis specialibus viribus praeditis. Quaestio enim praecise ponitur circa principium ipsum illarum condicionum et diversarum combinationum. Quaeritur enim, quaenam sit ratio sufficiens, propter quam haec omnia ita sint constituta, ut tam constanter viribus suis ad talem finalitatem vel ad talem modum essendi conservandum conspirent.

Haec autem quaestio aliter sufficienter solvi non potest, nisi ut admittamus esse in omni corpore principium quoddam fundamentale, a quo omnes partes habeant, ut sint taliter vel taliter constitutae, et a quo omnes huius corporis vires, quasi ab unico fonte profluentes, ad unum finem dirigantur. Quod quidem principium vocamus formam.

3. Item *certum est principium materiale in corporibus realiter distingui a principio formali.*

Principium enim illud, quo fit, ut corpus sit diffusum per spatium, *dividi, destrui, dilabi* possit, non potest esse re idem ac principium, cuius activitate idem corpus per partes diffusum, destructibile, divisibile communi quodam vinculo in suo esse formali simul constringitur. Nam haec omnia ita sibi opponuntur, ut non nisi inter duas res exsistere concipi possint. Unum enim et idem principium physice simplex, i. e. compositione ex partibus physicis immune [1], non potest esse principium suae divisibilitatis et destructionis *simul* et principium suae unitatis et permanentiae in esse. Quod ex eo maxime elucet, quod

---

[1] Cf. supra p. 45

illud principium diffusionis et divisionis *manet* sub diversis transformationibus, cum forma ab ipso *separetur*. Corpus enim, quod transformatur, non annihilatur. Sed quae separari possunt, haec certo inter se realiter distinguantur oportet[1].

Praeterea, «in quo Atomici frustra desudant, cur divisionis certi denique fines esse debeant, optimas haec sententia significat rationes. Asseverant enim physici corpus in infinitum dividi non posse. Sed si materia non realiter a forma distingueretur, i. e. nisi in corpore naturali inesset quiddam, quod, ut ex se est inextensum, ita impedit, ne materia (quae ex se semper aliquam extensionem exigit) sit in potentia ad extensionem quamlibet omni exsistente minorem, ratio significari non posset, cur corpus in infinitum divisibile negetur. Numquam enim, quod exigit extensionem, ab extensione quantumvis minima ex se abhorrere potest»[2].

4. *Certum denique est entitates illas realiter distinctas esse entitates substantiales.*

Sunt enim partes ipsius esse corporis, quod concipi debet ut substratum ultimum omnium virium et proprietatum corporis, nisi in processum in infinitum nos abripi patiamur.

5. Utrum vero materiae et formae natura omnino talis sit, qualem ipsam scholastici describunt (p. 456 sq), ita ut in corporibus compositis atomi elementorum nonnisi virtualiter et in potentia materiae maneant necne, *omnino certo non constat,* quia, ut supra (p. 463) monuimus, non evidenter apparet sententiam Atomistarum moderatiorum

---

[1] Cf. *Pesch,* Inst. philos. nat. I² 206; *Haan,* Philos. nat.³ 227 sqq; *Lehmen-Beck,* Lehrbuch der Philosophie II³ 188; *Nys,* Cosmologie² 502 sqq.

[2] *Pesch* l. c. I² 209. Argumentum illud subtili iudicio percensum invenies apud *Nys* l. c. 512 sqq.

evidenter rationi repugnare. *Multo tamen probabilior hac in re est sententia scholasticorum.* Res enim corporeas altius perscrutatur: quia de ratione sufficienti ipsarum condicionum diversarum atomorum combinationum et de ratione specialium diversarum atomorum virium inquirit, quam quaestionem atomismus moderatior tacite praetervolat.

Praeterea principia illa a physicis praeclare stabilita de constantia materiae et de constantia energiae in clariore luce collocat[1]. *Melius deinde explicat omnes substantiales novitates* naturae, e. g. diversitatem virium et proprietatum aquae eiusque elementorum, oxygenii scilicet et hydrogenii, antequam combinantur.

Philosopho denique *christiano dignior* est, cum dogmata nonnulla christiana melius explicet.

Quae cum ita sint, nostram hanc facimus P. Lepidi **conclusionem**: «*Peripateticam sententiam ut verisimiliorem propugnamus, utpote quae rationabilius tutiusque respondeat animo quaerenti de modo, quo mutationes et compositiones substantiales in natura fiunt. Eam autem tamquam sententiam omnino certam, quae animum ab omni formidine liberet, defendere non audemus.*»[2]

---

[1] «*Principe de la conservation de la masse.* Si l'on considère un système de corps complètement isolé, quelles que soient les transformations qui se produisent à l'intérieur du système, la masse totale reste rigoureusement invariable. — *Principe de la conservation de l'énergie.* Si l'on considère un système de corps complètement isolé, la somme de l'énergie actuelle et de l'énergie potentielle est constante, quelles que soient les transformations subies par le système» (*Gauthier,* Leçons de chimie). Cf. supra p. 440; item *Mercier,* Psychologie I⁹ 36.

[2] *Lepidi,* Elem. philos. nat. III 80.

Articulus III.

HYLOMORPHISMUS UBERIUS EXPLICATUR.

§ 1. De natura principiorum corporum singillatim acceptorum.

Materia et forma, de qua hucusque sermo erat, est materia prima et forma substantialis. Circa earum naturam scholastici haec docent:

I. *Quoad materiam.* — 1. Materia prima est potentia pura, quia nullam habet ex iis determinationibus (actibus), quas in natura rerum videmus, sed est in potentia recipiendi omnes. «Materia», ait S. Doctor, «secundum id quod est, est ens in potentia»[1], «secundum se non habet aliquam formam»[2]. Sic autem negative eam Aristoteles recte definit: *id, quod neque est quid, neque quantum, neque quale, neque aliud eorum, quibus ens* **determinatur.**

2. Illa autem potentia pura non est mera possibilitas vel potentia obiectiva[3], sed est ens reale exsistens in rerum natura non ut accidens, sed ut *unum ex principiis substantiae corporeae.* Sub hoc vero respectu considerata positive definitur: *entitas realis, quae neque est accidens neque substantia completa, sed* **substantia incompleta,** *subiectum scilicet, ex quo res corporeae fiunt.*

3. *Exsistentiam* proinde huius *entitatis realis* quod attinet, materia prima *propria* exsistentia destitui dicenda est, cum *esse sit semper actus solius entis subsistentis.* Unde fit ut materia praecedere sine forma non possit. Etenim «magis repugnat materiae esse actu sine forma, quam accidenti sine subiecto»[4]. Hoc enim idem esset ac «*esse in actu sine actu*»[5]; quod repugnat, ita ut fieri ne a Deo

---

[1] S. theol. 1, q. 66, a. 1 ad 3. [2] Ib. in c.

[3] Cf. supra p. 274. [4] *S. Thom.*, S. theol. 1, q. 66, a. 1 ad 3.

[5] «Dicere igitur materiam praecedere sine forma est dicere: *ens in actu sine actu,* quod implicat contradictionem» (*S. Thom.* ib. in c).

quidem possit [1]. Quod facile concipies, si distinctionem admiseris realem inter essentiam et exsistentiam [2].

II. *Quoad formam.* — Sicut materiam primam scholastici potentiam vocant, ita formam rei *actum* esse docent. Qui quidem actus, iuxta hanc doctrinam, tria rei informatae confert:

1. Dat *speciem,* id est ex forma fit, ut tale corpus sit minerale e. g. potius quam planta vel animal.

2. Dat *esse substantiale,* quatenus efficit e. g., ut tale corpus, quod vi formae est minerale, in se subsistat realiter [3].

3. Dat *esse naturae* vel operationum, eo quod tali corpori, quod vi formae iam est planta in se subsistens, insuper tribuit, ut in suo esse sese conservet, crescat, generatim operetur.

Notandum tamen est notiones materiae et formae, etsi primo referuntur ad ultima corporum elementa constitutiva, maiorem tamen apud scholasticos habere extensionem. Materia enim in genere dicitur aliquid indeterminatum, quod sit in potentia recipiendi aliquam determinationem; forma vero est id omne, quod rem ad certum essendi modum determinat. Unde ipsum corpus complete iam constitutum, puta lignum, materiam vocant, quatenus est indeterminatum quid et in potentia recipiendi *formas* plures *accidentales,* puta, formam tabulae vel statuae. Immo hos materiae et formae terminos, qui proprie entitates illas corporales significant, non raro sensu metaphorico usurpant ad significandum, termino materiae,

---

[1] «Dicere ergo quod materia sit in actu sine forma, est dicere contradictoria esse simul; unde a Deo fieri non potest» (Quodl. 3, a. 1).

[2] Cf. supra p. 295.

[3] Cf. ea quae supra (p. 333 sq) de *subsistentia, essentia individua, exsistentia* diximus.

omne indeterminatum, circa quod vel ex quo aliquid fit; termino vero formae, id omne, quod ad certum essendi modum rem determinat. Sic usu evenit, ut in ipsis rebus spiritualibus, e. g. in sacramentis, distinguant materiam et formam.

Quibus declaratis, si ad materiam et formam sensu proprio attendimus, notionum illarum omnium haec fieri potest.

SYNTHESIS.

I. **Materia**: subiectum indeterminatum, sed aptum ad recipiendum certas determinationes.

A. *Materia prima:* entitas realis etc., ut supra.

B. *Materia secunda:* corpus vel compositum substantiale ex materia prima et forma, consideratum ut subiectum aptum ad recipiendum determinationem accidentalem, qua fit lectus e. g. vel statua.

II. **Forma**: id, quod rem ad certum essendi modum determinat.

A. *Extrinseca:* ea, quae est extra rem, quam determinat. Est:

1. *idealis:* rei similitudo in cognoscente (causa exemplaris);

2. *assistens:* quae tamquam causa efficiens subiectum movet forinsecus; talis est e. g. anulus cerae characterem imprimens.

B. *Intrinseca:* quae est intra rem, quam determinat. Est:

1. *accidentalis:* quae determinat rem in esse quodam secundario (forma rotunditatis);

2. *substantialis:* quae determinat rem in esse suo primario (essentia vel pars essentiae). Haec est:

a) *separata* (non informans): cui non convenit, ut uniatur intrinsece subiecto materiali (Deus);

b) *informans:* cui convenit, ut uniatur intrinsece materiae (forma lapidis vel animae omnes). Est:

α) *spiritualis:* quae esse et agere potest independenter a materia (anima humana);

β) *materialis:* quae nec esse nec agere potest sine materia (omnes aliae formae inferiores, sive mineralium sive vegetantium sive animalium).

Hoc tractatu de formis materialibus praesertim loquimur. De anima humana, prout est forma corporis humani, sermo erit in Anthropologia.

§ 2. De natura ipsius corporis complete constituti.

Ex iis, quae proximo articulo declarata sunt, haec cum certitudine colligi possunt circa naturam corporum:

I. *Omne corpus est aliquod compositum* ex duabus entitatibus substantialibus realiter distinctis, ex materia scilicet et forma.

II. Ex compositione illorum principiorum oritur *natura una,* quia ab ipsa forma materia habet, ut taliter vel taliter agat. Rem ita esse, ex finalitate intrinseca et constanti modo agendi corporum eiusdem speciei supra declaratum est.

III. *Natura illa una est substantia.* Vires enim illae omnes, quas in corporibus explicatas videmus, principium suum ultimum necessario substantiale esse supponunt, nisi in ordine sustentantium processum in infinitum admittere velimus.

IV. Invenitur ergo in omni corpore, propter unionem materiae et formae, unitas, quae in Ontologia (p. 301) dicta est *unitas compositionis substantialis:* «indivisio alicuius substantiae, quae constat pluribus partibus essentiae ipsius constitutivis».

V. Quibus omnibus declaratis, sequitur, ut recte definiatur **corpus: substantia composita ex materia et forma, naturaliter exigens localiter extendi trinaque potiri dimensione.**

Sectio II.

DE NATURA UNIVERSALITATIS CORPORUM VEL IPSIUS MUNDI.

Corpora, etsi ut substantiae exsistunt singula in se ipsis, tamen mutuis relationibus inter se colligantur et uniuntur. Unde fit, ut *universitatem rerum corporearum* considerare possimus ut ens quoddam unum, quod vocamus *mundum*. Sensu enim stricto vox mundi significat *aspectabilem hunc mundum*, cum sensu latiore hic terminus complexum creaturarum omnium designet, spiritualium una et corporearum. Loquimur hic de mundo corporeo.

Potest vero hic mundus dupliciter considerari: materialiter et formaliter. *Materialiter* spectatur, si ea contemplamur, *ex quibus* fit unum quid; *formaliter* autem, cum animum ad rationem intendimus, quae unitatem illam efficit. Consideratur iam mundus sub his duobus aspectibus.

Articulus I.

DE MUNDO MATERIALITER SPECTATO.

I. *Hunc mundum evidenter videmus esse compositum quoddam ex rebus compositis et mutabilibus.*

Corpora enim omnia vel ipsa corpuscula composita esse scimus partibus integrantibus vel saltem constitutivis.

Quae omnia diversis motibus perpetuo mutari, experientia item compertum est.

II. Unde *concludi potest mundum consideratum secundum materiam, i. e. secundum elementa ex quibus constituitur,* **certe esse finitum.** Etenim:

1. Finitum additum ad finitum non efficit nisi finitum. Partes autem corporum omnes, sive integrantes sive constitutivae, eo ipso, quod sunt *partes,* finitae sunt.

2. Quidquid *mutabile* est, eo ipso finitum est; est enim *in potentia* ad perfectionem acquirendam.

3. Mundus eo ipso, quod ex non interrupta serie coexsistentium corporum constituitur, est *extensio quaedam actualis;* sed nulla extensio actualis infinita esse potest (p. 418 sq).

Articulus II.

DE MUNDO FORMALITER CONSIDERATO.

Corpora huius mundi non solum finalitate illa *intrinseca* praedita sunt, de qua supra (p. 441) diximus, sed *extrinsecam etiam* finalitatem aperte manifestant. Cum enim in proprium finem tendunt, ad id directa sunt, ut alia aliorum finibus inserviant. Ex qua finalitate extrinseca oritur mirabilis illa corporum omnium unitas accidentalis, quam vocamus *unitatem ordinis naturae* vel *ordinem naturae.* Cuius ordinis exsistentia et proprietates iam sunt considerandae.

§ 1. De exsistentia ordinis naturae.

Ordo generatim definitur, ut sit: *apta dispositio mediorum ad finem.* Iam vero esse ordinem in mundo, res scilicet mundanas esse apte dispositas ad certos fines, *in multis* manifeste nobis apparet. Non contendimus quidem in omnibus hanc finalitatem esse perfecte a nobis perspectam, cum cognitionem huius mundi non modo non comprehensivam, sed ne adaequatam quidem habeamus [1]. Sed in iis, quae revera cognoscimus, ordinem eximium effulgere evidenter videmus. Etenim si complexum omnium naturarum contemplamur, sive quae in caelis, sive quae in terra, sive quae in mari sunt, videmus res mundanas finalitate illa extrinseca unum efficere ordinatissimum systema.

His enim in terris vires singulorum ita consociantur, ut quodlibet ens, dum in proprium tendit finem, aliorum,

---

[1] De cognitione adaequata et comprehensiva vide supra p. 28 sq.

praesertim superiorum, finibus inserviat. Sic e. g. anniversariae temporum vicissitudines inserviunt fecunditati terrae; terrae fecunditas plantarum vegetationi; plantae, dum suum finem obtinent, inserviunt animalibus; animalia vero bruta sese perficiendo inserviunt homini.

Terra autem nostra, systema nostrum solare, omnes orbes cosmici «in spatio ita collocati sunt, ut, cum singuli oboediunt legi communi gravitatis et secundum hanc legem alii alios attrahunt, omnes simul sumpti se habeant per modum machinae amplitudinis stupendae, quae de saeculo in saeculum secundum omnes partes suas modis maxime variis ordinatissime moveatur»[1].

Neque valent quae ab adversariis contra exsistentiam huius ordinis obiciuntur. Quaecumque enim moliuntur, vel nihil probant vel illud tantum, nos scilicet in multis finalitatem non habere satis perspectam, *numquam vero probant non esse finalitatem in mundo*. Sit exempli gratia argumentum illud a Fred. Alb. Lange excogitatum et a Materialistis tamquam oraculum sapientissimum laudatum: «Si quis», inquit[2], «ut leporem feriat, in magno campo milliones sclopetorum ad omnes partes exploderet, nemo id prudenter agi putaret et multo minus eminentem quandam sapientiam ex eiusmodi facto suspiceremus. Atqui scientia naturalis moderna patefecit sic praecise naturam procedere. Ad species conservandas gemmae, germina, ova, semina innumera gignuntur, ut omnia pereant exceptis paucissimis, quibus casus favet . . . Ergo natura, si ad sapientiam examinatur, mediis utitur infimis et ineptissimis.»[3]

Et haec quidem est praeclara illa argumentatio, qua Materialistae, teleologiam optima quae excogitari possit

---

[1] *Boedder*, Theol. nat.³ 57. — Cf. etiam supra p. 346 349 376 sqq; *Nys*, Cosmologie² 491 sqq.

[2] Geschichte des Materialismus II² 246.

[3] Ita apud *Hontheim*, Institutiones theodicaeae 181.

ratione profligatam esse censent. Sed nemo est, qui non videat, quam futile haec sentiant.

Imprimis enim notandum est Lange in affirmanda sua sententia gravissimis quidem verbis uti, sicut «es ist nun aber gar nicht mehr zu bezweifeln» . . . «die Tatsachen sprechen so deutlich», aliis similibus; sed nulla quae nos movere possint afferre argumenta. Teleologiam enim naturae ex innumeris et miris factis tam certo probatam habemus, ut illa, quae Lange nobis obicit, evidentiam nostram destruere non possint, nisi gravibus argumentis probet, quod affirmat; nostram scilicet sententiam experientiae contradicere et factis.

Iam vero naturam prodigam esse in germinibus nec Lange primus nos docuit nec scientia eius moderna. Haec nova non sunt nec a nobis negantur. Hoc unum ab ipso nobis est ostendendum: factum illud ab omnibus admissum probare certo non esse teleologiam in natura. Neque tamen illud probat, sed affirmat, errorem suum analogiis ineptissimis colorans.

Certo enim, si quis, ut unum feriat leporem, milliones sclopetorum exploderet, stulte ageret, quia, ut vile acquirat animal, tantam profunderet pulveris et glandium copiam, quae tanti constaret, et quia uno vel duobus sclopetis, accurate dirigendo, facilius feram venaretur quam tot sclopetis temere ac fortuito utendo. Sed ostendendum erat in magna illa naturae fecunditate esse parem stultitiam, largam scilicet illam germinum profusionem fieri sine ratione sufficienti. Hoc autem Lange non ostendit, sed gratis affirmat, gratis supponendo naturam tam larga semina fundere unice ut species conserventur, cum evidens sit ipsam illam prodigalitatem naturae esse summe teleologicam. Nemo enim est, qui non videat, quantum illimitata illa fecunditas ad summam naturae varietatem et pulchritudinem faciat. Quam pulchrae sunt e. g. verno tempore arbores nostrae floribus innumeris consitae!

«Quin ad utilitatem mundi organici sunt» germina illa, quae pereunt, «cum ex aliorum morte et corruptione alia vivant, velut bruta ex plantis et saepe etiam ex aliis brutis vel eorum ovis; innumerabilium etiam organismorum corruptio humum generat, sine qua uberior vita esse non potest. — Lange nimirum mundum melius construxisset. Summa avaritia semina et germina custodisset. Unum ovum vel duo gallina per totam vitam peperisset. Singulari cura haec ova fovisset et custodisset, ne iniquitas mundi materialis vitam conceptam praematura morte abriperet. Plantas omnes in viridariis ad id constructis reposuisset et tamquam bonus hortulanus aqua rigasset et curam adhibuisset. Unum pomum cum uno nucleo malus, unam rosam frutex in omni vita tulisset. Omne animal a viridariis exsulasset, ne gemmam interficeret. Animalia in carceribus securis retinuisset et aqua, aëre, luto pavisset.» [1]

§ 2. De proprietatibus ordinis mundani.

Ordinem mundi his potissimum proprietatibus insignitum esse videmus:

I. Est *complicatissimus.* «Nempe ad eum constituendum suo loco et suo modo concurrunt innumerae res eaeque genere, specie, individualitate diversissimae et numerosissimae. Hae vero res innumerae constituunt singulae iterum ordinem complicatissimum; cogita e. g. de complicatione unius organismi.»

II. Etsi vero complicatissimus, tamen *constantissimus* est. «Tanto enim saeculorum cursu iam perseverat in summa rerum omnium volubilitate et caducitate. Iam cum ordo vel pro uno instanti complicatissimus sit, quot vires, quot actiones conspirantes tanto tempore factae sunt? Et hae vires omnes, quamvis sub diversissimis agerent

[1] *Hontheim,* Inst. theod. 183 sq.

locorum et dispositionum adiunctis, ab ordine non deviaverunt. Semper etiam cohibitae sunt vires destructivae, ne omnia ad chaos reverterentur.»

III. Denique ordo ille est *sublimissimus.* «Nempe scientiae plurimae et hominum doctissimorum ingenia omnem operam in eo intellegendo ponunt. Mirabilia sunt quae invenerunt et tradunt. Tamen quo scientia magis proficit, eo magis intellegimus longe plura ignorari: immo ea, quae scimus, quamvis sint stupenda, nihil esse in comparatione eorum, quae nos latent.» [1]

IV. Etsi autem perfectissimus est ordo ille, infinita tamen perfectio ipsi tribuenda non est. Ordo enim ille initium habuit, e potentia ad actum sese evolvit, immo, secundum scientiarum certissima placita, ex hoc statu tandem aliquando est defecturus. Sed haec omnia clare ostendunt hunc mundi ordinem esse finitum [2]. *Mundus proinde formaliter consideratus est finitus.*

Scholia. I. Mundum supra (p. 444) declaravimus nonnumquam vocari naturam. Sicut enim singulae substantiae, ita etiam universitas earum collective sumpta potest considerari, non solum in suo *esse* (sic enim considerata dicitur mundus), sed etiam in suo *operari.* Operari vero illud, propter extrinsecam unius rei ad aliam finalitatem, quandam unitatem in principio manifestat. Unde efficitur, ut mens totum substantiarum illarum complexum consideret ut principium quoddam ultimum *internum* omnium operationum; et principium illud vocamus **naturam.**

Manifestum vero est operari illud omnium substantiarum collective sumptarum eadem fieri uniformitate et constantia atque operari singularum substantiarum. Neque

---

[1] *Hontheim,* Inst. theod. 172.

[2] Mundum esse optimum, idque relative, non absolute, ostendemus in Theologia naturali.

mirum, cum singularum substantiarum finalitas intrinseca pro sua quaeque parte rationem contineat intrinsecam totius huius finalitatis extrinsecae. Quae cum ita sint, de legibus mundi vel naturae universae idem dicendum est, quod supra (p. 444 sqq) de legibus singularum naturarum declaravimus.

Ex finalitate illa sive intrinseca sive extrinseca et legum constantia atque uniformitate oritur **ordo naturae,** qui definitur: *apta dispositio rerum mundanarum ad assequendum finem, sive cuique specialem, sive omnibus communem — consecutio vero effectuum secundum ordinem naturae* dicitur **cursus naturae.**

Finalitatem autem illam in mundo exsistentem requirere principium quoddam *ultimum extrinsecum,* quod sit ens a se exsistens sive Deus, proximo quod sequitur capite ostendemus.

II. Ex his omnibus declaratis intellegi potest, quid sit naturale, supernaturale, praeternaturale [1].

1. *Naturale* dicitur id omne, quod est secundum exigentiam vel vires vel entitatem seu perfectionem alicuius naturae individualis vel omnium naturarum creatarum vel creabilium. Dicitur:

a) *secundum exigentiam,* i. e. naturale dicitur id omne, quo res aliqua indiget, ut constituatur in suo esse, et ut consequi possit finem, quem eius natura postulat, ne manca vel imperfecta maneat. Sic naturale nobis est habere corpus. Sic etiam concursus, quem Deus nobis praebet, ut de potentia cognoscendi ad actum transeamus, dicitur aliquid nobis naturale, quia est secundum exigentiam nostrae naturae.

b) *secundum vires,* i. e. naturale est quidquid ens propriis viribus efficere potest. Sic ratiocinari, cognoscere Deum discursive est homini naturale.

---

[1] Cf. *Egger,* Enchir. theol. dogmaticae specialis 171.

c) *secundum entitatem* vel perfectionem, i. e. ut naturale aliquid dici possit, requiritur et sufficit, ut in ipsa entitate sua consideratum sit perfectio quaedam naturae *creatae* vel *creabilis*. Sic immortalitas, eximia scientia, alia eiusmodi, etsi e. g. exigentiam vel vires hominis transcendunt, recte tamen in se ipsis consideratae sunt aliquid naturale, quia sunt perfectiones alicuius naturae creatae vel saltem creabilis, e. g. angelorum.

2. *Supernaturale* duplici sensu intellegi potest. Distinguitur enim supernaturale simpliciter tale vel supernaturale absolutum, et supernaturale relativum, quod communiter dicitur praeternaturale.

Est autem *supernaturale absolutum* id, quod est praeter exigentiam, vires, entitatem vel perfectionem omnium naturarum creatarum vel creabilium. Supernaturale proinde absolutum vel in sensu stricto acceptum:

a) ita excedit naturam creatam vel creabilem, ut nulla sit ex illis rebus, quibus aliqua res indiget, ut complete constituatur in suo esse vel ut assequi possit finem, quem eius natura postulat; neque ulla sit ad ipsum in natura potentia receptiva, nisi oboedientialis [1]. Sic adoptio in filium Dei, sic etiam concursus, quem Deus creaturae praebet, ut in filium Dei adoptari possit, sunt aliquid supernaturale.

b) ita excedit facultatem naturae, ut respectu eius nulla sit nec esse possit in creaturis potentia operativa. Sic resurrectio mortuorum, restitutio oculi amissi est aliquid supernaturale.

c) tertio denique ita excedit entitatem vel perfectionem naturae creatae vel creabilis, ut in entitate sua consideratum nihil aliud sit nisi quaedam *participatio divinae naturae* [2].

---

[1] Cf. supra p. 275.

[2] *S. Thom.*, S. theol. 1, 2, q. 112, a. 1.

Proinde, quod dicitur stricte supernaturale, sive consideratur in ordine operationis, sive consideratur in ordine ipsius esse, id *quoad entitatem* suam tale semper est, ut sit participatio quaedam naturae divinae. Sic gratia sanctificante theologi docent animam fieri divinae consortem naturae [1].

3. *Praeternaturale* vel supernaturale relativum (supernaturale secundum quid) dicitur id omne, quod est praeter vires vel exigentiam vel perfectionem certi generis creaturae, non autem *omnium* naturarum creatarum *vel creabilium,* quia subiectum ad Trinitatis consortium non elevat. Sic quod homo subito acquirit eximiam scientiam philosophicam, est aliquid praeternaturale. Praeternaturale proinde *absolute* spectatum est aliquid naturale.

Caput II.

DE ORIGINE MUNDI.

Articulus I.

DE ORTU SIVE DE CREATIONE MUNDI.

§ 1. De facto creationis.

Quaeritur, utrum mundus creatus sit necne.

Dubia. — Videtur mundus non esse creatus.

1. Creatio enim est productio totius substantiae ex nihilo. Sed «*ex nihilo nihil fit*»: est axioma ab omnibus

---

[1] Ex his intelleges, cur theologi supernaturale dividant in supernaturale quoad *modum* et in supernaturale quoad *substantiam.* Fieri enim potest, ut entitas illa supernaturalis non sit in substantia *vel esse* rei quae supernaturalis dicitur, sed in eius principio vel in modo quo producitur, «sicut patet in illuminatione caeci, quia visus naturalis est, sed illuminationis principium est supra naturam» (*S. Thom.*, S. theol. suppl. q. 75, a. 3 c).

indubitanter acceptum et evidenti experientia universali firmatum. Ergo creatio est impossibilis.

2. Praeterea «nihil prohibet inveniri rem sine eo, quod non est de ratione rei; sicut hominem sine albedine. Sed habitudo causati ad causam non videtur esse de ratione entium, quia sine hoc possunt aliqua entia intellegi. Ergo sine hoc possunt esse. Ergo nihil prohibet esse aliqua entia non creata a Deo» [1].

3. Tertio denique mundus videtur certo non habere ortum ab auctore sapientissimo. Tot enim tantisque defectibus deformatus est, qui certo non essent, si creatus esset mundus ab ente infinito, infinita intellegentia et voluntate praedito. — Sed contra est illa a tota Schola propugnata

Thesis: *Mundus creatus est ab ente quodam a se exsistente et proinde infinito, quod vocamus Deum.*

Status quaestionis: Quid sit creatio et quomodo distinguatur a generatione, recolendum est ex iis, quae supra dicta sunt (p. 457 sq).

Contendimus proinde mundum transiisse de *non esse* ad *esse,* idque ita, ut non solum ex nihilo suae formae (sui), sed etiam ex nihilo cuiuscumque materiae educta sit tota eius substantia (ex nihilo subiecti).

Non autem dicimus mundum ex nihilo causae efficientis prodiisse, immo contendimus ipsum ex nihilo sui et subiecti eductum esse ab ente quodam a se exsistente, quod vocamus Deum.

Thesis nostra hoc sensu intellecta de fide est. Scriptura enim Sacra explicite affirmatur. «In principio creavit Deus caelum et terram» (Gn 1, 1). «In ipso condita sunt omnia . . . omnia (τὰ πάντα) per ipsum et in ipso

---

[1] *S. Thom.,* S. theol. 1, q. 44, a. 1.

creata sunt» (Col 1, 16). «Qui omnia creavit, Deus est» (Hebr 3, 4).

Idem apertis verbis declaratur in diversis symbolis: «Credo in Deum . . . creatorem caeli et terrae», et in Conciliis, Later. IV (c. 1 Firmiter) et praesertim Vatic.: «Si quis non confiteatur mundum resque omnes, quae in eo continentur, et spirituales et materiales, secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas . . ., A. S.» (Conc. Vatic., De Deo rerum omnium creatore can. 5).

Neque tamen haec est omnium philosophorum sententia, siquidem multae ad ortum mundi explicandum excogitatae sunt hypotheses. Quae omnes, ut Idealistarum omittamus evolutionem logicam [1], ad tres generatim reduci possunt. Sunt autem:

1. Systema *Pantheistarum* realium, qui mundum ortum esse negant, istumque dicunt esse ens a se et infinitum sive Deum sese evolventem.

2. Hypothesis *Materialistarum*, qui omnes in eo conveniunt, quod praeter materiam nihil esse dicunt: mundum proinde ab ente a materia distincto ortum ducere omnino negant. In explicanda vero mundi origine mira varietate discriminantur.

Sunt enim, qui *Epicurii* vestigiis inhaerentes mundum doceant ortum esse *sine causa* (sive efficienti sive finali), sed *casu* ex materia efformatum esse. Atomos admittunt infinitas numero, quae perpetuo agitantur et miscentur. Procedente vero tempore, aiunt, ex innumeris combinationibus possibilibus necessario ortus est praesens ordo, quem atomi iam multis saeculis servant.

---

[1] Non est cur in sententia Idealistarum tempus hic teramus. Eorum enim principia perabsurda esse iam ex iis scimus, quae in Criteriologia (p. 166 sqq) declaravimus. De pantheismo vero ideali uberius dicemus in Theologia naturali.

Alii, recentiores scilicet Materialistae, Strauß, Feuerbach, Büchner, I. Moleschott, E. Haeckel, H. Czolbe, causam quidem mundi esse dicunt, sed hanc in ipsa mundi materia reponunt [1], ita ut mundi efformationem explicent: alii per *seriem quandam infinitam causarum* [2], alii per *evolutionem materiae aeternae aeternis viribus praeditae.* Iuxta ipsos materia non est facta, sed ex se ipsa ad operandum est determinata ab aeterno, ita ut necessitate, cui nihil resistere possit, sese evolvat serie motuum et transformationum infinita. Quas quidem transformationes alii secundum placita *darwinismi,* alii per *animationem quandam materiae* explicant, alii alia fabulando.

«Cuius systematis fautores non pauci, sed in primis E. Haeckel, copiosa gaudent vocum ac vocabulorum fertilitate, quae mira dexteritate inter se confundentes atque permiscentes doctrinae absurditatem tegere et quasi velis obtendere student. Ita motum mechanicum ‚vitam‘ dicunt, pulsus mechanicos appellant ‚perceptiones‘, cuilibet atomo et moleculae et ‚plastidulae‘ animum infundunt.» [3]

3. Systema *scholasticum,* iuxta sensum thesis nostrae supra declaratum. Quam quidem sententiam interim ut hypothesim assumimus, eo consilio, ut, comparatione cum aliis hypothesibus instituta, perspicere possimus, quaenam ex illis hypothesibus sit vere legitima.

---

[1] Cum materiam doceant esse principium omnis esse («Materie ist der Urgrund alles Seins»), atque rerum naturae peritos nihil nisi corpora eorumque qualitates cognoscere contendant («Der Naturkundige kennt nur Körper und Eigenschaften von Körpern; was darüber ist, nennt er transzendent, und die Transzendenz betrachtet er als eine Verirrung des menschlichen Geistes.» *L. Büchner,* Kraft und Stoff 247).

[2] Cf. *D. F. Strauß,* Der alte und der neue Glaube 111.

[3] *Pesch,* Inst. philos. nat. II² 194

Thesis probatio. Ad iudicandum, quaenam ex iis quae supra memoratae sunt hypothesibus viro scientifico digna sit, recolenda sunt ea, quae in disciplinis logicis circa leges hypotheseos dicta sunt. Ut enim hypothesis quaedam poni possit, requiritur, ut aliquam saltem habeat probabilitatem, ad minus nihil includat repugnantiae, neque in conceptibus, neque cum certis experientiae factis, et ut omnia phaenomena, ad quae explicanda adhibetur, commode explicet [1].

I. *Aestimatur hypothesis pantheistica.* — Systema Pantheistarum aperte repugnat.

A. Contradicit enim experientiae, siquidem interna simul et externa experientia clare videmus res mundanas non esse unicam substantiam, sed multa in mundo inveniri, quae singula in se subsistant, immo sint sui iuris. Speciatim vero hoc clare ostendit testimonium conscientiae circa actionum nostrarum liberarum imputabilitatem.

B. Contradicit rationi. Ens *a se,* quod sit *sese evolvens,* est absurditas; sunt enim hae duae ideae repugnantes [2]. Nam ens a se actu habet quidquid est de eius essentia; proinde omnem potentialitatem vel evolutionem excludit [3].

---

[1] Cf. supra p. 115. [2] Cf. supra p. 34.

[3] «L'Univers, dit-on, est une individualité unique, absolue, qui porte dans son sein toutes les conditions de sa réalité. On ajoute qu'il est perfectible, passe par des états différents, évolue à la manière d'un germe qui se développe. On nous le montre s'élevant peu à peu de l'état chaotique à l'état d'organisation, de l'état d'inconscience ou de conscience élémentaire à l'état de pleine conscience. Or, c'est précisément en cela que gît la contradiction. Car si l'Absolu porte depuis toujours en lui toutes les conditions de son état supérieur, il est absurde de le supposer un seul instant dans un autre état. Conçoit-on un être qui commence par se poser comme imparfait, alors qu'il dépend de lui, et de lui seul, de posséder, depuis toujours, la perfection que réclame sa nature? La contradiction serait au fond de cet être. Tel serait

Neque contradictio tollitur eo quod affirmant evolutionem illam fieri in *modalitatibus* essentiae, quae eadem permaneat, supervenientibus. Nam modalitates illae non solum sunt supervenientes, sed ipsam essentiam mutant vel evolvunt, cum in statum perfectiorem ipsam constituant *in se ipsa;* puta de nebulosa quae ex statu informi nebulosae ad statum transiit superiorem, in quo vita vegetativa apparuit[1].

---

précisément l'Univers dans l'hypothèse de l'évolutionisme panthéistique. . . . Que si les conditions du cosmos n'ont pas été données depuis toujours dans l'essence de l'Univers, l'Univers ne les trouvant pas au dedans de lui, a dû les chercher au dehors. Il dépend donc d'un milieu, c'est-à-dire qu'il ne jouit point de la suprême Autonomie qui est le propre de l'Absolu» (*J. Halleux* in libello periodico «Revue néo-scolastique» 1907: «Les preuves de l'existence de Dieu», p. 306 sq).

[1] «Objecterez-vous que les changements n'affectent ici que les modalités de la substance, ses phénomènes, tandis que son essence demeure immuable? Mais ces modalités affectant tour à tour la substance, la constituent dans un état plus ou moins parfait. Et, pour parler un langage plus concret, n'est-il pas évident, par exemple, qu'une matière à l'état de nébuleuse informe est quelque chose de moins parfait en soi qu'une matière organisée et vivante? Admettons que l'essence soit identique de part et d'autre, on ne peut nier cependant que le second mode l'emporte sur le premier, puisqu'il suppose un déploiement d'activité plus complexe et d'un ordre plus élevé. Si donc la substance dont il s'agit a depuis toujours en elle les conditions de l'organisation de la vie, pourquoi aurait-elle passé tout d'abord par un état chaotique? Pourquoi ne serait-elle pas, depuis toujours et partout, organisée et vivante? Vous lui supposez une tendance essentielle vers un certain état qui comporte le déploiement de toutes ses énergies; cependant, aucun obstacle extérieur ne peut s'opposer à la réalisation de cet état, puisqu'il s'agit, en l'espèce, d'une substance absolue, dans laquelle est contenue toute réalité. Mais alors encore une fois, pourquoi votre Absolu n'est-il pas en acte depuis

II. *Aestimatur hypothesis materialistica.* — Sententia Materialistarum his, inter alia, vitiis laborat:

A. Hypothesis *casus fortuiti* perperam omnino est instituta.

1. *Nullam habet probabilitatem.* Nulla enim est probabilitas, cur, inter infinitas combinationes atomorum possibiles, oriatur haec combinatio tam eximia et ordinatio tam complexa, prae aliis infinito minus complicatis.

2. *Apertam involvit repugnantiam:* a) in conceptibus, quia ponit effectum sine causa; b) cum certis experientiae factis. Dicant enim velimus fautores huius sententiae, cur eorum hypothesis pro sola ordinatione mundi admitti debeat, omnibus vero aliis experimentis contradicat, et cur non sit aliquando effectum horologium vel regale palatium ex fortuito atomorum concursu vel, ut ait Cicero, quare poemata Homeri non fiant similiter ex concursu fortuito atomorum et caracterum.

3. Praeterea *illa hypothesis nihil explicat:* a) non explicat ortum atomorum; b) non explicat rationem sufficientem earum ordinationis, immo pro causa ordinis sumit aliquid, quod ex natura sua facilius ordinis destructionem

---

toujours et sous tous rapports? Pourquoi cette vie consciente, primitivement à l'état latent, et dont l'élaboration ne s'est effectuée qu'avec une extrême lenteur? Il y avait donc un obstacle à la perfection de l'Absolu, à la complète actuation de ses facultés? Et puisque cet obstacle ne pouvait être extérieur, il venait donc de l'essence même de l'Absolu? Voici donc un être qui tend essentiellement vers un certain état et, cependant, s'oppose essentiellement à la réalisation de ce même état! Mais alors, il y a conflit de forces au sein de l'Absolu, et votre prétendu Monisme n'est qu'un dualisme déguisé, quelque chose qui rappelle la lutte du principe bon et du principe mauvais dans le Manichéisme antique. C'est la contradiction qui s'introduit dans le sein même de l'Être» (*Halleux* l. c. 307 sq). De pantheismo uberius sermo erit in Theologia naturali.

explicaret. c) «Etsi dare adversariis vellemus atomos, servatis debitis condicionibus, in compositiones ordinatissimas casu concurrere atque ita hunc ordinem casu potuisse efficere, nullo tamen modo declararetur, quo pacto ordo ille casu ortus stabilis atque imperturbatus perduraret.» [1]

B. Hypothesis *seriei causarum infinitae* reicienda est,

1. quia, nisi *extra illam seriem licet infinitam* ponatur ens, quod sit causa non effecta, revera nullus erit effectus. Unumquodque enim ens in illa serie non est causa alius, nisi quatenus ipsum iam est productum ab alio; proinde in se ipso non habet rationem sufficientem neque proprii esse neque actionis, qua aliud producit. Sumantur deinde duo vel tria vel centum vel mille vel infinita talia entia sibi succedentia: non magis illam rationem sufficientem in se habebunt. *Multiplicatio* enim entium ab alio productorum *non mutat eorum essentiam*, immo auget difficultatem [2].

Sit e. g. catena incognitae longitudinis et proinde incognita serie anulorum constituta de caelo pendens fixa: ultimus anulus, etsi inferius tendit, non cadit in terram, quia sustinetur a paenultimo; paenultimus vero ipse sustinetur ab antepaenultimo, et sic deinceps. Manifesto autem apparet rationem sufficientem, propter quam ultimus

---

[1] *Pesch,* Inst. philos. nat. II² 193.

[2] «Rien ne servirait pour échapper à cette conclusion, de se réfugier dans l'hypothèse d'une série sans terme initial. . . . Chaque terme de la série étant produit, aucun ne sera raison suffisante du suivant. Remontez sans cesse dans le passé, ajoutez les événements aux événements, vous aurez multiplié les raisons insuffisantes sans placer nulle part la raison suffisante. La nécessité où se trouve l'esprit de remonter toujours plus haut, de concevoir chacun des termes de la série comme dépendant d'un terme antérieur, montre précisément l'insuffisance radicale de chacune des causes tour à tour invoquées» (*Halleux* in libello periodico «Revue néo-scolastique» 1907, 151 sq).

anulus sustinetur, non esse in ipso illo anulo, sed in paenultimo. Revera tamen paenultimus ille anulus hanc rationem sufficientem non habet a se, sed ab antepaenultimo; idem vero de hoc antepaenultimo dici debet et de omnibus aliis anulis, quos perspicimus: nullus se ipse sustinere potest. Si quis autem quaerenti, quanam ratione fiat, ut nihilominus tota catena suspensa maneat, responderet hoc fieri ex additione infinita anulorum: nonne stulta satis inepte diceret? Additio enim novorum anulorum, nedum afferat vim sustinendi, auget difficultatem: quo maiores enim erunt numero anuli, eo ponderosius catena inferius tendet. Nonne contra, etsi finem huius catenae sensibus non perspicimus, tamen *recta ratione* instructi clare videmus, sine errandi formidine, admittendum esse *extra seriem illam anulorum* ens quoddam fixum, a quo primus anulus sustineatur et quo mediante alii omnes suspensi teneantur? [1]

Proinde ponere seriem infinitam causarum, quae ipsae sint effectae, quin extra illam seriem sit ens causans, non causatum, idem est ac ponere effectum sine causa. Quae suppositio evidenter repugnat. Ergo admittendum est in serie causarum ultimo deveniendum esse ad primam causam, eamque improductam [2].

2. Huiusmodi series infinita causarum admitti nequit, quia *series causarum actu infinita repugnat:* a) propter rationes, quibus numerum actu infinitum in genere repugnare ostendimus supra p. 420 sq; b) propter absurda, quae sequerentur in specie ex hypothesi talium causarum numero actu infinitarum. Sit unicum exemplum. In illa serie habemus numerum infinitum causarum, quia non

---

[1] Cf. *Hontheim,* Inst. theod. 111—114. Cf. etiam *Pesch* l. c. II[2] 196; *Lehmen-Beck,* Lehrbuch der Philosophie III[3] 37 sqq.

[2] Unde vides falsam esse sententiam *Schell,* qua Deus sit «causa *sui*»; sed de hac re uberius dicetur in Theologia naturali.

admittitur prima causa, et numerum infinitum effectuum, quia singulae causae producuntur. Sed tamen numerus effectuum uno superat numerum causarum, quia ultimum ens in illa serie est effectus, sed non causa. Haberemus proinde in illa hypothesi *duos numeros actu infinitos, quorum alter alterum* **una unitate superaret.**

Ergo hypothesis seriei causarum infinitae reicienda est ut absurda.

C. Hypothesis *evolutionis materiae aeternae aeternis viribus praeditae* non est hypothesis recta ratione probanda.

1. *In multis repugnantiam involvit.*

a) Repugnat materia aeterna improducta. Materia enim talis est, qualis clare et aperte percepta obicitur animo, alioquin lumen mentis ad deceptionem esset, non ad illuminationem. Atqui materia clare et aperte percepta obicitur animo tamquam indifferens secundum se ad exsistendum vel non exsistendum; clare enim obicitur animo ut ens finitum, mutabile, quod non potest esse a se neque est necessarium.

Et re quidem vera, prima materiae elementa, vel atomos, scimus in ipso esse suo dependere a condicionibus externis atque mutabilibus. Etenim ut talem vel talem habeant in corpore, quod efformant, positionem, non ab ipsis pendet sed a condicionibus ipsis externis. Sic et materia ipsa ex se ipsa nullam habet determinatam formam, sed plures induere potest formas, ita tamen ut in hac formali exsistentia pendeat non ab essentia sua sed a condicionibus transeuntibus atque contingentibus. Sed ens quod in exsistentia sua pendet a condicionibus externis atque transeuntibus non habet in se ipso principium suae realitatis, non est ens a se vel improductum. Ergo repugnat materia aeterna improducta [1].

---

[1] «Un être, dont l'existence dépend de conditions extérieures et transitoires, n'a point en lui le principe de sa réalité. L'exi-

b) Repugnant vires aeternae in materia. Vires enim illae aut ponuntur secundum potentiam aut secundum actum in materia. Si ponuntur secundum potentiam, repugnat eorum transitus ad actum sine influxu entis distincti a materia; si ponuntur vero secundum actum, qui ex ipsa hypothesi erit determinatus, tunc repugnat quies materiae et motuum varietas.

2. *In multis aliis fautores huius sententiae affirmant sine ulla probabilitate, immo certis experientiae factis contradicunt.* Talia sunt:

a) ea, quae dicunt circa *aeternitatem processus mundani*, quem revera finitum esse scientiis physicis et astronomicis probatum est;

b) ea, quae dicunt circa *modum*, quo evolutio et transformatio fiat. Nam:

---

stence par soi est nécessaire et inconditionnée. Tel n'est pas le cas pour la matière. Considérons chacune de ces unités élémentaires, ou, d'une manière plus précise, les atomes. La réalité d'un atome ne se conçoit que sous deux formes: il est isolé ou combiné avec d'autres. Or il ne dépend pas de l'atome de se trouver dans l'un ou l'autre de ces états. Aucun d'eux n'est nécessaire, aucun d'eux ne tient à l'essence de l'atome, aucun ne trouve dans cette essence toute sa raison déterminante. La réalité de l'atome se confond donc toujours avec un état transitoire et conditionné. Donc, à aucun moment, l'atome ne présente le mode d'existence nécessaire et indépendant qui caractérise l'être par soi. Et ce que nous disons de chacun des éléments, qui composent la matière, doit être également vrai de la matière elle-même. Susceptible des modes d'existence les plus divers, elle n'en possède aucun essentiellement. Elle ne se conçoit pas dans la réalité sans l'une ou l'autre manière d'être déterminée; et cependant, cette manière d'être est toujours contingente. . . . En d'autres termes: puisque toutes les déterminations qui constituent la réalisation de la matière sont contingentes, la matière n'a donc qu'une existence contingente» (*Halleux* in libello periodico «Revue néo-scolastique» 1907, 164).

α) Generationem aequivocam vel spontaneam defendere praesens scientiae status non amplius permittit (Pasteur).

β) Sententia Darwinii circa evolutionem specierum contradicit ipsarum illarum specierum constantiae, quae omnibus temporibus, saltem historicis, valuit; neque cum factis palaeontologicis, nostris praesertim temporibus observatis, componi potest [1].

3. *Multa denique et illa quidem gravissima facta viribus materiae explicare non possunt Materialistae, vel non nisi ineptissime explicant.* Talia sunt praesertim:

a) formatio idearum et in genere omnis cogitatio intellectualis [2];

---

[1] Cf. de hac re *I. B. Pelt,* Histoire de l'Ancien Testament I [6] 25 sq 54 et 56. — De generatione aequivoca et de darwinismo uberius dicemus in Anthropologia; qui iam plura de hoc systemate desiderat legere, adeat *Hontheim,* Inst. theod. 402—438.

[2] Sic Vogt (Tierstaaten 25) intellegentiam victu ali contendit ita, ut diversae ideae diversis alimentis efformentur atque cibus materialis revera pabulum sit ingenii, quo viri rerum civilium periti, theologi, optimates, seditiosi, socialistae, alii, arbitrio eius qui idonea alimenta praebet, excolantur atque expoliantur («Man wird gewiß dereinst dazu kommen, für besondere Gedankenreihen auch besondere Nahrungsreihen zu finden, welche einander wechselseitig bedingen. Ich glaube, man würde durch zweckmäßige Anordnung der Nahrung Staatsmänner, Bureaukraten, Theologen, Revolutionäre, Aristokraten, Sozialisten usw. nach Belieben bilden können, und der unendliche Scharfsinn, der jetzt auf Konstitutionen, Gesetze, Verordnungen usw. verwandt wird, würde sich dann auf Erfindung gewisser Brühen, Breie und Fleischarten richten, die jedenfalls dem menschlichen Geschlechte besser munden und doch dieselben Resultate haben würden»). — In eundem sensum scripsit Reich (Die Nahrungs- und Genußmittelkunde [1860] 306), qui diversorum populorum indolem animi ingeniique diversis quibus communiter utuntur alimentis efformari docuit («Die Nahrungsmittel und die Arten des Gebrauches drücken jedem Volke den ihm eigentümlichen

b) libertas hominis et eius indoles. — Quo factum est, ut, non obstante clarissima evidentia, realitatem obiectivam idearum et ipsam exsistentiam liberi arbitrii negantes logice destruant omnem vitam moralem, omnem religionem, omnem scientiam, omnes artes. Sed omne systema, quod logice ad conclusiones absurdas ducit, falsum est, quia unum vel alterum ex principiis quibus utitur vel omnia falsa sunt [1].

Ergo hypothesis materialistica reicienda est.

III. *Aestimatur sententia scholastica.* — Nostra sententia, si consideratur tamquam hypothesis,

A. *nulli experientiae facto contradicit, immo ad ordinem mundi explicandum optima innititur analogia,* desumpta ex ipsis factis in natura observatis. Experientia enim universa constat sine consilio vel intentione ordinem complicatum numquam institui, sed semper causari ab intellectu quodam, qui eo perfectior est, quo perfectior est ordinatio, cuius est causa efficiens. Concedimus quidem in operibus minime exquisitis ordinem aliquem nonnumquam deprehendi, quem ipsae res constituunt eo ipso quod a causa aliqua, etiam ratione carente, moventur, quin causa intellegens *proxime* ordinem illum intendat, ut e. g. fieret, si quis litteras inordinatim proiciens ex

---

Stempel auf: der Tee, verbunden mit der fast ausschließlichen Fleischkost, macht den Engländer zum kräftigen, berechnenden, praktischen, Projekte mit Fertigkeit durchführenden Menschen, erzeugt aber auch, wie nicht zu leugnen, in Verbindung mit den klimatischen und geographischen Verhältnissen, jene strenge Orthodoxie, die uns an den Briten mißfällt; der Kaffee läßt den Deutschen als tiefen Denker und scharfsinnigen Systematiker auftreten und würde sehr viele auch in politisch-sozialer Hinsicht vortreffliche Ideen entwickeln helfen, wenn dessen Wirkung nicht durch das Bier, die Kartoffeln und Hülsenfrüchte eine ungemein bedeutende Beeinträchtigung erführe»). Cf. *Hontheim* l. c. 454, not. 1).

[1] Cf. supra p. 91.

earum deinde «fortuita» combinatione nomina quaedam constituta inveniret. Sed omnium experientia constat nullum opus exquisite elaboratum, v. g. domum regiam, horologium, elegantem statuam, umquam fuisse casu quodam productum, sed semper peritissimo cuidam artifici illud recte adscribi. Ergo a fortiori evidenter apparet ordinatam et mirabilem totius mundi dispositionem, quae exquisitissima artis humanae opera longe superat, non posse, absque stultitia, atomorum fortuito concursui vel materiae necessariae evolutioni adscribi, sed causam intellegentem praesupponere.

B. *Omnia multo facilius explicat.*

1. *Posito enim ente a se,* huius mundi creatore et *ordinatore,* facilius explicatur huius mundi tendentia in finem nondum exsistentem in ordine reali. Cum e. g. in principio evolutionis «nebulosae» vires atomorum tendebant ad ordinem praesentem constituendum, hic ordo certo non exsistebat realiter, sed tamen ad ipsum constituendum in nebulosa erat tendentia. Sed unde illa tendentia? Si finis nullo modo tunc exsistebat, huius tendentiae ratio sufficiens nulla afferri potest; optime vero explicatur haec dispositio, si admittitur atomorum illarum causam efficientem vires «nebulosae» direxisse ad finem, quem in mente praehabuit: iuxta scholasticorum principium, quod in nostris operibus semper verificari videmus, *finis est primus in intentione, ultimus in exsecutione*[1].

2. Posito deinde ordinatore *summe intellegenti,* melius explicatur quomodo ordinatio tam complexa huius mundi effici potuerit, cum ad ipsum instituendum prius pernoscere oportuerit omnes omnium rerum vel minuscularum fines possibiles, proprietates et leges possibiles, ipsarum legum possibiles conflictus, omnes etiam actiones possibiles, sive necessarias sive liberas, in entibus rationalibus.

[1] Cf. *S. Thom.,* S. theol. 1, q. 2, a. 3; Contra gent. l. 2, c. 24.

3. Supposito denique ordinatore *summe potenti,* optime explicatur quomodo fiat, ut ordo ille inter tot entia maxime diversa institutus stabilis atque imperturbabilis perduret. Ens enim illud maxime potens eadem vi, qua creavit et ordinavit, res illas omnes conservat et dirigit.

C. *Ratione apodictice probatur.* Etenim:

Nullum ens finitum est a se, i. e. habet exsistentiam suam per suam essentiam. Nam si illud haberet per essentiam suam, omnia entia individua eiusdem essentiae et a fortiori omnes alii gradus essentiarum possibilium magis perfectarum *aequo vel potiore iure exsisterent actu.* Hoc autem repugnat tum experientiae tum rationi: esset enim in hoc casu numerus entium et mundorum actu infinitus.

Atqui mundus secundum totam suam substantiam consideratus est finitus. Sive enim *materialiter* (p. 475) sive *formaliter* (p. 476 sq) spectatur, finitus certo dicendus est. Est compositum quoddam ex corporibus, quae ipsa componuntur ex materia et forma. Formae sunt mutabiles, ipsa materia, sive in primis elementis vel atomis consideratur sive in se ipsa, contingens est (p. 492). Compositum proinde, quod fiat ex unione partium illarum omnium oritur, finitum sit oportet. Dicendum est ergo neque materiam neque formam mundi neque compositum ex utraque habere plenitudinem entis, aliis verbis: mundus secundum *totam* suam substantiam consideratus est finitus.

Ergo mundus, secundum totam suam substantiam consideratus, non est *a se.*

Id autem, quod secundum totam suam substantiam non est a se, est productum ex nihilo sui et subiecti. Tale enim ens, cum secundum totam suam substantiam non sit a se, secundum totam suam essentiam (secundum materiam et secundum formam) non implicat exsistentiam actualem: in se ipso toto nihil aliud est nisi mera possibilitas, quae est nihilum in ordine reali (i. e. realiter exsistentium).

Ens proinde illud, cum secundum totam suam essentiam non habeat illud «exsistere» sed *tantum «posse exsistere»*, si revera exsistit, totum suum esse actuale *recepit*, de potentia (vel nihilo in ordine reali) et materiae (subiecti) et formae (sui) ad actum, i. e. ad esse actuale, transiit.

Ergo mundus creatus est.

Sed ens quod creatur, necessario **ab alio** *creari* scimus ex dictis circa veritatem principii causalitatis [1].

Ergo mundus creatus est ab alio.

Cum autem series entium ab alio exsistentium actu infinita repugnet (p. 491), admittendum est mundum creatum esse *ab ente a se exsistente*, quod vocamus *Deum*.

Conclusio. *Quibus omnibus consideratis clare apparet hypothesim nostram tanta gaudere evidentia, ut ab omni homine sanae mentis cum certitudine admitti possit et non nisi magna cum imprudentia ab adversariis reiciatur. Unde ipsa sola vera est atque transit in thesim:*

Mundus creatus est ab ente quodam a se exsistente et proinde infinito, quod vocamus Deum [2].

Responsio ad dubia. Ad 1 dicendum productionem *ex nihilo sui et causae cuiuscumque* repugnare quidem rationi, non autem productionem ex nihilo sui et subiecti vel causae materialis tantum, *sub influxu tamen causae effi-*

---

[1] Cf. supra p. 368 sq

[2] Deum exsistere non solum ut creatorem et ordinatorem huius mundi sapientissimum, sed etiam ut ens a se immobile omnia movens, ut ens necessarium et infinite perfectum, ut fundamentum omnis possibilitatis et veritatis, ut finem ultimum hominis, ut legislatorem supremum, ostendemus in Theologia naturali. Interim tamen haec de Deo, creatore mundi, cognitio licet imperfecta maximae erit utilitatis. Multum enim iuvabit in Anthropologia ad theses nonnullas via et ratione declarandas et probandas.

cientis. Creatio autem non est productio rei ex nihilo causae efficientis.

Ad 2 dicendum, «quod, licet habitudo ad causam non intret definitionem entis, quod est causatum, tamen consequitur ad ea, quae sunt de eius ratione, quia ex hoc, quod aliquid est ens per participationem, sequitur, quod sit causatum ab alio. Unde huiusmodi ens non potest esse, quin sit causatum; sicut neque homo, quin sit risibilis. Sed quia esse causatum non est de ratione entis simpliciter, propter hoc invenitur aliquod ens non causatum.» [1]

Ad 3 dicendum, «quod Deus et natura et quodcumque agens facit quod melius est in toto, sed non quod melius est in unaquaque parte, nisi per ordinem ad totum. . . . Ipsum autem totum, quod est universitas creaturarum, melius et perfectius est, si in eo sint quaedam, quae a bono deficere possunt, quae interdum deficiunt, Deo hoc non impediente . . . quia, ut dicit Augustinus, ‚Deus est adeo potens, quod etiam bona facere potest de malis'. Unde multa bona tollerentur, si Deus nullum malum permitteret esse. Non enim generaretur ignis, nisi corrumperetur aër; neque conservaretur vita leonis, nisi occideretur asinus; neque etiam laudaretur iustitia vindicantis et patientia sufferentis, si non esset iniquitas persequentis.» [2]

§ 2. De tempore creationis.

Quaeritur: *Utrum mundus creatus sit in tempore an ab aeterno* [3].

---

[1] *S. Thom.*, S. theol. 1, q. 44, a. 1 ad 1.

[2] *S. Thom.* l. c. q. 48, a. 2 ad 3.

[3] De hac quaestione legi potest: *Esser*, Die Lehre des hl. Thomas von Aquin über die Möglichkeit einer anfangslosen Schöpfung; item *Nys*, La notion de temps d'après St. Thomas d'Aquin (1898)

Status quaestionis. Mundum *creatum esse* ratione evidenter probari supra ostendimus; sed «mundum *incepisse*», ait S. Doctor, «est credibile, non autem demonstrabile vel scibile» [1].

Hoc autem non sibi vult rationem humanam nullum argumentum in favorem veritatis creationis in tempore afferre posse, sed hoc unum animadvertit S. Doctor: rationes, quae ex hac parte afferuntur, non esse cogentes, i. e. non esse tales, ut ostendant sententiam contradictoriam *evidenter* repugnare. «Et hoc utile est ut consideretur», ait S. Doctor [2], «ne forte aliquis quod fidei est demonstrare praesumens, rationes non necessarias inducat, quae praebeant materiam irridendi infidelibus existimantibus nos propter huiusmodi rationes credere quae fidei sunt.» Atque cum hoc dicit, mundum scilicet incepisse, de numero eorum esse quae cadunt sub fide, non sub demonstratione, mundum considerat in *abstracto,* ita ut de *possibilitate aeternae creationis* in genere loquatur [3]. Qua sententia S. Doctor nonnullis Magistrum videtur defendere voluisse, ne contra rationem ille peccasse existimaretur. Docuerat enim Aristoteles mundum debere esse ab aeterno [4].

Aliquam creaturam, *saltem immutatam* («mundum in statu quietis») ab aeterno exstitisse non repugnare, docent Scotus, Durandus, Caietanus, Vasquez, Suarez, Gutberlet [5], alii.

---

106 sq; *Pesch*, Inst. philos. nat. II [2] 216 sqq; *Hontheim*, Inst. theod. 170; *Willems,* Inst philos. II 179; *Gutberlet*, Allgemeine Metaphysik [3] 273; *Lehmen-Beck*, Lehrbuch der Philosophie III [3] 252; *Gredt,* Elementa phil. aristotelico-thomisticae I [2] 302 sq.

[1] S. theol. 1, q. 46, a. 2 [2] Ib.

[3] «Nos autem», inquit, «intendimus universaliter, an aliqua creatura fuerit ab aeterno» (ib. ad 8).

[4] Cf. *Hontheim* l. c. 710.

[5] Allgemeine Metaphysik [3] 273 sqq.

Nullam creaturam posse ab aeterno esse, et proinde mundum aeternum esse rationi omnino repugnare, communis est Patrum sententia. Idem docent inter alios multos B. Albertus, S. Bonaventura, Lessius, Silvester Maurus.

Sed quidquid est de aeternitate creationis in genere, *hunc* quem cognoscimus mundum contendimus certo non esse ab aeterno. Unde hanc solam aggredimur probandam

Thesim: Mundus creatus est in tempore[1].

Thesis probatio. 1. (Ex repugnantia motus ab aeterno.) Mundus hic corporeus est in motu. Atqui repugnat omnino motum esse ab aeterno, i. e. sine initio. Est in motu series quaedam successiva momentorum, ad quam essentialiter pertinet habere terminum a quo et terminum ad quem, i. e. principium et finem; alioquin induceretur numerus actu infinitus. Si mundus hic corporeus esset infinitus, infinite multi e. g. dies essent transacti unus post alium. Sed hoc omnino repugnat. Ergo mundus corporeus habuit initium, aliis verbis creatus est in tempore vel melius *cum* tempore (reali).

---

[1] Thesis haec de fide est:

1. Ex Scriptura Sacra. «In principio creavit Deus caelum et terram» (Gn 1, 1 2 4); et: «Clarifica me, tu Pater, apud temetipsum claritate, quam habui prius, quam mundus esset, apud te» (Io 17, 5. Cf. Prv 8, 27; Ps 89, 2). Ergo mundus non semper fuit; ergo creatus est in tempore.

2. Ex doctrina Ecclesiae. Concilium enim Vaticanum, Constitutione «Dei Filius», declarat Deum esse creatorem omnium, qui bonitate sua et omnipotenti virtute «simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam». Idem iam antea Conc. Lateran. IV definiverat. Ioannes vero XXII haereticas declaravit has propositiones: «quam cito Deus fuit, tam cito mundum creavit» — «concedi posse, quod mundus ab aeterno fuerit».

Argumentum illud S. Doctor tamquam obiectionem ponens: «Si mundus semper fuit», inquit, «infiniti dies praecesserunt diem istum. Sed infinita non est pertransire. Ergo numquam fuisset perventum ad hunc diem; quod est manifesto falsum»; atque ad dubium illud sic respondet: «Transitus semper intellegitur a termino in terminum. Quaecumque autem praeterita dies signetur, ab illa usque ad istam sunt finiti dies, qui pertransiri potuerunt. Obiectio autem procedit ac si, positis extremis, sint media infinita.»[1] Et re quidem vera obiectio sic ponenda est, nisi exsistentia ipsius motus negetur. Qui enim media illa non ponit infinita, illi admittendum est in termino a quo partem illam successionum in qua motus productus est, infinita duratione duravisse, ita ut altera pars successionum numquam inceperit[2].

2. (Ex eo quod *genus humanum* non sit ab aeterno.) «Videamus, num genus humanum possit esse ab aeterno. A Socrate, qui nondum habet filium, recurrere possum ad eius patrem, ab hoc ad patris patrem, deinde ad huius patrem, et ita porro. Iam dico: in illa generationum serie ad aliquem primum patrem devenire debeo, qui non est filius, sed immediate a Deo creatus. Nimirum in serie tot debent esse patres quot filii, quia filius cogitari nequit sine patre, nec pater sine filio. Atqui in fine seriei habeo Socratem, qui est filius et non pater. Ergo in serie etiam esse debet aliquis pater, qui non sit filius. Si enim omnes patres simul essent filii, numerus filiorum uno (Socrate) excederet numerum patrum, quod est impossibile. Est igitur aliquis primus pater a Deo immediate creatus. Si autem est primus, series non est ab aeterno, ut et ratio probat et auctoritas S. Thomae. Revera, si

---

[1] S. theol. 1, q. 46, a. 2 ad 6.

[2] Cf. *Nink* in libello periodico «Philos. Jahrbuch» 1912 470, ubi de repugnantia motus ab aeterno sermo est.

inter actus, quos beati in futurum ponent, aliquis esset ultimus, in aeternum non viverent; a pari, si in serie, quae est a praeterito, aliquod membrum est primum, ab aeterno series non currit.

«Probatum igitur est genus humanum non esse ab aeterno. Consimili autem modo ostendi potest nullam successionem rerum esse ab aeterno, quia membrum praecedens et subsequens analogice se habent, ut pater et filius.» [1]

Ergo mundus creatus est non ab aeterno, sed in tempore.

Scholion. S. Doctor *possibile* esse vel *non repugnare* mundum esse creatum ab aeterno, putat [2]: 1° ex parte *mundi*, cum sit contingens; 2° ex parte *Dei*, cum sit causa libera et omnipotens; 3° ex parte *actus creationis*, cum non fiat per motum, sed sit actio instantanea. Rationes vero quas inducunt ad probandum mundum non semper fuisse, dicit «usquequaque *non de necessitate* concludere, licet probabilitatem haberent» [3].

Quae S. Doctoris argumenta maxime valent, si de non repugnantia creationis mundi ab aeterno «*in statu quietis*» disseris [4].

Propter easdem vero rationes ostendi potest demonstrari non posse mundum vel materiam mundi ab aeterno fuisse *creandam*, neque enim ex eo quod voluntas Dei creandi sit aeterna sequitur, ut sit voluntas creandi ab aeterno [5].

---

[1] *Hontheim*, Inst. theod. 715. Cf. *S. Thom.*, S. theol. 1, q. 46, a. 2 ad 8.

[2] S. theol. 1, q. 46, a. 2 c et ad 2 et S. contra gent. c. 38.

[3] S. contra gent. lib. II, c. 38.

[4] Cf. *Gutberlet*, Allgemeine Metaphysik [3] 273, ubi hanc thesim statuit: «Es läßt sich nicht nachweisen, daß ein unverändertes Geschöpf nicht ewig sein könne.»

[5] Cf. *Pesch*, Inst. philos. nat. II [2] 216 sq; item *Lehmen-Beck*, Lehrbuch der Philos. III [3] 253.

Articulus II.
DE FORMATIONE MUNDI.

Mundum *creatum* esse philosophice certo probatum est. Quomodo vero mundus creatione ortus *efformatus* sit, utrum scilicet sit opus sex dierum an periodorum indeterminatorum, utrum creatus sit cum illo quem nunc conspicimus ordine formaliter explicato, an Deus creaverit tantum materiam quandam satis informem, sed hunc ordinem virtualiter continentem, utrum proinde quaedam *evolutio* admittenda sit in mundi efformatione necne: haec omnia

I. *Lumine naturali* inquiruntur et explicantur *cosmogonia*. In qua duae partes distingui solent: *astrogonia*, quae de efformatione astrorum generatim, et *geogonia* (geologia et palaeontologia), quae de efformatione terrae speciatim disputat.

Conclusiones vero generales, quae ex observationibus his scientiis institutis induci possunt, has esse scimus:

a) «*Non sine rationibus dicitur mundi conformationem, post creatam a Deo atque ordinatam materiam, ipsis rebus corporeis fuisse commissam, ita ut ordo mundi etiam mechanicam explicationem aliquam admittat.*»

b) «*Non sine rationibus affirmatur* terrae *formationem ipsis rerum corporearum viribus relictam ab iisque* consumptis maximis temporum spatiis *esse perfectam.*» [1]

II. *Lumine supernaturali* ex Scriptura Sacra (Gn 1—2, 3) partim cognoscuntur.

Sed de his omnibus pro munere philosophiae satis multa. Uberior enim huius rei explanatio communiter traditur ipso Scripturae Sacrae cursu, ubi de creatione mundi sermo est [2].

---

[1] *Pesch,* Inst. philos. nat. II² 241 et 257.

[2] Cf. *I. B. Pelt,* Histoire de l'Ancien Testament I⁵ 21—58.

Et illa quidem erant dicenda circa naturam et originem mundi. Ulterius vero hic quaeri potest, *propter quemnam finem Deus mundum creaverit,* utrum libere an necessario, immediate an mediante alia creatura, etc. Sed haec omnia facilius intellegentur ex iis, quae in Theologia naturali declarabimus.

APPENDIX: DE MIRACULO.

Notio. Miraculum proprie dictum, si in sensu lato accipitur, definiri potest: *opus sensibile, insolitum, supernaturale, divinitus factum*[1]. Dicitur:

opus sensibile, quia, cum de miraculo proprie dicto fit sermo, agitur tantum de iis, quae in hac aspectabili rerum natura fiunt. Proinde gratiae sanctificantis productio, transsubstantiatio, omnia denique, quae gratiae et fidei vocantur miracula, proprie miracula non sunt.

insolitum, tale scilicet, ut naturae cursui (p. 481) sit contrarium; i. e. requiritur, ut in re sit, unde videatur aliter debere evenire, sicut (in resuscitatione mortui) corpus mortuum in se habet unde non debeat in ipso vita causari[2]. Propter defectum huius condicionis creatio universi et creatio animarum humanarum non est miraculum, quia universum non potuit aliter produci ac creatione, et quia consuetus est ordo naturae, ut, homine materiam disponente, anima humana a Deo creetur. De natura enim animae spiritualis est, ut aliter produci non possit nisi creatione.

---

[1] Haec miraculi declaratio fit secundum *Pesch*, Inst. philos. nat. II[2] 375 sq. Cf. etiam *Egger*, Enchir. theol. dogm gener. n. 86 sq.

[2] «Insolitum, quod in definitione miraculi ponitur, ex se non dicit raritatem facti, sed excludit solitum cursum naturae; unde si cotidie caeci illuminarentur, nihilominus miraculum esset, quia praeter cursum naturalem, qui nobis est consuetus, contingeret» (*S. Thom.,* In 2, d. 18, q. 2, a. 1).

supernaturale, in latissima huius vocis acceptione [1]. Miraculum proinde debet fieri vel praeter ordinem totius naturae creatae et creabilis, vel saltem praeter ordinem naturae visibilis, quamvis vires creatas absolute non superet.

divinitus factum: quibus verbis unum ex praecipuis miraculi elementis designatur. Ad miraculum enim proprie dictum semper requiritur specialis Dei interventus positivus, ita ut creatura, si quae adhibeatur in miraculis patrandis, non agat nisi «instrumentaliter» vel «impetratorie» vel «ministerialiter», i. e. Dei nomine, si propria virtute opus miraculosum producit.

Requiritur proinde, ut, miraculo patrato, semper recte dici possit: «digitus Dei est hic».

Species. Miraculum diverso modo distinguitur.

1. *Ex parte perfectionis* eius et virtutis ad ipsum patrandum requisitae dividitur in miraculum primi ordinis et miraculum secundi ordinis.

Miraculum *primi ordinis* (miraculum *maius* vel miraculum sensu stricto acceptum) est illud, «quod fit praeter ordinem totius naturae creatae eiusque virtutes absolute superat». E. g. resuscitatio alicuius mortui.

Miraculum *secundi ordinis* (miraculum *minus*) illud est, «quod fit praeter ordinem naturae visibilis, quamvis vires creatas absolute non superet». Translatio e. g. alicuius montis vel domus per aërem ab uno loco in alium absolute vires angelicas non superat.

2. *Ex parte modi, quo miraculum superat vires naturae*, dividitur a S. Doctore in miracula supra, contra, praeter naturam [2].

---

[1] Quid et quotuplex sit supernaturale, recole ex iis, quae supra (p. 482 et 483 n. 1) dicta sunt.

[2] Quaest. disp. q. 6 de pot. a. 2 ad 3. Cf. etiam *Egger*, Enchir. theol. dogm. gener. n. 87 sq.

Supra naturam dicitur miraculum, «si producitur effectus, quem natura nullo modo facere potest; sic e. g. natura vitam causare potest, sed in mortuo hoc facere non potest».

Contra naturam dicitur, «quando in natura remanet contraria dispositio ad effectum, quem Deus facit; sicut quando conservavit pueros illaesos in camino, remanente virtute comburendi in igne».

«*Praeter naturam* autem dicitur Deus facere, quando producit effectum, quem natura producere potest, illo tamen modo, quo natura producere non potest . . . sicut cum statim ad invocationem alicuius Sancti aliquis curatur, quem natura non statim, sed successive curare possit.»

3. *Ex parte legis denique, cui miraculum derogatur,* dividitur in miraculum ordinis physici et ordinis moralis.

Sed huius rei uberior explicatio fit in theologia sacra. De *possibilitate* vero et *cognoscibilitate* miraculi via et ratione rectius dicemus in Theologia naturali, cognita Dei creatoris omnipotentia.

INDEX ALPHABETICUS

VOLUMINIS I.

Abstractio 22 48 n. 4; — physica, mathematica, metaphysica 22 23; exclusiva, praecisiva 294.
Academia 19 n. 1; — media, nova 137 n. 2.
Academici 19 n. 1.
Accidens praedicabile 31; — praedicamentum 33 319 323; — accidentium exsistentia 325; — relativum, absolutum, modale 337 sqq; separabilia, inseparabilia 339 sq.
Actio in pragmatismo 172 354 359; — «Philosophia actionis» v. vol. II; — immanens, transiens, mechanica, physica, chemica 360; adductiva, reproductiva 409; — «actio in distans» repugnat 461 sq.
Activitas corporis physica: eius exsistentia 427 sqq; finalitas 441 sqq.
Actualistae (actualismus) 326 452.
Actualitatis theoria 326.
Actus 272; — essentiae, exsistentiae, proprietatis, accidentis 273; primus, secundus, purus, non purus 273 sq.
Adamson 170.
Adductiva actio 409.
Aequalitas (aequivalentia) 307.
Aequipollentia propositionum 77.
Aequivocatio (sophisma) 109.
Aequivocus v. Terminus.
Aeternitas 411; — essentiarum, positiva, negativa; realis, idealis 288; — aeternitas mundi num repugnet 499.
Aeviternitas (aevum) 412.
Agnostici 176; — de Agnosticismo Modernistarum v. vol. II.
Alanus ab Insulis 7.
Albertus Magnus 7 n. 2 211 341 466 500.
Alexander Halensis 7.
Allucinatio 203 224.
Alteratio 280.
Analogia proportionis, attributionis 37; — argumentum per analogiam 112 sq.
Analysis metaphysica 46; — usus 48 50 n. 1.
Analytica methodus in scientiis 251 sq.
Annihilatio 279 458.
Antecedens 65 90.
Antinomiae cosmologicae (ad mentem Kantii) 154.
Antithesis ad mentem Fichtei 162 163 n. 1.
Apodicticum argumentum 112.

Appellatio 42.
Apperceptio 49 n. 4.
Appetitus (in sensu latissimo) 313; — naturalis 442.
Apprehensio 25.
Aquinas v. Thomas, S.
Arbor Porphyriana 32.
Arcesilaus 137 n. 2.
Arguens (in argumentatione) 125.
Argumentatio v. Syllogismus.
Argumentum apodicticum, dialecticum: per analogiam 112; per hypothesim 114; demonstrativum, eius species, v. Demonstratio.
Aristoteles 7 n. 2 19 33 211 390 415 419 466 471 500.
Astrogonia 504.
Atomismus mechanicus (vel extremus), dynamicus, chemicus (vel scientificus) 439 453 sqq; — extremi refutatio 462 sq; — dynamici valor 463.
Atomus 448. — Earum natura secundum Dynamistas 450; secundum Atomistas 453 sqq; secundum scholasticos 458 sq.
Attentio (animi) 49 n. 4.
Auctoritas 218 sq; — eius valor 220 sq.
Augmentatio 279.
Authentia libri 225 226.

Baco 176 n.
Baronius 228 n. 1.
Bautain 189 n. 2.
Bayle, Petrus 137 n. 4.
Bellarminus 409.
Bergson 170 n. 2.
Berkeley 167 n. 3 168.
Blondel 172 n. 5.
Boethius 412.
Bonald, de 189 191.
Bonaventura, S. 8 n. 2 211 408 420 466 500.
Bonitas (bonum) transcendentalis, physica, moralis; a se, ab alio 313 sq; essentialis, accidentalis; apparens, vera; honesta, delectabilis, utilis 315; — exsistentia 316.
Bonnetty 189 n. 3 192.
Boscovichius 451.
Broussain 376 n. 1.
Büchner 376 454 486.

Cabanis 376 n. 1.
Caietanus 291 293 500.
Cantoni 170.
Capreoli 390.
Carneades 137 n. 3.
Cartesiani 246 338.
Cartesius 246 n. 1 322 336 390 431.
Casus 378; — mundus casu non est ortus 489.
Categoriae 33 318 sq; — ad mentem Kantii 146 151 n. 1.
Categoricus imperativus v. Imperativus.
Cathodici radii 448.
Causa 2 sq 354 sqq; — efficiens 359 sqq; removens prohibens 361; prima, secunda; physica, moralis; principalis, instrumentalis; per se, per accidens; proxima, remota; totalis, partialis; univoca, aequivoca; necessaria, libera 361 sqq; — causa moralis estne vera causa efficiens? 362 378; — causarum efficientium exsistentia 365 sq; — causa finalis 372 sqq; — causae finalis notio 372 sq; species 374;

exsistentia 370; — causa materialis, formalis 358; v. etiam Materia, Forma.
Causalitas 355; — causalitas causae efficientis 359; causae finalis 372; — causalitatis principium 368 sq.
Certitudo 135 sq 238; — metaphysica, physica, moralis; necessaria, libera 221 242; supernaturalis, naturalis 242; naturalis (vulgaris, directa, spontanea), philosophica (scientifica, reflexa) 135 244; — principium certitudinis 240 sqq (v. Evidentia); — certitudinis fontes v. Criteria.
Champeaux, G. de 210.
Charron 137 n. 4.
Chiapelli 170.
Cicero 18 n. 1 137 n. 2 489.
Circulus vitiosus 110; v. Petitio principii.
Cognitio certa 1; cf. Certitudo.
Cohen 170.
Colding 438.
Comparatio 23 48.
Compenetratio 405 sq.
Compositio metaphysica, logica 263; entitativa 391.
Comprehensio (idearum) 23 24.
Comte 175 n. 1; — eius positivismus 175; — eius relativismus 182; — eius transformismus 185.
Conceptualismus 208 209.
Conceptualistae 209.
Conceptus 25; obiectivus, subiectivus ib.
Conclusio 89.
Condicio 360; condicio sine qua non ib.; condicio prima 192.
Condillac 176 n.
Conexio extrinseca, intrinseca; physica, logica 355 sq.
Congruentiae methodus 252.
Conscientia (psychologica), sensitiva (sensus intimus), intellectiva, moralis; — eius valor 200 sqq.
Consensus generis humani 230.
Consequens 65 90.
Consequentia syllogismi 90 sq.
Contemplatio 48 n. 4.
Contiguum 417.
Contingens (modus in propositione) 61; — ens contingens 271 297.
Continuitas quantitatis 398 416 sq; — continuitas perfecta (systema Kantii) 451.
Continuum 416; — quomodo partes in continuo insint 426.
Contrapositio 85 n. 1.
Conversio propositionum 80 sq.
Copula 56.
Corpus 203 474; — mathematicum 399; simplex, compositum 447; — principia constitutiva 447 sqq; — compenetratio, replicatio vel multilocatio 405 407 sqq.
Corruptio 279 457.
Corruptus (liber) 226.
Cosmogonia 504.
Cosmologia 387.
Cosmologica antinomia (Kantii) 154.
Cosmologica idea (Kantii) 153 154.
Creatio 279 457; — creatio mundi v. Mundus.
Credibilitas, eius motiva 219.
Criteria (fontes) certitudinis 199; — interna, externa 226 sq.
Criteriologia (Critica) 9 10 131.

Critica rationis purae, practicae, iudicativae 141 n. 3.
Criticismus 140; — Kantianus 140 sqq.
Cursus naturae 481.
Czolbe, H. 486.

Darwin (Darwinismus) 376 n. 2 486 494; — de eius doctrina v. vol. II: Darwinismus.
Deductio 214.
Defendens (in argumentatione) 125.
Definitio 43 sqq.
Deminutio 279.
Democritus 376 n. 1 454 n. 2.
Demonstratio 116 sq; — directa, indirecta; a priori, a posteriori; propter quid, quia 116 117; negativa, per absurdum 85 117 118; circularis vel regressiva 117.
Demonstrationis methodus 254.
Demonstrativum argumentum 112 116.
Dialectica 17.
Dialecticum argumentum 112.
Didactica 17 n. 1.
Differentia 308; — specifica 31; — differentiae methodus 252.
Dilemma 106.
Disputatio, methodus et forma 125 sqq.
Distans, actio in, v. Actio.
Distinctio realis maior, minor; rationis, ratiocinatae, ratiocinantis 305 sqq; nominalis 210.
Diversitas 307.
Divisibilitas quantitatis 389 424; — corporis mathematici, physici (naturalis) 425 sq.
Divisio logica, realis; physica, metaphysica 44 sq.
«Doctor angelicus» XI.
«Doctor irrefragabilis» 7.
«Doctor seraphicus» 8 n. 2.
«Doctor subtilis» 9 n. 3.
«Doctor universalis» 7 n. 1.
Doctrinale testimonium 225; cf. Consensus generis humani.
Dogma 220.
Dogmatismus 191 sqq.
Dubitatio 1 110 246 sqq.
Dubium 245; — methodicum, reale; negativum, positivum; prudens, imprudens 245 sq; — responsio ad dubia 123 124.
Durandus 500.
Dynamicus atomismus 454 463.
Dynamismus (monadismus) 439 450 sqq; — atomicus, transscendentalis 450 n. 2; dynamismi refutatio 460 sqq.

Effectus 355; — effectus formalis quantitatis 389 sq.
Elementum 448.
Eliminationis methodus 252.
Empirismus 176 n.
Empiristae 208 326.
Energiae conservationis lex 440.
Energiae specificae 432.
Ens 261 sqq 265; — reale, rationis 266 sq; actuale, possibile; necessarium, contingens; infinitum, finitum 271 297; a se, ab alio 297 sq.
Enthymema 106.
Entropia 440.
Enuntiabile 133 195.
Epicherema 106.
Epicurius 454 n. 3 485.
Erdmann, Benno 186 n. 1.
Error 237; — eius causae 237 sq.
Essentia 21 285 sqq; — physica, metaphysica; simplex, com-

posita; immutabilis, necessaria, aeterna 286 sqq; — eius distinctio ab exsistentia 289 sqq; v. Natura.
Esser 499 n. 3.
Etymologia 44.
Evidentia obiectiva, subiectiva 195 240; interna, externa; evidentia testimonii, evidentia de imprudentia dubii 240.
Evolutio logica (theoria evolutionis) 185; materiae aeternae repugnat 492 sq.
Exemplum 114.
Experientia externa 203; — eius valor 205; — usus in methodo experimentali 251.
Experimentum 252.
Exsistentia 288; — sitne distincta ab essentia 289 sqq.
Extensio ideae 23 24 46 sq; — localis (externa, actualis), interna (virtualis, aptitudinaria) 389 391 sqq; extensio virtualis ad mentem Palmieri (Dynamistarum) 452; — eius entitas: est obiectiva quaedam realitas 395; cf. Quantitas corporum.
Extremum maius, minus 89; — extrema in relatione 346.

Factum primum 193.
Facultas 275 343.
Faggi 170.
Fallacia (sophisma) 108; — sensus compositi et divisi, a dicto simpliciter ad dictum secundum quid 109 sq.
Falsitas logica 237; metaphysica, logica, moralis 311; — eius exsistentia 312 sq.
Farges 431.
Feuerbach 354 376 454 486.
Fichte 162 n. 1 166 167 168 169.
Fideismus 187; fideismi refutatio 190.
Fides 219.
Figura 342.
Finalitas intrinseca, extrinseca 373 sq; — finalitas intrinseca corporum 441 sqq; — finalitas in mundo 476 sqq.
Finis 372; — qui, cui; proximus, remotus, ultimus; primarius, secundarius; operis, operantis; naturalis, supernaturalis 374 sq.
Finitistae 420.
Forma ut est qualitas 342; — ut est comprincipium in corporibus 456 sqq 466 sq 472 sq; — extrinseca, intrinseca; accidentalis, substantialis; separata, informans; spiritualis, materialis 473.
Formalismus Kantii 143 209.
Formatio mundi 504.
Franzelin 408.
Frick, «Logica» 23 62 101, multis aliis locis; «Ontologia» 287 291 342 alibi.
Fundamentum universalium 213; — relationis 346; — eius distinctio ab ipsa relatione 351.
Futurum 411.

Generatio 279 457.
Genus 31 sq.
Geogonia 504.
Geologia 504.
Gorgias 18 n. 1.
Gradus metaphysici 209 sq.
Gratiosum (pulchrum) 383.
Gredt 460.

Green, Th. 170.
Gründer 432.
Gustus aestheticus 382.
Gutberlet 423 432 439 500 503 n. 4 alibi.

Habitus entitativus, operativus; supernaturalis (infusus), naturalis; a natura inditus, acquisitus 342 344 sq.
Haeckel 376 454 486.
Hagemann 432.
Halleux 487 sqq 492 sq.
Hallucinatio v. Allucinatio.
Hamilton 182.
Hartmann, E. de 169 170 n. 451.
Hegel 161 164 n. 3 167 169 182.
Helmholtz 432.
Helvetius 376 n. 1.
Herbart 169 n. 2.
Hermeneutica hypothesis 115.
Hippias 18 n. 1.
Hirn, Gust. Ad. 438 451 n. 4.
Historia 220.
Hobbes 176 n. 376 n. 1.
Hodgson 170.
Holbach 376 n. 1.
Hontheim 479 503 alibi.
Huetius 187 n. 3.
Hume 326 365 368.
Huxley 326 n. 2 328.
Hylomorphismus: eius expositio 456 sqq 471 sqq; — eius aestimatio 466 sqq.
Hypothesis argumentum 114; — physica, moralis, logica (hermeneutica) 115 sq; — eius usus in methodo experimentali 251.
Hypothetica propositio 62 65 sq; — syllogismus 103 sqq.

Jacobi 175 n. 2.
James, William 172 n. 3.

Idea 19 sqq; — eius comprehensio et extensio 24 sq; — physica, mathematica, metaphysica 22; intuitiva, abstractiva; explicita, implicita; clara, obscura; distincta, confusa; adaequata, inadaequata; comprehensiva, apprehensiva; complexa, incomplexa; composita, simplex; concreta, abstracta; singularis, particularis, collectiva, universalis (v. Universale) 26 sqq; identica, diversa, sociabilis, insociabilis (v. Oppositio) 34 sq; — ad mentem Kantii 152; — ad mentem Platonis 210; — De ideis efformandis praecepta paedagogiae 51.
Idealismus 152 n. 1; — subiectivus 167, obiectivus 168 169; — acosmisticus 168, transscendentalis 140 152 n. 1 169, absolutus 161 sqq 169; — logicus 165 169; — platonicus 168 n 1.
Idealistae 161 sqq 365 427 452.
Identitas absoluta vel realis, relativa vel logica; metaphysica, physica, moralis; essentialis, accidentalis; generica, specifica; qualitativa, quantitativa 303 sqq.
Ignorantia 237; — elenchi 110.
Illatio mediata, immediata 83 sq.
Illusio 203.
Immanentismus 184.
Immutabilitas essentiarum 287.
Impenetrabilitas quantitatis 389 390 405; aptitudinalis 406 sq.
Imperativus categoricus 155.
Imperfectum 318.

Impossibile (modus in propositione) 61.
Impossibilitas intrinseca, extrinseca; physica, moralis 276 sqq.
Impotentia 343.
Incidens (terminus) 39.
Inclinatio naturalis 442; — est ad veritatem 198 230.
Indefinitum 298; — divisio in indefinitum 424.
Individuum 29; cf. Substantia prima.
Indivisibilitas essentiarum 287.
Inductio completa, incompleta 214 sq; — inductionis principium 216; — inductionis methodus 251.
Inferiora ideae universalis 30.
Infinitistae 419.
Infinitum actu, potentia 298; — multitudo actu infinita repugnat 419 sq; — series actu infinita causarum repugnat 490 sq.
Influxus physicus 355.
Instans 411.
Instantia (in disputatione) 125.
Instrumentum 363.
Integritas libri 226 227.
Intellectus 206 207; (ad mentem Kantii) 142 145 sqq.
Intellegentia 206; — circa eius valorem doctrinae exponuntur 207 sqq.
Intuitionismus 173.
Joule 438.
Iudicium 52; — improprie dictum, apprehensivum vel materiale vel imperfectum; proprie dictum, formale vel perfectum vel intellectuale 54; — eius signum v. Propositio; — eius species v. Propositio; — eius proprietates 67 sqq; analyticum, syntheticum ad mentem Kantii 148 sq; — vera definitio iudiciorum analyticorum et syntheticorum declaratur 156 sq.

Kachník, «Hist. philos.» 8 n. 1 9 n. 19 n. 1.
Kantius 140 n. 2; — eius criticismus 140 sqq; — eius formalismus 209 327 336 349 350 394 401 414 432; — eius relativismus 182; — eius dynamismus 451.
Kehrein 50 n. 1.
Krause 170.

Lamennais, de 188 190.
La Mettrie 376 n. 1.
Lange, Frid. Alb. 170 394 477 sq.
Latio 280.
Lehmen 5 431 alibi.
Leibniz 322 n. 3 390 419 451 453 460 462 466.
Lepidi 291 n. 2 311 470.
Lessius 500.
Leucippus 376 n. 1.
Lex naturae: notio 443, exsistentia 443, necessitas 444 sqq, physica 446, metaphysica 445; cf. Certitudo physica, metaphysica. Lex energiae conservationis 440; — entropiae 440.
Liberatore 292.
Linea 399.
Linsmeier 432.
Littré 176.
Locke 176 n. 326 365 368 431.
Locus 388 400; — internus, externus; proprius, communis 400.

Locutio 36 189 191.
Logica 15; naturalis, artificialis; docens, utens, formalis, materialis 16 sq.
Lotze 169 170 n.
Lugo 409.
Lyceum (Aristotelis) 19 n. 2.

«Magister Sententiarum» 7.
Magnitudo actu infinita repugnat 423.
Maior (terminus, propositio) 89.
Malebranche 168 n. 1 427.
Malitia (malum) transcendentalis, physica, moralis 316 sqq.
Materia prima 456 471 473; — eius exsistentia in corporibus 467 sqq; — secunda 478 sq. — Materia aeterna repugnat 492.
Materialismus (Materialistae) 376 n. 1 426 454 485 489.
Maurus, Silvester 500.
Mayer, R. 438.
Mechanismus (mechanicistae) 427 439 454 464.
Medium (bonum utile) 315 374.
Medius terminus syllogismi 89; — quomodo inveniatur 120.
Memoria sensitiva, intellectiva; — eius valor 217.
Mensurabilitas 389.
Mercier 291; «Logique» 6 113; «Critériologie générale» 53 139 158 161 163, multis aliis locis; «Métaphysique générale» 281 292 alibi; «Traité élémentaire de philosophie» 133 134.
Metaphysica 260; — ad mentem Kantii 140 sqq.
Methodica 18 ex n. 17 1.
Methodologia 17.
Methodus 18 43; — notiones explanandi 43 sqq; — theses probandi 111 sqq; — disputandi 124. Methodus scientiarum 250 sqq; — experimentalis 251, rationalis 253; — eliminationis 252; — congruentiae 252; — differentiae 252; — residuorum 252; — variationum concomitantium 252; — composita 253; — analytico-synthetica 50 254.
Mill, Stuart 176 180; — eius transformismus 185.
Minor (terminus, propositio) 89; minor subsumpta 125.
Miraculum 505; — primi, secundi ordinis 506; — supra, contra, praeter naturam 507; — ordinis physici, moralis 507.
Modernismus 9; — eius Philosophia v. vol. II.
Modus propositionis 60 sq; — syllogismi 99 n. 2; — tollens, ponens, ponendo tollens 103; accidentalis (accidens modale) 338; substantialis 339 n. 1.
Mohr, Frid. 438.
Molecula 448.
Moles v. Quantitas continua vel magnitudo.
Moleschott 376 486.
Monadismus 451, v. Dynamismus.
Monas 451.
Montaigne, Michael de 137 n. 4.
Motivum credibilitatis et motivum fidei 219.
Motus 280; — immanens vel vitalis, transiens; mechanicus, physicus, chemicus 282; — principium motus 283.
Müller, Ioan. 394 432.

Multilocatio (Replicatio) 407; — quomodo fiat 408 sq.
Multitudo 300; num infinita esse possit 420.
Mundus 387 475; — est finitus 475; — est creatus 483 sqq; — creatus in tempore 500; — eius formatio 504.
Mutatio, proprie dicta, improprie dicta; extrinseca, intrinseca; substantialis, accidentalis; instantanea, successiva 279 sqq.
Mutilus (liber) 226.

Natorp 170.
Natura 286; — diversi sensus 444 sq 480; — ordo, cursus naturae 481.
Naturale 481.
Necessarium (modus propositionis) 69; — ens necessarium 271 297.
Necessitas essentiarum 288; legum naturae 444.
Neo-critici 170 182 365.
Neo-criticismus 169 sqq.
Neo-Kantiani 170.
Neoplatonici 168.
Neoscholastica schola 291.
Newton 402 414.
Nexus logicus 52 54.
Nihilum 265; — relativum, absolutum; privativum, negativum 266.
Nominalismus 208.
Nominalistae 208.
Nota 24.
Noumenon (ad mentem Kantii) 140.
Numerus 300; — infinitus: num esse possit 419 sqq.
Nunc 411.
Nys 390; «Cosmologie» 390 n. 2 439 n. 1, multis aliis locis; «La nature de l'espace» 422 n. 2.

Obiciens (in argumentatione) 125.
Obiectum materiale, formale 5 n. 1; proprium per accidens 199; cf. Sensile.
Observatio 252.
Occam 208 209.
Occasio 361.
Occasionalismus 168 n. 1 365 n. 2 427.
Occasionalistae 365 n. 2 427.
Ontologia 259.
Opinio 1 248.
Oppositio idearum contradictoria, privativa, contraria, relativa 34 sq; — propositionum oppositio 67 sq; — contradictoria 68 sq; contraria, subcontraria, subalterna 68 sq.
Oràtio 54.
Ordo 374 476; — logicus, psychologicus in philosophia docenda 10; — in argumentis 122; — naturae 481; eius exsistentia 476 sq; — eius proprietates 479.
Organum 203.
Origo (ortus) mundi 483 sqq.
Ostwald 185.

Paedagogia 17; — docens, utens ib.
Palaeontologia 504.
Palmieri 432 452 453 n. 462.
Pantheismus (Pantheistae) 211 485 486 sq, v. vol. II.
Parabola 114.
Paralogismus 108; — psychologicus (ad mentem Kantii) 153.
Pars logica 45; physica, metaphysica 45 sq; essentialis, integralis 45.

Pascal 137 138.
Passio 343 354 359.
Paulsen, Frid. 169 170 n.; — eius transformismus 185; — eius phaenomenalismus vel actualismus 326 452.
Perfectum absolutum, relativum 318.
Peripatetici 20.
Persona 331 336.
Pesch, Tilm. 431 438; «Institutiones logicales» et «Institutiones philosophiae naturalis [2]» multis locis.
Petitio principii (circulus vitiosus) 110.
Petrus Lombardus 7.
Phaenomenalismus 326.
Phaenomenon ad mentem Kantii 140; — ad mentem Positivistarum 326.
Phantasia: eius influxus in conscientiam 202; — in memoriam 218; — in alios sensus 224.
Philo 137 n. 3.
Philosophia 1; — scholastica 5; — relatio ad ceteras scientias et theologiam, obiectum 4, divisio 9 sq, «studiorum fundamentum» 9.
Physicismus v. Hylomorphismus.
Piat, Clod. 184 n. 1.
Pius Papa IX 192 466.
Pius Papa X, eius Encyclica «Pascendi dominici gregis» 9; Modernismi damnatio v. vol. II; eius Syllabus «Lamentabili» 185 n. 4.
Plato 19 n. 1 210.
Platonici 210 n. 2.
Pohle 432.
Polysyllogismus 107.
Porphyrius, Porphyrii arbor 32.
Positivismus: expositio 175 sqq 207 365; — refutatio 177 sqq.
Positivistae 207 326 328 365 368 376 ib. n. 1 426.
Possibile (modus propositionis) 61; ens possibile 271; v. Possibilitas.
Possibilitas intrinseca (metaphysica, absoluta), extrinseca (relativa); physica, moralis 275 sqq.
Potentia 272; — obiectiva vel logica, subiectiva vel realis; receptiva, operativa 274 343; naturalis, oboedientialis, supernaturalis; passiva, activa 275.
Prado, Fr. N. del, «De veritate fundamentali philos. christ. 294.
Praecisio subiectiva, obiectiva 262.
Praedicabile 31; — ad mentem Kantii 147 n.
Praedicamentum 33 318.
Praedicatum 55.
Praemissa syllogismi, maior, minor 89 sq.
Praesens 411.
Praeteritum 411.
Praeternaturale 483.
Pragmatismus 172 ib. n. 2 et 4 174 186 n. 1.
Principium 239 268 356; — primum 193; contradictionis, identitatis, tertii exclusi, rationis sufficientis 269 sq; motus 283; causalitatis 368 sqq; inductionis 216; analyticum 283; cf. Iudicium analyticum; logicum, ontologicum 239 268 356; principium quo, principium quod 332; materiale et formale in corporibus 467 sqq 471 sq.

Prioritas rationis realis, naturae, temporis, originis 356 sq.
Probabilitas 248; — ad mentem Academiae 137; — fideismi 188.
Progressismus 187 236.
Propositio 54 sqq; — simplex, composita, multiplex; affirmativa, negativa 57 sq; universalis, particularis, singularis, indefinita 58 sq; modalis, categorica, copulativa, adversativa, relativa, causalis 60 sqq; exponibilis, exponens, exclusiva, exceptiva, comparativa, reduplicativa (specificativa) 63 sq; hypothetica, conexa (antecedens, consequens), coniunctiva, disiunctiva 65 sq; complexa, principalis, incidens 66; — propositionum oppositio 68 sq; aequipollentia 77; conversio 80.
Proprietas 299.
Proprium 31.
Prosyllogismus 107.
Protagoras 18 n. 1.
Psychologica idea (Kantii) 152 153.
Psychologismus 186 n. 1.
Pulchritudo: eius ratio formalis 381; — variae pulchritudinis definitiones 382.
Pulchrum 379 sq; — sensibile, intellectuale, physicum, morale, naturale, artificiale, sublime, gratiosum 382.
Punctum 399 n. 2.
Pyrrho 136 n. 2.
Pyrrhonii 136.
Pythagoras 451.

Quadrilemma 107 n. 1.
Qualitas: entitativa, operativa 341 sqq; patibilis (sensibilis) 342 sq 430 sqq; — qualitatum sensibilium obiectiva realitas 432 sqq.
Quando (accidens) 415 sq.
Quantitas corporea 388 sq; — eius effectus formalis 389 sqq; — virtutis, dimensiva; successiva, permanens; discreta (numerica), continua; physica, mathematica 397 sq; — infinita num esse possit 419; — sensibilis 430.
Quidditas 21 26 211 286.

Radii X vel Röntgen 448, cathodici ib.
Radioactivitas 448.
Ratio, «id quo intellegitur cur res sit» 2 sq, intellectus 214; — pura, practica, theoretica (ad mentem Kantii) 141 n. 3; «generalis, individualis» (ad mentem de Lamennais) 188; — rationis sufficientis principium 270; — ratio ut essentia 286.
Ratiocinium 85; — eius signum v. Argumentum; eius species v. Syllogismus; — categoricum (Kantii), hypotheticum, disiunctivum 153; deductivum, inductivum 214 sq.
Realismus, in «universalibus», exaggeratus 210; moderatior 211; — in qualitatibus sensibilibus diiudicandis «realismus puerilus» vel rigidus, realismus moderatior 433 sqq.
Receptio 48 n. 4.
Reflexio 23 49 n.
Reich 494 n. 2.
Reid 175 n. 2.

Relatio 346; — logica, realis; essentialis, accidentalis; mutua, mixta; aequiparantiae, disquiparantiae 347; — eius exsistentia 349 sq; — eius entitas 350.
Relativismus 182 sqq; — «temporis et loci» 186 n. 1.
Relativistae 183 sq.
Relatum (in relatione) 346.
Remacle 165 n. 2.
Renouvier 170 n. 1 171 n. 1 2 3 4 172 n 1 183 n. 1.
Replicatio corporum in spatio 407 sq.
Reproductio 48 n. 4.
Reproductiva actio 409.
Residuorum methodus 252.
Retorsio 118.
Revelatio 219.
Ribot, Theod. 326 n. 3.
Röntgen (radii) 448.
Roscellinus 208 n. 1.

Sanchez 137 n. 4.
Sapientia 4.
Scepticismus 136 sqq.
Schell 491 n. 2.
Schelling 161 164 n. 1 167 169 451.
Schiffini 292.
Schiller, F. C. 172.
Scholastica (philosophia) 5.
Scholastici 6.
Schopenhauer 169 170 n. 451.
Scientia 1 249; — scientiae divisio 249; — scientiarum methodus 250; — scientiae subordinatio 254 sq.
Scotistae 9 n. 3; — eorum sententia circa subsistentiam 333 sq.
Scotus 8 n. 3 333 408 409 420 466 500.
Scriptura (terminus scriptus) 36.
Selectio naturalis 376 n. 2.
Semi-Kantiani 170.
Sensile, proprium, commune, per accidens 204 sq; — sensibilis qualitas 430.
Sensistae (sensualistae) 208 326 365 368 sqq.
Sensualismus 176 n.
Sensus: (terminorum) proprius, metaphoricus 38, compositus, divisus 109; — (facultas) notio et valor 203 sqq; — externi 203; — intimus (conscientia) 200, communis 230.
Sentimentalistae 175 n. 2.
Series causarum infinita repugnat 490.
Sextus Empiricus 137 n. 4.
Signum formale, instrumentale; naturale, arbitrarium 35 sq.
Similitudo 113 307.
«Simul natura» 353.
Socrates 18 n. 2.
Sophisma 18 n. 1 108; sophismata theologica (ad mentem Kantii) 154.
Sophistae 18.
Sorites 106.
Sortais, G., «Traité de philosophie» 172 n. 2 178 n. 1 464 alibi.
Spatium 401 sq; — reale non est forma subiectiva (Kantii) 144 156 401; non immensitas Dei 402; — imaginarium 401 403.
Species (= praedicabile) 31; (= essentia) 286.
Spencer, Herb. 176; — eius relativismus 182; — eius transformismus 185.
Spinoza 322 n. 2.
Spurius (liber) 226.

Status quaestionis III.
Strauß 376 486.
Suaresius 289 n. 1 352 392 408 409 466 500.
Subdivisio 45.
Subiectivismus 162 432.
Subiectum propositionis 55; — ideae universalis 30; — relationis 346.
Sublime (pulchrum) 383.
Subsistentia 331; — sitne distincta ab essentia individua 333 sq.
Substantia 33 286 319 321; — ad mentem Spinozae, Leibnizii, Cartesii 322 sqq; — prima, secunda; completa, incompleta 329.
Subsumptum 125.
Superficies convexa, concava 399.
Supernaturale 482; — absolutum, relativum 482 483.
Suppositio terminorum, materialis, formalis; logica, realis; collectiva, distributiva; completa, incompleta 40 sq.
Suppositum 331 336.
Suspicio 248.
Syllogismus 88 sq; — perfectus 88; imperfectus 93 105; categoricus, hypotheticus; simplex, compositus; conexus, coniunctivus, disiunctivus 93; — eius regulae 94 sq 96 sq 97; — eius figurae 97 sq.
Synthesis 23 46 50; — usus 50 n. 1; — ad mentem Fichtei 162 163 n. 1.
Synthetica methodus 254.
Syntheticum iudicium (ad mentem Kantii) 146 148 n. 1; vera notio 156 157.
Taine 176 n. 1 177 326 ib. n. 2 365.
Tempus: notio 410 sq; — imaginarium, reale; internum, externum; generale, particulare 413 sq; — non est aeternitas Dei 414; — non est forma subiectiva (Kantii) 142 143 144 156 414; «esse in tempore»: proprie, minus proprie, improprie 415 sq.
Tempus creationis v. Mundus.
Terminus 35; — vocalis v. Locutio; — univocus, aequivocus, analogus; positivus, negativus; concretus, abstractus; complexus, incomplexus; singularis, particularis, universalis; principalis, incidens; explicativus, restrictivus; proprius, communis, collectivus 37 sqq; — terminus relationis 346.
Tertium comparationis 346.
Testa 170.
Testimonium 219; — Dei, humanum 219; — historicum, doctrinale 220 223 229.
Testis 219; — oculatus, auritus 219; — auctoritas 223 sqq.
Thales 454 n. 1.
Theologica idea (Kantii) 152 153.
Thesis 125; thesis, antithesis, synthesis ad mentem Fichtei 162 163 n. 1.
Thomas Aquinas, S., eius vita XI; eius scripta 8 n 1; — eius doctrina sequenda 9, tradita multis locis.
Thomistae 291; — eorum sententia circa distinctionem essentiae et exsistentiae 291 sqq; circa distinctionem inter subsi-

stentiam et essentiam individuam 334; circa distinctionem inter relationem et eius fundamentum 351; circa effectum formalem quantitatis 390 sq; circa constitutionem corporum v. Hylomorphismus.
Totum logicum 45 47 214; physicum, metaphysicum 47.
Traditio oralis, scripta 220; — eius auctoritas 227 sq.
Traditionalismus 187 sq.
Transcendentalis proprietas 299.
Transformismus (logicus) 185 186 n. 1 236.
Trilemma 107 n. 1.

Überweg 394.
Ubi (accidens) 388 404; — circumscriptivum, definitivum, sacramentale 404 sq.
Unicitas 300.
Unio 303.
Unitas transcendentalis 299; mathematica (numerica) 300; realis, logica; simplicitatis, compositionis; substantialis, accidentalis; physica, moralis; naturalis, artificialis, aggregationis 301 sq.
Universale directum, reflexum 30 211 sq; directum (metaphysicum) 30 33 212 sq; — sitne reale 211.
Urraburu 431.

Vacuum 418.
Validitas 438.
Variationum concomitantium methodus 252.
Vasquez 409 500.
Vaticanum Concilium, eius Constitutio «Dei filius» 501 n. 1.
Ventura 189.
Venustum (pulchrum) 383.
Veritas logica 132 232 309; eius progressus 234; eius gradus 235; transcendentalis (ontologica, metaphysica) 134 308 sq; moralis 309; primaria, secundaria 310 n; eius exsistentia 311; — veritates primitivae 193.
Vires 438; — vires corporum 438; — natura virium 439; — ad mentem Dynamistarum 439 450 453; vide Dynamismus.
Virtus 345.
Vis viva, vis potentialis 439.
Vitium 345.
Vocabulum 36.
Vogt 494 n. 2.
Volkmer 18 48 49.
Vox 36; — naturae, eius veritas 230.

Weber 165 n. 2 169.
Wiener, Chr. 454.
Willems, «Institutiones philosophicae» 162 n. 2 167 alibi.
Windelband 170.
Wulf, de 6.
Wundt 185 327 n. 1 452.

Xenophon 19.

Enchiridion Patristicum. Locos SS. Patrum Doctorum, Scriptorum ecclesiasticorum in usum scholarum collegit **M. J. Rouët de Journel** S. J. 8⁰ (XXIV et 888 p.) *M* 10.— = *Fr* 12.50; linteo relig. *M* 11.— = *Fr* 13.75

«**This work is done admirally;** and we hasten to bring it before the notice of our seminaries and clergy generally, as supplying a longfelt want. It comprises the text in the original Latin, or in the Greek with Latin translation. The book should be ordered at once (strongly bound) by all who have to handle these subjects either historically or controversially.»
(The Examiner, Bombay.)

«**Die Auswahl ist geschickt und allseitig orientierend,** es sind sorgfältig die besten Texte herangezogen. So ist zu wünschen und zu erwarten, daß auch diese Sammlung bei seminaristischen Übungen zum tieferen Verständnis der dogmengeschichtlichen Bewegung beiträgt.» (Theologisches Literaturblatt, Leipzig.)

Clericus Devotus. Orationes, Meditationes et Lectiones Sacrae ad usum Sacerdotum ac Clericorum. Accedit Extractum ex Rituali Romano. Editio secunda recognita et aucta. In 32⁰. 11×7 cm. (XVI et 572 p.) Crassitudo (incluso tegmento) 13 mm. Pondus (incluso religamine) 120 grammatum. Papyrus nitida. Pretium: linteo religatum, fronte rubra *M* 2.40 = *Fr.* 3.—; corio religatum, fronte aurata rubra *M* 3.20 = *Fr.* 4.—

Vorliegendes Werkchen scheint aus der Feder eines erfahrenen Priesters und Seelsorgers zu stammen. Nicht nur ist es in seinen gediegenen Gebeten und gut ausgewählten Betrachtungen dem Priester ein willkommener Freund in der Selbstheiligung, sondern auch der Seelsorger findet in einem Auszug aus dem Römischen Rituale einen zuverlässigen Führer bei Spendung der Sakramente und Sakramentalien. Die neueren Bestimmungen der Ritenkongregation sind berücksichtigt, sowie auch manche praktische Winke bewährter Autoren aufgenommen. Das Büchlein eignet sich besonders als Primizgeschenk und Reisebegleiter für Priester und Kleriker.»
(Anzeigeblatt für den kathol. Klerus, Paderborn.)